XIV C 51.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIV
C
51
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

# DE DISCIPLINA
## POENITENTIÆ
## LIBER TERTIUS.

Digitized by Google

# DE DISCIPLINA
## POENITENTIÆ
## LIBER TERTIUS.

Qualis fuerit, & eſse debeat in Foro interno.

*Ex Doctrina Theologorum, qui his vltimis ſex Eccleſiæ Sæculis floruere,*

OSTENDITUR

A

BALTHASSARE FRANCOLINO
SOCIETATIS JESU THEOLOGO.

ROMÆ, MDCCVIII.
Typis Cajetani Zenobii, Scalptoris Sanctiſſimi Domini Noſtri.

*SVPERIORVM FACVLTATE.*

Digitized by Google

# DIVO
# PHILIPPO NERIO
## CONGREGATIONIS ORATORII
## FUNDATORI.

*CUM, occaſione librorum, quos ſcripſi contra nimium rigorem, me, meoſque libros impeterent Adverſarii multi, ſubiit animum cogitatio, ac deſiderium legendi Vitam tuam, explorandique, quam ipſe praxim in audiendis Confeſſionibus, cùm hìc in terris degeres, cuſtodieris. Noveram ſiquidem, te ad id munus obeundum à Deo fuiſſe potiſſimùm electum, ac proinde præditum abunde ſapientiâ, & prudentiâ*

*ad id neceſſariâ . Venit ad manus meas ea , quam Petrus Jacobus Baccius Presbyter Oratorii , quod fundaſti , Italicè ſcripſit , lectâque totâ primâ parte , deveni ad caput 6. ſecundæ partis , in quo hac de re agitur , & quidem fusè . Legi , perlegi , ac diligenter quæſivi , an aliquod in ea rigoris exemplum extaret , aliquod ſeverioris doctrinæ veſtigium ? An caſſum aut inutile judicaveris Sacramentum Pœnitentiæ , quod non præiret dolor benevolus , genuinus charitatis fœtus , & propoſitum longa ceſſatione peccati , multoque fletu probatum . An Pœnitentibus ſæpè relapſis , & inveteratâ peccandi conſuetudine implicitis abſolutionem ordinariè , aut frequenter diſtuleris , an contra præſentem benignitatem declamaveris unquam , & veterum Canonum in imponendis pœnitentiis obſervantiam , reſtituendam eſſe putaveris , an Pœnitentes ab Altaris Sacramento removeris* quibus non ineſſet amor Dei puriſſimus , & omnis mixtionis expers ? *Hæc , aliaque his ſimilia quæſivi , quæ reperi nunquam , ſed his contraria , nempè excipere te ſolitum benigniſſimè , etiam plurìes relapſos , & longâ peccandi conſuetudine illigatos , eoſque confeſſos , & blandè ad peccatorum ſeriam deteſtationem diſpoſitos , abſolviſſe ſtatim , eâ impoſita pœnitentiâ , ut frequentiùs in poſterum Sacramenta ſuſciperent , vel ut preces aliquas quotidiè , excitatâ mortis recordatione , recitarent , innumeroſque Te hac ratione fuiſſe Deo lucratum , qui certè aſperiora remedia detrectaſſent , nec ampliùs cogitaſſent de animæ ſuæ ſalute , quam proinde , poſt longam*

*gam vitam ſanctiſſimè traductam, morti jam proximi tuæ ſuavitati referebant acceptam. Hæc, aliaque hujuſmodi cùm legerem, exilivi animo, totuſque fui liquidiſſimâ voluptate perfuſus. Illud autem maximè recreavit, quod Hiſtoricus refert in fine capitis, non defuiſſe videlicet homines cæteroqui bonos, ſed indolis, ac doctrinæ rigidioris, qui Te, tanquam benigniorem, graviter objurgarent; longè tamen uberiores fuiſſe tuæ ſuavitatis fructus, quàm eorum ſeveritatis. Tunc enimverò non addita ſolùm fuit cordi meo nova lætitia, ſed ingens ſpes patrocinii Tui, cùm jam communis mihi tecum cauſa ſit, hoſtes communes: ab his tueberis abſque dubio me, meumque hunc Librum tuo Nomini conſecratum, qui, cùm Praxim proponat à piis ſanctiſque Doctoribus traditam, & à Te conſtantiſſimè cuſtoditam, dici poteſt, ac debet vindex benignitatis Tuæ. Quam in Terris adamaſti benignitatem in Pœnitentes, fovere non deſines in Cœlo, in ſede benignitatis, quæ quamvis ſedes Pœnitentiæ non ſit, eſt tamen gaudentium de noſtra pœnitentia, adeoque faventium illis, qui Cœli cauſam agunt, dum agunt cauſam Pœnitentium.*

# AD LECTOREM.

EAM, quam in reliquis meis libris defendi, doctrinam, circa Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem, & uſum, eo potiſſimum argumento probare contendi, quòd communis illa Doctorum, & Eccleſiarum doctrina eſſet. Cùm verò id fundamentum, quod certè firmiſſimum eſt, diruere conatus ſit recens ſcriptor, aſſerens paucos à me Doctores, eoſque non ſatis clarè pro mea doctrinâ locutos, afferri, coactus cum id facere, quod facio: nimirum allegare permultos, eoſque diverſarum Nationum, Ordinum, & Academiarum, nec pauca eorum verba, ſed longos textus, non concluſiones ſolas, ſed ipſas concluſionum, aut explicationes, aut probationes, ut inde conſtet certa Doctorum mens, certa ſententia, certus totius Eccleſiæ in eâdem doctrinâ conſenſus.

Hinc habes, cur tomus in hanc molem excreverit, cur eum non illibenter legas: non enim mea leges, quæ nec aſpici à te, nedum legi, merentur, ſed quæ, præter Concilia, probatiſſimi Doctores ſcripſere: non Francolinum audies, nullius authoritatis authorem, ſed Petrum Lombardum, Robertum de Flammesburg, Petrum Pictavienſem, S. Antonium Patavinum, S. Raymundum, B. Humbertum, S. Thomam, Bonifacium VIII. Scotum, Joannem

nem

nem Friburgenſem, Aſteſanum, Paludanum, Patres Synodi Lingonenſis, S. Nicolaum de Tolentino, S. Vincentium Ferrerium, S. Bernardinum Senenſem, S. Joannem de Capiſtrano, S. Antoninum, Sylveſtrum Prieratem, Tabienſem, Card. Cajetanum, Angelum de Clavaſio, Baptiſtam Trovamalam, Dominicum Sotum, Andream Vegam, S. Ignatium ore ſui Secretarii loquentem, Martinum Navarrum, Bartholomæum de Medina, Ludovicum Lopez, Card. Toletum, Card. Bellarminum, Gregorium Sayrum, Jacobum de Graſſiis, Franciſcum Suarez, Emmanuelem Rodriquez, Ægidium de Coninck, Valerium Reginaldum, Paulum Layman, Martinum Bonacinam, Card. de Lugo, Vincentium Candidum, Joannem à S. Thoma, Raphaelem de Averſa, Card. Brancatum, Bartholomæum Manſtrium, Joannem Malderum Epiſc. Antuerpienſem, Guilielmum Mercerum, Franciſcum Sylvium, Philippum Gamachæum, Nicolaum Yſambertum, Ludovicum Abelly Epiſcopum Ruthenēſem, inque his, utpotè teſtibus doctrinæ communis, audies Doctores omnes, *qui* (utor verbis Vincentii Lyrinenſis in Commonitorio) *diverſis licet temporibus, & locis, in unius tamen Eccleſiæ Catholicæ communione, & fide permanentes, magiſtri probabiles extiterunt*, ut *quidquid non unus, aut duo tantùm, ſed omnes pariter uno, eodemque conſenſu apertè, frequenter, perſeveranter, tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe, cognoveris; id tibi quoque intelligas abſque ulla dubitatione credendum.*

I M-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

*Dominicus de Zaulis Epiſc. Verulanus Viceſger.*

M I-

Digitized by Google

# MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

*Præpoſitus Generalis Societatis JESU.*

CUM Opus, cui titulus: DE DISCIPLINA POENITENTIÆ &c. *à P. Balthaſſare Francolino* Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ, has Literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 7. Novembris 1707.

*Michael Angelus Tamburinus.*

DE

Digitized by Google

DE mandato Reverendiſſimi Patris Paulini Bernardinii Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri librum in tres partes diſtributum, cui titulus, *De Diſciplina Pœnitentiæ &c.* Authore eximio P. Baldaſſare Francolino Societatis Jeſu, Theologo, legi, & examinavi; in quo fulgent ad mentem, ardent, & pulſant ad Cor veritates ejuſdem Diſciplinæ, lucent Conſilia, Selecti ſcintillant paſſim Patres, Conſilia, aliique Sanctiſſimi juxtà, ac Doctiſſimi Viri, ex quorum omnium præclariſſimis documentis, adeò concinnam, ac ſuavem compoſuit doctrinæ harmoniam, ut ad exprimendam Eccleſiæ primitivæ, ac præſentis benigniſſimam indolem, ſeù propenſionem ad pietatem, & miſericordiam, nil jucundius optari poſſe videatur. Planè de his, quos in poſtrema parte recenſet; Apoſtolicis Viris ad hæc poſteriora ſecula ſpectantibus, incredibile eſt, ne dixerim pluſquam impium, vel leviſſimè ſuſpicari, quòd dum ad animarum ſalutem non ſine ingenti earum lucro ferventiſſimè incumberent, peregrinam deindè vellent intrudere praxim, ſeù regulam doctrinæ, quæ priori contradiceret. Optimè enim noverant, quanto æſtu, ac maligno ſtudio conentur hæretici ad ſcindendam Eccleſiæ unitatem, ac continuationem in doctrina fidei, & morum; ut tandem illius defectionem ad ſuarum hæreſum velamen, & firmamentum blaſphement. Sed inter cætera, quæ Author Operis eruditiſſimè profert ex antiquioribus etiam Patribus teſtimonia, audiatur Auguſtinus in epiſt. 261. ad Cœleſtinum Sum. Pontificem, cui referens quoddam ſui judicium minus ſeverè prolatum, ac benignè executum, id in ſui præſidium adducit, quod rectè ſciret, quantum Sedes Apoſtolica ad Clementiam, & benignitatem propenderet. *In illis autem* (inquit S. P.) *multiplicibus geſtis, quibus de illo noſtrum judicium continetur, magis deberem vereri, ne tibi minus ſeverè, quam oporteret, judicaſſe videamur, niſi ſcirem, Vos tam propenſos ad miſericordiam, ut non ſolum nobis, quia illi pepercimus, verùm etiam ipſi exiſtimetis eſſe parcendum.*

Succinit egregiè D. Thom. in peculiari expoſitione ſuper Matth. ad cap. 23. (aliis urgentiſſimis teſtimoniis apud Authorem relictis) nam præmittens, quòd *aliqui ſunt homines, qui non volunt perficere totum, tamen volunt aliquid perficere. Aliqui, qui etſi non volunt facere aliquid difficile, volunt tamen aliquid leve;* & tandem *Aliqui, qui etſi non faciunt, habent tamen voluntatem faciendi;* ut deindè erga omnes, ad benevolentiam, & pietatem inclinemur, paulò poſt ex Chryſoſtomo concludit, *Unde magis parcet tibi*

*Domi-*

*Dominus, ſi declinas ad Miſericordiam, quam ad ſeveritatem*. Pulchrè, ac piiſſimè ad hæc ſubdit Ludovicus Granatenſis lib. 6. Memorialis vitæ Chriſtianæ cap. 16. *Qui vult bonus eſſe Chriſtianus* ( verba illius ſunt latinè reddita ex Idiomate Hiſpanico à Michaele ab Iſſelt Montefortio ) *huic neceſſe eſt, ut* ſemper *habeat tria corda in uno corde; Unum erga Deum, alterum erga ſe ipſum, tertium erga proximum: hoc eſt, erga Deum oportet, ut habeat cor devotiſſimum, & humillimum; erga ſe ipſum, ſeverum, & rigidum, erga proximum, liberaliſſimum, & benigniſſimum; Beatus ille, qui adorat Trinitatem in Unitate, & beatus ille, qui poſſidet hæc tria cordium genera in corde uno*. Veriſſimè quidem, alioquin ſimilis foret Exactoribus tributorum, *qui* ( ut ait Chryſoſtomus apud D. Tho. ibidem ) *aliis magna faciunt ſolvere, pluſquam tributa exigunt, ipſi autem ſui nihil ſolvunt*. His verò Sapientiſſimis Magiſtris fidem detrectare, nefas putarem, idcircò ad eorum ſenſum perſoluto operi non tam libens ſubſcribo, quàm gratulor, illius Authorem, ætate licet valdè provecta, tam arduum ſtudium uſque ad coronam fœliciter ſuſcepiſſe, in Eccleſiæ decus, in Concionatorum, ac Confeſſorum utilitatem, in Sanctarum Scholarum pium affectum, atque clarum Munimen. Dat. Romæ 29. Maii 1708.

*F. Paulus Maria Cavvinus Sac. Theol. Magiſter, ac Theologus Caſanatenſis Ord. Præd.*

Com-

COmmiſſum mihi librum, cui titulus eſt: DE DISCIPLINA POENITENTIÆ, *Auctore Patre Balthaſſare Francolino* Societatis Jeſu Theologo accuratè perlegi, in quo nihil Divinæ Fidei dogmatibus noxium reperi, imò ea præſertim, quæ ad Sacrum Pœnitentiæ forum ſpectant, ſatis ſolidè adverſus Hæreticos firmantur.. Magnam certè eruditionem, & in monumenta antiquitatis pervagatam intelligentiam præſefert Auctor, majorem autem operam, ac impenſum ſtudium in elucidandis rebus multa caligine involutis non purigine novitatis, ſed priſcæ veritatis ſtudio, nec ex proprio ſenſu, ſed Conciliorum, ac Veterum PP. documentis. Verè Sapiens deprehenditur, qui antiquorum Sapientiam tàm ſedulò exquirit, & narrationem virorum nominatorum exactè, & fideliter conſervat. Ex Collegio Siculo Sancti Pauli de Arena tertii Ordinis Sancti Franciſci die 25. Maii 1708.

*Fr. Joſeph Marcheſe ejuſdem Collegii Studiorum Regens.*

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Sac. Apoſt. Pal. Mag. Ord. Prædic.

IN-

# INDEX

## Capitum tertii Libri.

CAP. I.

*DOctrina ſæculi duodecimi proponitur.* Pag. 4.

CAP. II.

*Doctrina ſæculi tertii decimi.* 16

CAP. III.

*Doctrina ſæculi quarti decimi.* 75

CAP. IV.

*Doctrina ſæculi quinti decimi.* 154

CAP. V.

*Doctrina ſæculi ſexti decimi uſque ad Concilium Tridentinum.* 215

CAP. VI.

*Doctrina Concilii Tridentini ex his potiſſimum, quę refert Card. Pallavicinus, & quę docent Dominicus Sotus, & Andreas Vega, collecta.* 243

CAP.

## CAP. VII.

*Doctrina eorum, qui poſt Concilium Tridentinum ad uſque medium circiter ſęculum decimum ſeptimum ſcripſere.* 366

## CAP. VIII.

*Doctrina, quę poſt id tempus ab aliquibus tradi cœpit.* 598

## CAP. IX.

*Argumènta, quibus hęc nova doctrina rejicitur, & contraria probatur.* 608

## CAP. X.

*Concluſio totius Operis, qua explicatur magis noſtra doctrina.* 622

DE

# DE DISCIPLINA POENITENTIÆ

## LIBER TERTIUS,

## Qualis certò fuerit, & eſſe debeat in foro interno.

*Ex communi Doctrina Theologorum, qui his ultimis ſex, aut quinque ſæculis ſcripſere, oſtenditur.*

AUTHOR CLERICUM ROMANUM PRAEMONET.

DUM diſciplinam Pœnitentiæ tibi propono, teſtimonio Doctorum, qui his poſtremis ſæculis floruere, in tota Eccleſia cuſtoditam, ne putes, aliam contrariam ſeu diverſam ante id tempus fuiſſe traditam: imò crede firmiſſimè, eandem fuiſſe ab initio Eccleſiæ receptam. Cum enim de doctrina, ac diſciplina agam, quæ non verſatur circa ritus accidentarios, & extrinſecos Sacramento, ſed circa partes

ipſius, quales ſunt dolor, propoſitum, confeſſio, abſolutio, & ſatisfactio, prout eſt neceſſaria ad Sacramentum, & ad expiationem peccatorum, eaque fundetur in ſola inſtitutione Chriſti Domini firmâ ſtabili, & penitus invariatâ, non potuit Eccleſia uno tempore unam doctrinam, & alio aliam diverſam, & multo minùs contrariam ſequi, & approbare; uno tempore docere id eſſe neceſſarium, & alio non, ut Pœnitens valide, & utiliter abſolvatur. Quæ fuit ergo circa hæc aliquot ſæculorum doctrina, fuit omnium, quæ poſt inſtituta novæ Legis ſacramenta fluxere, eademque erit ſemper.

Horum tamen ſex, aut quinque ſæculorum doctrinam potius quam priorum, proponere tibi conſtitui; tum quia de ſæculis præcedentibus ſatis actum eſt primo & ſecundo libro, tum quia his ultimis ſex, aut quinque ſæculis ſcripſere Theologi, ex quibus manifeſtè colligimus, quæ toto hoc tempore fuerit communis circa ea, de quibus modò diſputamus, in Eccleſiâ doctrina. Hi ſiquidem non ſolum ſcripſere de pœnitentia, ut innumeri Patres ante ipſos ſcripſere, ſed præterea eas ipſas quæſtiones agitarunt, quas agitamus modò, & locuti ſunt propriè, & non figuratè, quo modò non raro loquuntur Patres, ut obſervat Gerſon in epiſtola contra Apologiam Ruisbrochii, inde laudans Doctores noviſſimos, *Thomam*, *Bonaventuram*, *Alexandrum de Ales*, *& ſimiles*, *qui omiſſo omni verborum ornatu tradiderunt Theologiam per quæſtiones*, *ut ſub certis regulis*, *& ſub præciſa verborum formâ*

*tutiſ-*

*tutiſſimam haberemus Theologiam tam practicam, quam ſpeculativam, reducendo Doctores omnes priores ad unam ſecuramque locutionis proprietatem*. Nolo tamen tibi proponere quæcunque prædictorum ſex aut quinque ſæculorum Theologi ſcripſere de pœnitentia: is enim eſſet labor infinitus, nec fortè utilis, ſed illa tantùm, circa quæ nobis lis eſt cum quibuſdam Doctoribus, qui ſeveriorem doctrinam profitentur: lis autem vertitur in his potiſſimum, quis dolor ſit neceſſarius in hoc Sacramento, quæ hujus doloris ſigna ſufficiant, ut pœnitens abſolvi poſſit, quando neganda, aut differenda abſolutio, quanta ſatisfactio injungenda. Quid ergo doceant circa hoc tam longi temporis Theologi, dicam. Quamvis enim non ſim allaturus omnes, qui innumeri ſunt, afferam tamen præcipuos, qui ore omnium locuti ſunt, & quos ſecuti ſunt cæteri, quicunque fuere ſanæ tutequæ doctrinæ, aliquoſque alios, quorum doctrinæ non nihil ponderis acceſſit aut ex ſanctitate qua præfulſere, aut ex loco, in quo ſcripſere, aut ex munere,quod geſſere: nec eos quos deſero, deſero quia contrarii ſint, ſed aut quia ad manus meas non venerunt, aut quia eorum teſtimonia poſt tantum numerum Doctorum, quos profero, redundarent. Hæc prædoceri debuiſti, ne ulla ſuſpicio ſubiret animū tuum,& minueret fidē meam. Nunc aggrediar facere, quod promiſi; utque id præſtem utilius, nolim,audias tantùm, ſed aliquid dicas, interroges, objicias:ſic intelliges ipſe meliùs quæ dicam, & ipſe intelligam, te intelligere, quæ audis,

# CAPUT I.

*Doctrina ſæculi duodecimi proponitur.*

## §. I.

*Quid circa Pœnitentiam doceat Concilium Lateranenſe II.*

1 Auctor. Anno 1139. celebratum fuit Concilium Lateranenſe ſecundum, in quo is ſolus de Pœnitentia Canon legitur num.22. *Sanè quia inter cætera unum eſt, quod maximè ſanctam perturbat Eccleſiam, falſæ videlicet pœnitentiæ, Confratres noſtros Epiſcopos, & Presbyteros admonemus, ne falſis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in Infernum protrahi patiantur. Falſam autem pœnitentiam eſſe conſtat, cùm ſpretis pluribus, de uno ſolo peccato pœnitentia agitur; aut cùm ſic de uno agitur, ut non diſcedatur ab alio: unde ſcriptum eſt, qui totam legem ſervaverit, offendit autem in uno, factus eſt omnium reus; ſcilicet, quantum ad vitam æternam. Sicut enim, ſi peccatis eſſet omnibus involutus, ita ſi in uno tantùm maneat, vitæ æternæ januam non intrabit. Falſa etiam fit pœnitentia, cùm pœnitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quæ ſine peccatis agi, ullâ ratione non prævalent; aut ſi odium in corde geſtet, aut ſi offenſo cuilibet non ſatisfaciat, aut ſi cùm non offenderit, offenſus non indulgeat, aut ſi arma quis contra juſtitiam ferat.*

2 Quæro nunc, quare Patres, inter falſas pœniten-

niten-

nitentias non numerent pœnitentiam eorum, qui in eadem crimina pluries relapſi ſunt, vel nondum ſuſtulerunt habitum peccandi, vel ſe non macerant poſt gravia delicta condignis afflictationibus vigiliarum, & jejuniorum, vel qui non dolent de commiſſis delictis ex impulſu & imperio charitatis, quo Deus propter ſe diligitur, & odio habetur peccatum ſupra ipſam gehennam? Certè innumeri ſunt, qui putant, ſe verè pœnitere, quamvis relapſi ſint in eadem crimina, quamvis contractam longo uſu peccandi inclinationem & habitum retineant, quamvis ſe jejuniis non diſcrucient, quamvis doleant ex ſolo metu gehennæ, aut ſpe ac deſiderio ſalutis ſuæ. Contra, pauci ſunt, qui retinentes odium in proximum ſuum, aut voluntatem committendi aliquod peccatum, aut nolentes abdicare ſe officio ſemper inducente ad peccatum, adhuc putent ſe verè pœnitere. Igitur illi potius, quam hi, monendi erant de falſa ſua pœnitentia, ſi eorum pœnitentiam eſſe falſam putaſſent Patres. At hos ſolum non illos monent, ergo non putarunt eorum pœnitentiam eſſe falſam & rejiciendam, ergo non ea tunc erat Eccleſiæ praxis, ut illis qui non dolerent ex charitate, vel qui relapſi eſſent, vel qui poſt gravia peccata non duxiſſent diù vitam aſperam, & inculpatam, differretur abſolutio, tanquam afferentibus falſam pęnitentiam.

3 *Cler.* Nec rigidi Doctores dicunt, his differendam abſolutionem, tanquam habentibus falſum dolorem, falſamque pœnitentiam, ſed tanquam ha-

bentibus pœnitentiam dubiam, quæ certè ſatis non eſt. Patres autem eo Canone eos ſolos redarguere voluerunt,qui abſolvebant habentes non ſolùm pœnitentiam dubiam, ſed falſam, & manifeſte falſam & inſufficientem, ut eſt pœnitentia ejus, qui de uno peccato dolet, & de alio delectatur. Tunc enim, ut aliàs ex te didici, apud multos invaluerat is error, quem Magiſter ſent.fusè refellit lib.4.diſt.15.dicentium, valere apud Deum pœnitentiam ejus, qui ex pluribus peccatis commiſſis,de uno ſolo dolet,atque ita valere, ut à Deo unum remittatur, non remiſſis aliis, ac proinde hunc poſſe, etiam à Sacerdote, prædictam dimidiatam abſolutionem reportare: Cum autem Patres hunc ſolum errorem eo Canone damnare vellent, mirum non eſt, quòd dubias eorum,quos tu enumeraſti, pœnitentias non damnent.

*Auct.* Eruditè quidem, ſed non ſatis appoſitè. Et primò falſum eſt, quod dicis de Doctoribus, quibus cum modò diſceptamus, nempè eos non habere ut falſam, & manifeſtè falſam pœnitentiam eorum quos dicebam, nempè dolentium ex metu ſine impulſu aut imperio charitatis, ſeu relapſorum, aliorumque hujuſmodi. Joannes Neercaſſel Epiſc. Caſtorienſis lib.1. cap.3. §.1. edit.2. Loquens de neceſſitate contritionis benevolæ etiam in Sacramento, *Timorem gehennæ* (inquit,) *& Sacramentum pœnitentiæ non eſſe per ſe idonea, ut hominem ſine amore Dei juſtum, ſalvumque reddant, EVIDENTISSIME probatur &c.* Putavit ergo eſſe manifeſtè falſam pœnitentiam eorum, qui non dolent ex

cha-

charitate. Sic autem loquuntur etiam reliqui de h's pœnitentibus attritis, aut relapſis, aut pravo habitu implicitis, ut, ſi eorum libros legeris, manifeſtè comperies.

4 Sed eſto; habeant horum pœnitentias, non ut manifeſtè falſas, ſed ut dubias; rogo, an etiam prędicti Patres Lateranenſes, habuerint eas ut dubias? ſi negent, dicantque, Patres habuiſſe prædictorum pœnitentias ut veras, & abſolutione dignas, jam fatebuntur diſſidere ſe à prædictis Patribus, ſuamque praxim à praxi eorum temporum diſcordare. Si verò dicant, à Patribus fuiſſe habitas eorum pœnitentias, ut dubias, cur non docuere, eas ut tales habendas? Cur non prohibuere ſic pœnitentes abſolvi, ut prohibuerunt abſolvi illos, qui ex multis peccatis unum ſolum confitebantur, & de uno ſolo abſolvi poſcebant? Certè ut hoc Sacramentũ nequit adminiſtrari in materia certè falſa, ſic nequit adminiſtrari in materia dubia: & rurſus, ſunt incomparabiliter plures illi, qui accedunt ad cõfeſſionem cum illâ pęnitentiâ, quam dicis dubiã, quàm qui accedunt ad cõfeſſionem cum illâ pœnitentiâ manifeſtè falsâ, & inſufficienti; ac proindè eſt ex hoc capite, longè pernicioſius aut periculoſius permittere, ut illi, quàm ut hi abſolvantur. Cur ergo illud ſolum, & non etiam hoc fieri vetuerunt? Finge aliquos vino baptizari ab ignaris, vel impiis Parochis, ſed alios innumeros baptizari lixivio, aquâ roſaceâ, aut alio hujuſmodi liquore dubio. Finge rurſus Eccleſiam utrumque ſcire, & ſolum prohibere primum, non alterum. Quid in-

de colligeres? proculdubio primum non licere, licere alterum: ſi enim nec id liceret (tecum diceres) id etiam vetuiſſet, dum vetuit alterum; cum præſertim illud à paucis fiat, hoc ab innumeris, ac proindè, ſi nec id legitimum eſt, ſalus innumerorum hominum in diſcrimen conjiciatur. Ergo quandoquidem Patres Lateranenſes, ſcientes aliquos accedere ad confeſſionem cum pœnitentia, & propoſito non univerſali, & alios innumeros accedere ad confeſſionem poſt varios relapſus, nec ſublato habitu peccandi, & ex ſolo timore gehennę, aut amore æternæ ſuæ ſalutis; monent ſolùm, eam pœnitentiam non univerſalem habendam ut falſam; de reliquorum verò pœnitentiâ, nihil dicunt, nec vetant, eos abſolvi, prudenter credimus, hanc pœnitentiam eſſe bonam, & ſufficientem. Hoc argumentum non fundatur in eo, quòd quidquid Eccleſia non reprobat, approbet, & tutò fiat; hoc enim eſt manifeſtè falſum, ſed in eo, quòd tutò & ſanctè fit, quod, niſi tutò & ſanctè fieret, eſſet ab Eccleſia prohibendum: Eccleſia autem certè prohibere debet in Sacramento præſertim tam neceſſariò uſum illius materiæ, quam videt paſſim adhiberi, ſi ea tutò, & ſanctè non adhibeatur: alioquin doctrinam, & inſtructionem neceſſariam Fidelibus non præberet.

5 *Cler.* Dicent, huic neceſſitati ſatis conſultum ab Eccleſiâ docente, Sacramentum in materiâ dubia miniſtrari non debere.

*Auct.* Reſpondeo, id ſatis non eſſe, ſi adhuc conſtet, Sacramentum adminiſtrari in materia dubia:

hinc

hinc ſi Eccleſia videret, paſſim Fideles baptizari lixivio, vel aquâ extillatâ, id non permitteret. Non igitur ſatis eſt, quòd doceat illud, & ratio eſt, quia adhuc poſſent aliqui credere, aquas artificiatas non eſſe materiam dubiam, ſed certam, qui non eſſent relinquendi in ſuo errore cum tantò Fidelium ſic baptizatorum periculo. At Patres Lateranenſes ſciebant, & nunc Eccleſia ſcit, Sacramentum Pœnitentiæ paſſim miniſtrari habentibus attritionem non conceptam ex charitate, eamque haberi pro materia certa; & rurſus & ex eadem ratione abſolvi ſubindè etiam relapſos, & habentes habitus vitioſos, dummodò aliundè appareant diſpoſiti, nec tamen Patres Lateranenſes, aut Concilia, & Pontifices inde ſecuti, monuerunt unquam, non eſſe hos abſolvendos, quod certè monere facilè poterant, ut monuerunt non eſſe abſolvendos eos, qui ex pluribus commiſſis de uno ſolo peccato dolent, ergo eorum pœnitentia dubia non eſt.

*Cler.* Non videtur id inferendum, ſed hoc ad ſummum. Ergo Patres Lateranenſes non putarunt eſſe dubiam horum pœnitentiam. Non indè tamen ſequitur, non eſſe dubiam, aut eſſe habendam pro certa. Potuit enim hoc latere Patres Lateranenſes.

*Auct.* Ergo quandoquidem nec Patres Lateranenſes, nec unquam Eccleſia per tot ſæcula docuit, non eſſe abſolvendos ſolùm attritos, relapſos, habentes habitus pravos, non exhibentes aſperam, & condignam ſatisfactionem, quamvis ſciret ab innumeris doceri, hos abſolvi poſſe, & innumeros

ſic

ſic abſolvi, jam Eccleſia per tot ſæcula ignoravit horum pœnitentiam eſſe dubiam.

*Cler.* Id ſequitur.

*Auct.* Nec horres concedere, tam pernicioſa ignoratione per tot ſæcula Eccleſiam laboraſſe, Deumque permiſiſſe, ut ex hac ignoratione pleriſque malè adminiſtraretur Sacramentum adeò neceſſarium? An Eccleſiæ ſuæ ſemper adeſt Deus auxilio ſuo, ut adfuturum ſe promiſit, ſi illi tandiù negavit lumen adeò neceſſarium?

*Cler.* Verè id admitti nequit.

*Auct.* Igitur ſi prædictorum pœnitentia dubia eſt, id Eccleſia, & Patres Lateranenſes non ignorarunt. Nunc redit argumentum, & quæro, cur id non monuerunt, ne populi deciperentur perſuaſione communi, ne deciperentur à Parochis ſuis putantibus eam pęnitentiam dubiam non eſſe, nec propterea detrectantibus eos abſolvere, qui eam afferrent? Fatere jam, eorum pœnitentiam nec putatam eſſe dubiam, nec eſſe dubiam.

*Cler.* Nunc teneo argumentum. Proſequere igitur quod incęperas.

## §. II.

### *Doctrina Petri Lombardi.*

1 PAulò poſt prædictum Concilium Lateranenſe ſecundum, nempè circa annum 1145. Patrum ſententias collegit Petrus Lombardus, indè dictus Magiſter ſententiarum. De Pœnitentia autem agit fusè, ac diſtinctiſſimè nempè totis octo diſtinctionibus, & quamvis de multis agat, quæ ſolùm

lùm conferunt, ut Sacramentum meliùs adminiſtretur, & fructuoſiùs ſuſcipiatur, vel ad quandam eruditionem, ne verbum quidem habet de iis, quæ modò Adverſarii dictitant, eſſe omninò neceſſaria, ut Sacramentum tutò adminiſtretur, de differenda abſolutione iis, qui nondum peccandi habitum ſuſtulerint, vel qui ſe verè dolere, longi temporis pœnitentiâ, & innocentiâ non oſtenderint, vel qui pluries relapſi ſunt; imò tradens diſt. 14. definitionem pœnitentiæ ex profeſſo refellit eos, qui ex relapſu arguebant, non præceſſiſſe in pœnitente veram pœnitentiam, quam proindè definiebant eam eſſe, per quam ita commiſſa deflentur, ut deflenda non amplius poſtea committantur: monetque *pœnitentiam non ſemel tantum agi, ſed frequenter iterari, & per eam frequenter iterum veniam præſtari*.

2 Circa dolorem, à noſtra ſententia receſſit Petrus, putans requiri contritionem ſtrictè talem, ſed nec acceſſit Adverſariis, ſiquidem eam requiri putavit, quæ ante ſuſceptionem Sacramenti reconciliaret, deceptus ea perſuaſione, quod Sacerdos non abſolveret à peccatis, ſed abſolutum, & per contritionem jam cum Deo reconciliatum declararet. Quare, ſi poteſtas Clavium illi ſatis innotuiſſet, ut nobis præſertim poſt Concilium Tridentinum innotuit, abſque dubio noſtræ ſententiæ adhęſiſſet, ut omnes adhæſerunt poſt Tridentinum; quod infra conſtabit.

3 Diſt. 15. ſatisfactionem cum D. Auguſtino dicit eſſe ſitam in excidendis cauſis peccatorũ, & diſt. 16.

mo-

monens, debere peccatorem ita ſatisfacere pro culpis, ut abſtineat etiam à ludis, nempè à publicis ſpectaculis, aliiſque hujuſmodi oblectamentis, ſubdit, *hoc de illa pœnitentia intelligitur, quæ majorum eſt criminum*, nempè publica, & ſolemni, quam qui ſubibant, à multis etiam licitis voluptatibus abſtinere, ex inſtitutione Eccleſiæ, debebant. Et quidem agens diſt. 20. de prædicta pœnitentia ſolemni, impoſitam fuiſſe docet pro ſolis delictis, quæ atrocitate ſua univerſam Urbem commovent.

4 Hæc ( ut omittam reliqua, quæ ad rem noſtram non faciunt ) docet circa pœnitentiam Petrus Lombardus, ille tam celebris Magiſter omnium, qui poſtea Theologiam ratione & methodo tradiderunt, ille tam diligens Collector ſententiarum antiquorum Patrum, in quibus nihil reperit quod ſibi viſum fuerit opportunum ad probandum, non eſſe abſolvendos relapſos, aut habitu peccandi implicitos, aut alios quoſcunque gravibus culpis oneratos, niſi antea per aliquot menſes pœnitentiæ auſteriori vacarint, & vixerint inculpatè; Et tamen putant aliqui modò, has ſuas perſuaſiones eſſe manifeſtas Patrum ſententias. Quis ita deſipiat, ut credat, ab his fuiſſe Patrum ſententias, aut diligentiùs collectas, aut meliùs intellectas, quam à tanto Collectore, tantoque Doctore?

§. II.

§. II.

*Doctrina Epiſcoporum hujus temporis, Roberti de Flamesburg, & Petri Pictavienſis.*

1 HOC eodem ſæculo paſſim Epiſcopi pœnam culpis debitam remittebant iis, qui ædificandis Eccleſiis, vel aliis publicæ utilitatis operibus perficiendis, ſubſidium aliquod quamvis modicum attuliſſent. Et quamvis aliqui tantam Epiſcoporum indulgentiam non ſatis probarent, nemo tamen damnavit moderatas, & ex juſta cauſa conceſſas pœnitentiarum relaxationes, omneſque approbarunt eas, quas lib. I. deſcripſimus, Canonicæ pœnitentiæ redemptiones, quibus adeò ſatisfactio pro culpis debita minuebatur. Ea igitur fuit communis Eccleſiæ perſuaſio, nullo jure Divino cautum eſſe, ut IN HAC VITA condigna à peccatoribus pœna ſolvatur.

2 Sub hujus ſæculi finem, Pariſiis munere Pœnitentiarii fungebatur Robertus de Flammesburg, Canonicus S. Victoris, eoque munere, pietate, ac doctrina digniſſimus. Quamvis autem hujus Doctoris praxim propoſuerim in Cler. Rom. lib. 2. diſp. 3. cum tamen brevis ejus deſcriptio ſit, iterum hìc exhiberi ſine temporis jactura poteſt.

Is in ſuo Pœoitentiali dicit 1. quid ipſe ſentiret & faceret circa remiſſiones Pœnitentiæ, de quibus agebam modò. *De remiſſionibus* (inquit) *quæ in Eccleſiarum ædificatione, vel pontium, vel alibi, diverſi diverſa ſentiunt, ſcilicet quantum, vel quibus valeant. Nos autem quidquid dicatur, omnibus conſulimus*

*limus tales remiſſiones, maximè illis, qui peccatis, & penitentiis onerati ſunt, & gravantur.*

Dicit 2. quomodo ſe gereret univerſim in imponenda pœnitentia. *Conſidero* (inquit) *circumſtantias confitentis, ætatem, converſationem, & ſecundum quod ego video, ſic punio. Si canonicam non vult recipere pœnitentiam, ideſt à Canonibus inſtitutam, diligenter admoneo, ne animam ſuam ullo modo lædat, & PROMPTISSIMUM ME OFFERO AD QUANTAMLIBET POENITENTIÆ ALLEVIATIONEM.* Hanc promptitudinem tunc uſu communi approbatam nunc audent aliqui vocare magnam eamque novam diſciplinæ corruptelam.

Dicit 3. Quomodo ſe gereret cum Pœnitente relapſo, non quidem circa abſolutionem (quam à ſe fuiſſe ei negatam, aut dilatam nec dicit, nec innuit, quod ſanè, ſi factum à ſe fuiſſet, dicere non omiſiſſet) ſed circa pœnitentias. *Aliquando confitens patitur recidivum peccandi, ſed rarò, tunc aggravo antiquam ejus pœnitentiam, vel extendendo eam, vel exaſperando, vel utroque modo, ſi expedit. Quandoque patitur aliquis recidivum peccandi, ſed frequenter: tunc timeo, quod deſperet, vel ſuccumbat, ſi ei ſemper aggravetur pœnitentia: non ſolum cum antiquâ remitto cum pœnitentiâ, ſed quandoque eam relaxo, quandoque & ex toto relaxo, ſemper monens, ut à peccato ceſſet.*

Dicit 4. Uti Pœnitentibus, quos ex timore penitentiæ, & pudore ſui relapſus, omiſſuros confeſſionem

ſionem ſciebat, ſuadebat, ut mutarent potius Confeſſarium, & eum adirent, de quo benè ſperarent. *Quando quærit aliquis, Domine ſi non cavero mihi à peccato, nec iſtam quam dediſti mihi perſequutus fuero pœnitentiam, nunquam plus confitebor* ex timore videlicet, & pudore. *Et dico, frater in fine vitę tuę omnia debes evomere, vel ſi frontem habes tenerum, & de facili rubes, vel ſi virum inveneris, de quo benè ſperes, ut ejus utaris conſilio, ſecundum conſcientiam tuam, quando volueris, confitearis. Multum enim valet, quod quis pluribus confiteatur. Sed quandiù tibi portabilis eſt, nunquam quam dedi pœnitentiam minuas &c.*

Tandem redit ad eum, qui detrectat Canonicam pœnitentiam, quem, ut ſaltem eam incipiat, hortatur, ſubditque. *Si aliud fieri non poteſt ceſſa à peccato, & ad LIBITUM TUUM QUOD VOLUERIS TIBI MITIGABO: ELEGI ENIM SEMPER MAGIS MISERICORS ESSE, QUAM RIGIDUS.*

3 Eodem quo Robertus tempore, Petrus Pictavienſis, Canonicus Abbatiæ S. Victoris & ipſe Pœnitentiarius, ſuum librum Pœnitentialem ſcripſit, in cujus fine ſic habet. *Non videtur quod pro peccatis occultis debeat Pœnitens aliquis arctari præcisè ad aliquod genus ſatisfactionis nolens*, (loquitur autem de gravioribus ſatisfactionibus jejuniorum in pane & aqua, aliiſque hujuſmodi;) *Sed redimere poteſt, vel aliter compenſare.* Erat igitur communis in ejus ætatis Doctoribus perſuaſio, non extare

ſtare præceptum ullum Divinum, imò nec Eccleſiaſticum de imponenda pœnitentibus, agendaque ab his ſatisfactione, quæ culpis reſpondeat, itaut totam omninò debeat is qui poteſt, eam in hac vita exhibere: non enim à communi doctrina tantos viros, eoſque in tanta Urbe pœnitentiarios, receſſiſſe credendum eſt.

## CAPUT II.

*Doctrina ſæculi tertii decimi.*

HAnc nobis exhibent multi hujus ſæculi Scriptores aut ſanctitate, aut doctrina, aut utraque laude præſtantes. Seligam quatuor ex quibus univerſalem, ex probatiſſimam hujus ſæculi praxim colligere quilibet prudens debet. Hi ſunt S. Antonius dictus de Padua, S. Raymundus de Pegnaforti, B. Humbertus, & S. Thomas, omnes ſanctitate celebres, ſed primus ex ſacramento Pœnitentiæ populis adminiſtrato celebrior, obivit enim plurimas regiones Evangelicus præco nec ſolum auditus ex ſuggeſtu hortator pœnitentiæ, doctorque, ſed audiens in ſede pœnitentiaria populorum confluentium confeſſiones, ac proinde experientiâ ipsâ ad id munus optimè obeundum inſtructus; Alter Pontificius pœnitentiarius, juris Canonici conſultiſſimus, volumine decretalium à ſe concinnato, & ægregiâ ſummâ, quæ prima ſummarum Moralium videtur fuiſſe, optimè meritus de facultate Canonica, moralique, Tertius univerſi Ordinis Prædicatorum

Magi-

Magiſter Generalis quintus, auctor multorum librorum indubitatus, ſed ejus potiſſimùm, quo agitur de omnibus illius Ordinis officiis optimè obeundis, ut teſtantur omnes omninò qui prædicti Ordinis hiſtoriam texunt, aut ejus viros illuſtres recenſent, utque probavi in Francolino vindicato cap. 5. Quartus Eccleſiæ Doctor Angelicus, omnium qui tunc & poſtea fuerunt Theologorum princeps, adderem S. Bonaventuram, niſi ejus doctrinam fusè in Clerico Rom. propoſuiſſem.

## §. I.

### *Doctrina S. Antonii de Padua.*

1 SAnctus Antonius dictus de Padua ſerm. Domin.4. Adventus hæc habet. *Nota, quod Sacerdos in Confeſſione debet quatuor peccatori proponere. Si dolet, & pœnitet de commiſſis. Si pœnitentiam ſibi ab ipſo injunctam humiliter vult obſervare. Si habet firmum propoſitum de cætero mortaliter non peccandi. Si vult proximo ſatisfacere, & ignoſcere, & ipſum diligere. Si hæc vult facere, tunc ei pœnitentiam debet injungere, & ipſum abſolvere, aliter non.* His quatuor quæ ad illa duo, nempè ad dolorem & propoſitum non peccandi ampliùs & ſatisfaciendi, reducuntur, contentus fuit S. Antonius; eos verò, qui ſeriò dicerent ſe dolere, & proponere, abſolvi omninò voluit, nec interrogari, an dolerent ex charitate, quamvis Deus nihil mali peccantibus intentaret, nihil boni non

peccantibus promitteret, nec adigi ad exercendos diù ante abſolutionem actus & opera pœnitentiæ aliarumque virtutum, quibus habitus vitioſos debilitent, & ſuam veram pœnitentiam faciant ſuo Confeſſario certam.

2 Sermone in Dom. 2. Quadrageſimæ ſuper illud Gen. 9. *Ponam arcum meum in nubibus Cœli, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram,* ſubdit, *vide quam propriè arcus confeſſionem ſignificet. Nota, in arcu confeſſionis ſunt quatuor, duo ſcilicet cornua flexibilia, medium durum, & inflexibile, & chorda mollis, per quam ipſa cornua flectuntur. Similiter in confeſſione debent eſſe quatuor, duo cornua confeſſionis ſunt dolor de peccatis præteritis, & timor de pœnis æternis. Medium durum, & inflexibile eſt firmum propoſitum, qaod debet habere pœnitens, ne ultra revertatur ad vomitum. Chorda mollis eſt ſpes veniæ, quæ verè illa duo cornua doloris & timoris à ſua rigiditate flectit. Ex tali arcu emittuntur ſagittæ potentis acutæ.* Hic nulla mentio charitatis, qua Deus propter ſe diligatur, & tamen intendit, ut patet ex contextu, enumerare omnia, quæ veram pœnitentiam, & confeſſionem conſtituunt. Similiter in ſermone Dominicæ 16. poſt Trinitatem ſuper illud pſal. 76. *Meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum,* ſic habet. *Peccator in morte peccati exiſtens debet meditari corde ſuo quid commiſit, quid amiſit, & quid ſibi acquiſivit. Commiſit animæ ſuæ mortem, amiſit gloriam, acquiſivit gehennam. Et*

*pro*

*pro his debet ſe exercitare in contritione, & amaritudine cordis, & ſcopare, idoſt mundare fœtorem cordis peccati*. Ex utroque hoc loco patet quid exigat nomine contritionis ab eo qui vult confiteri, nempe id ſolum, quod ex fide & ſpe doleat, & proponat, non verò, ut id ex charitate faciat. Legendus eſt etiam ſermo 2. Domin. 1. Quadrag. in quo quamvis fusè agat de Confeſſione, nihil horum exigit, quæ modò à quibuſdam exiguntur.

3 Serm. 2. Dom. 1. Quadrag. exponens illud pſalm. 28. *Vox Domini concutientis deſertum, & commovebit Dominus deſertum Cades*, ait. *Hæc concuſſio & commotio fit per verbum prædicationis, quando ex prædicatione compungitur cor humanum, & compunctum conteritur*. Et quidem tam multos concionibus ſuis commovebat S. Antonius, ut *nec fratres, nec alii Sacerdotes, qui non pauci eum comitabantur, illis audiendis ſufficerent*, ut refert Wadingus in Annalibus Minorum ann. 1225. Igitur facilè concutiuntur peccatores, & concipiunt efficacem dolorem & propoſitum, dum audiunt concionatorem aptè proponentem quæ ad pœnitentiam excitant. Quod enim in tam multis, & paſſim evenit, non difficilè evenit. Et quidem hunc eſſe ordinarium fructum prædicationis, ſi bene adminiſtretur, putavit abſque dubio S. Antonius, qui propterea, ſermone 4. de Apoſtolis, ſuper illud, *& fructum afferatis*, hortatur Concionatores, ut non concionentur tantùm, ſed poſt concionem audiant ſuorum Auditorum confeſſiones. Non erat igitur,

cur Auctor Clerici Belgę ſcripti contrà meum Clericum Romanum me redargueret, quod lib. 1. pag. 126. dicam, *experiri nos, quòd qui audiunt Concionatorem aptè proponentem ea quæ ad pœnitentiam excitant, facilè concutiuntur, & concipiunt efficacem dolorem & propoſitum*, & multo minùs erat, cur huic veriſſimæ meę propoſitioni impugnandę tertiam, & amplius ſui ſatis magni voluminis partem impenderet deſcribens peccatoris converſionem ut rem perdifficilem, & maximè operoſam. Sed habebit infra, cur magis doleat de hujus & reliqui ſui laboris jactura.

4 Hìc ſolùm moneo, uti omnes Verbi Divini præcones miſſionarii, qui his poſtremis quinque ſęculis noſtram Europam ſuis miſſionibus illuſtrarunt, omnes inquam, aut per ſe, aut per ſuos ſocios Sacerdotes conſueverunt poſt conciones audire Confeſſiones, & abſolvere, non quidem omnes, ſed innumeros, paulò ante, nempe tempore ſacræ Miſſionis, & ſubinde ultimâ concione proximè auditâ compunctos. Ergo hæc fuit omnium perſuaſio, innumeros, permultos certè, fervidi Præconis adhortatione converti, ac proinde ad converſionem peccatoris non requiri ſubindè longum tempus.

*Cler.* Requiruntur tamen multi actus ante juſtificationem.

*Auct.* Requiruntur quidem, ſed illi etiam in peccatoribus longo peccandi habitu implicitis, aſpirante Dei gratia, concipiuntur ſubinde, dum fervidus concionator ponit ob oculos objecta aptiſſima

ad

ad commovendos eos,qui jam Fide divina illuſtrantur, nempe gravitatem Divinæ offenſæ,mortem infeliciſſimam peccatoris, judicii ſupremi ſeveritatem, gehennam ſempiternam, amiſſæ, & facilè amittendæ felicitatis æternæ pondus & pretium, aliaque hujuſmodi; cui communi tot ſanctorum virorum judicio, nemo ſapiens refragari audebit.

5 Hinc autem ego colligebam ibidem, facilè poſſe Confeſſarium, fervore veræ charitatis incenſum,eos diſponere ad abſolutionem, quos videt eſſe non ſatis diſpoſitos. Nam ſi tam multos convertit Concionator, quamvis plerique ad eum audiendum ſe conferant non eo animo, ut peccare deſinant, longè faciliùs Confeſſarius compunget eos, qui quamvis non ſint ſatis diſpoſiti, accedũt tamen cum aliqua voluntate redeundi in gratiam Dei, & ſua peccata homini produnt, nempè rem faciunt pleriſque arduam, & placando Deo aptiſſimam. Id animadvertere debuit Auctor Clerici Belgæ, non agere me de eo qui nihil cogitat de ſua ſalute, ſed de eo,qui jam tangitur aliquo ſuæ ſalutis deſiderio, non de eo, qui cum meretricula ludit in lupanari, ſed de eo, qui cum Sacerdote agit de negotio animæ ſuæ; non de eo, qui ſi careret his actibus, ad confeſſionem non accederet ſponte, ut facit, nam de hoc me loqui aſſero eo lib. 1. cap. 5. Habet igitur illos actus, quos ipſe tam operosè recenſet, & requirit ac ſola ei deeſt, aut major diligentia in diſcutienda vita ſua (quam aptis, nec multis interrogationibus ſupplere plerumque poteſt Confeſſarius) aut de

eſt propoſitum non quidem omne, ſed efficacius; aut certius. An is defectus unius actus jam inchoati tantus eſt, quem non facilè vincat gratia Dei, & quæ adeſt fervido Confeſſario, ut apte loquatur, & quæ adeſt Pœnitenti, ut loquenti auſcultet, & cedat? An is defectus unius majoris effiicaciæ iu actu, qni reliquos omnes præſupponit, eſt defectus omnium? Quid ergo prodeſt recenſere omnes diſpoſitiones & actus ad juſtificationem neceſſarios, variaſque illas peccatoris qui viam ſalutis ingreditur, affectiones, deſcribere, perindè ac ſi eum facile converti dicerem, qui caret omnibus prædictis actibus, omnibus diſpoſitionibus, nec unum greſſum poſuit in via ſalutis?

*Cler.* Quid prodeſt? Prodeſt multum cauſæ iſtorum hominum. Sic enim decipiuntur multi, tuaque ſententia in invidiam vocatur, magnoque cum ſtrepitu Urbi, & Orbi denunciatur.

*Auct.* Hac mente, animoque alios decipiendi ſcripſiſſe anonymum hunc auctorem non reor, ſed potius ipſum deceptum fuiſſe. Quamvis (ut verum fatear) intelligere nequeo, quomodo potuerit hac in re decipi, cùm noſtri ipſi Adverſarii dictum illud commune, *Pœnitens ſolùm attritus, dum confitetur, ex attrito fit contritus* ſic interpretentur, ut ſenſus ſit aut unicus, aut unus ex variis quos habere ea verba, dicunt, *Pœnitentem non ſatis diſpoſitum ex defectu dilectionis acquirere ſubinde in ipſa confeſſione ſufficientem diſpoſitionem*. Qui ergo potuit me reprehendere, quod aſſeruerim facilè

cilè poſſe pœnitentem non ſatis diſpoſitum, per humilem ipſam confeſſionem, & verba Confeſſarii ſatis diſponi, ferique abſolutione dignum?

*Cler.* Non igitur temere ſuſpicatus ſum de mente hujus Scriptoris, cujus præterea, utpote anonymi, nulla authoritas eſt. Abiiciamus ergo illum & revertamur ad D. Antonium, ſi quid dicendum de viro tam præclaro ſupereſt.

6 *Auct.* Multa ſuperſunt, quæ omitto, ne longior ſim, jiſque quæ attuli ſupra, duo tantum addo, quorum primum pertinet ad Confeſſarium, alterum ad Pœnitentem. Igitur ſerm. 2. de Evangeliſtis notat, uti *confeſſionum auditori maximè convenit diſcretio, manſuetudo, & affabilitas.* Quas ipſe virtutes excoluit maximè. Ut enim refert prelaudatus Wadingus an. 1231. num. 29. *Moderatione, ſive diſcretione præclarè in primis uſus eſt in concionibus, in dandis conſiliis, in excipiendis confeſſionibus, in omnibus Deo, & hominibus gratus,* quibus virtutibus innumeros Chriſto peperit, quos certè, ſi ſequutus fuiſſet eas, quę hodie tantopere celebrantur, ſententias, minime peperiſſet.

7 Alterum, de quo Pœnitentem monet, eſt, ut Confeſſionem frequentet. Nam ſerm. Dominicæ 4. poſt Trinitatem, *Nihil*, inquit, *certius morte, nihil incertius horâ. Qui ergo quotidiè venenum peccati bibit, quotidiè debet accipere theriacam confeſſionis.* Loquitur autem de confeſſione gravium peccatorum, quorum confeſſio neceſſaria eſt ad evitandam malam mortem, quam ibi declinari vult, & ex eo-

dem fine loquitur de confeſſione, quam ſequitur abſolutio. Interroga nunc prædictos Doctores, an id conſilium dent peccatori, ut frequentiſſimè accipiat hanc theriacam. Vel, ſi cupis ingenuam reſponſionem, interroga illos, qui eis ſubditi ſunt, vel qui eis confeſſi ſunt ſua gravia peccata, ſuos relapſus, an id conſilii acceperit unquam, ut ſacramenta frequententent. Crede mihi, reperies nullum, innumeros reperies rejectos, benè multos reperies impulſos manere annos totos ſine theriaca Sacramentorum.

## §. II.

### *Doctrina S. Raymundi de Pegnafort.*

ANtonio Patavino, nempè celeberrimo Miſſionario, & veluti populi Chriſtiani per Europam Pęnitentiario jungo celeberrimum Pontificum Pœnitentiarium, Raymundum de Pegnaforti, qui (ut præfatur is, qui ejus ſummam prælo ſubjici curavit an. 1603.) *vitæ ſanctitate, & miraculorum operatione, in vita & in morte claruit*, quique hanc ſummam ſcripſit, ut idem ſubjicit, *juſſu fratris Sugerii primi Prioris Provincialis ſui Ordinis in Hiſpania, ad informationem & directionem Fratrum, & omnium Confeſſiones audientium, ut conſilia ſalutaria confitentibus poſſent dare*. Noverat enim prædictus Prior uti Raymundus, *novitates, & ſingulares opiniones, tanquam peſtem perpetuò vitandas putavit*.

Quam ergo praxim adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ hæc ſumma continet, antiqua eſt; ipſo-

ipſoque Raymundo longè antiquior, eademque tutiſſima, ſanctiſſimaque, antiquitate ſuâ, authoritate Scriptoris, jubentiſque eam ſcribere, & ſanctitate Ordinis, cujus fratribus dirigendis fuit potiſſimum ſcripta, *ut conſilia ſalutaria confitentibus poſſent dare*. Continetur autem illa libro tertio, *tit. de pęnitentiis, & remiſſionibus*, ex quo ſeligam quæ præſertim pertinent ad præſentes controverſias.

1 §. 1. Sic habet. *Pœnitentia eſt, ut ait Ambroſius mala prœterita plangere, & plangenda iterum non committere &c. Occaſione illius verbi plangenda iterum non committere dixerunt quidam* (hi fuere Rigoriſtæ eorum temporum) *quod ſi aliquis verè pœnitet, nunquam poſtea peccabit mortaliter; et ſi contigerit ipſum peccare, poſtea probatur per hoc, quòd prima non fuit vera pœnitentia. Muniunt ſe authoritatibus multis*, quas allegat, & ſunt illæ, quas allegat Magiſter ſententiarum, nempè ea ipſa loca Iſidori, Auguſtini, Gregorii, quæ ſolent nunc paſſim afferri ab Adverſariis noſtris, & in eundem finem, videlicet ut probent, ex relapſu debere colligi defectum præcedentis propoſiti, ac proindè abſolvendos non eſſe, qui relapſi ſunt, niſi diù ſe continuerint.

Reſpondet autem ſic. *Ad hoc dicendum, quod verba poſita in auctoritate prædicta Ambroſii, & ſimilibus non ad diverſa tempora, ſed ad illud in quo quis pœnitet, ſunt referenda, ſcilicet ut tempore quo plangit commiſſa mala, non committat opere, vel voluntate flenda*. Quamvis autem hæc eadem reſpon-

ſponſio tradita fuerit antea à Magiſtro ſententiarum, & poſtea à S.Tho.& reliquis,contemnitur tamen ab Adverſariis noſtris,inter quos Jveninus in Commen. Hiſtorico Dogm.diſſer.6.q.9.c.4.a.7.dicit,*nihil reponi poſſe ad hæc Patrum teſtimonia magis inconditum*.

Illam verò ſententiam libri de vera, & falſa pœnit. Auguſtino attributi; *Charitas quæ deſeri poteſt, nunquam vera fuit*, ſic interpretatur. Non fuit vera ideſt *incommutabilis*, ſeu *perfecta*. *Ita charitas ſemel habita non poteſt amitti, ſcilicet ſi eſt perfecta, ſi autem eſt imperfecta, amitti poteſt, hoc patet in Adam, qui habuit charitatem, poſtea amiſit*, & concludit. *Sufficit ad veritatem pœnitentiæ, ut quis plangat præterita, & proponat in animo plangenda iterum non committere*. Quibus confirmatur (quod alibi monui) hanc fuiſſe communem praxim, nihil à confitentibus exigere aliud circa pœnitentiam internam, quàm hunc dolorem, & propoſitum, relictâ diſputantibus controverſia de motivo habendo in his actibus, quod ad praxim pertinere non putarunt, cùm optimè ſcirent, motivum dolendi in iis, qui accedunt ad Confeſſionem, ut reconcilientur, ſemper eſſe ſupernaturale, quod omninò requiri certum erat.

2 §. 6. *Species pœnitentiæ ſunt tres, nam alia eſt ſolemnis, alia publica, alia privata*. Hanc diſtinctionem pœnitentiæ ſolemnis à pœnitentia publica irridet Merbeſius de Pœnit. diſſert.6. qu.78. in fine, dicitque hanc *diſtinctionem, imò aberrationem profectam eſſe ex Gratiani inconſiderantia, vel cæcutientia*

*tia cuilibet eruditio cognita.* Ita nimirum de ſummis viris loquuntur Doctores ſcuerioris Theologiæ profeſſores. Ego verò malim cęcutire cum Gratiano, S. Raym. S. Th. S. Bonav. aliiſque ſic diſtinguentibus, quàm videre cum Merbeſio. Sed verè Merbeſius cęcutit, cum manifeſtum ſit, non omnem pœnitentiam publicam fuiſſe ſolemnem, cumque unam ab altera perſpicuè diſtinguat S. Auguſtinus homil. ult. ex 50. cap. 11. ubi ſic. *Judicet ſe homo voluntate dum poteſt, ne, cùm jam voluntate non poterit, pręter voluntatem judicetur à Domino. Veniat ad Antiſtites, per quos illi claves in Eccleſia miniſtrantur, & tanquam jam incipiens bonus eſſe Filius, maternorum membrorum ordine conſtituto, à Præpoſitis Sacramentorum ſatisfactionis ſuę modum accipiat, & in offerendo ſacrificio contribulati cordis devotus, & ſupplex permaneat. Id tamen agat, quod non ſolùm ipſi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cęteris ad exemplum, ut ſi peccatum ejus non ſolùm in graui ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo aliorum eſt, atque hoc expedire utilitati Eccleſię videtur Antiſtiti in notitia multorum* (en pœnitentia publica non ſolemnis) *vel etiam totius plebis* (en pœnitentia ſolemnis, quæ agebatur in cinere, & cilicio coram univerſa Eccleſia) *agere pœnitentiam, non recuſet, non reſiſtat: ne lethali plagę per pudorem addat tumorem.*

3 Addit Raymundus, pœnitentiam ſolemnem *debere imponi pro crimine publico, & vulgatiſſimo, quod totam commoverit Urbem.* Quin agens de ipſa pœni-

pœnitentia publica non ſolemni, dicit, *nec ipſam debere imponi, niſi pro crimine enormi, & manifeſto*. Quæro, cur id aſſerat ipſe, & reliqui communiter ejus ævi Doctores? Certè vel ex traditione, vel ex ratione ipſa dictante, non poſſe tam gravem pœnitentiam, niſi pro publico, & graviſſimo delicto imponi. Errant igitur, qui dicunt publicam, imò & ſolemnem pœnitentiam à Baſilio, Gregorio, aliiſque deſcriptam, fuiſſe perſepè, & pro omnibus ferè delictis impoſitam.

4 §. 8. Agens de prima parte Sacramenti Pœnitentiæ, nempè de contritione, ſupponit, imò dicit, eâ remitti peccatum ante abſolutionem. Incertum eſt autem, an putarit eſſe omninò neceſſarium habere in Sacramento id genus contritionis. Incertum eſt etiam, an putarit eam ſolam contritionem expellere per ſe peccatum, quæ concipitur ex charitate, de qua nihil agit, contritionem definiens per ea ſola duo prædicata doloris, & propoſiti, eaque ejus motiva, & cauſas recenſens §. 9. quæ ſunt potius motiva timoris, ſpei & gratitudinis, quam charitatis. Incertum eſt etiam, an adhæſerit eorum opinioni, qui tunc docebant, Sacerdotem non abſolvere à reatu culpæ, ſed declarare, quod pœnitens eſt à Deo per præviam contritionem abſolutus, idque ſolum certum eſt, eum ſi hac in re nobis contrarius fuit, contrarium fuiſſe etiam Adverſarii noſtris, dum, ſi contritionem in Sacramento poſtulavit, eam poſtulavit, quæ ante abſolutionem Sacerdotis cum Deo reconciliaret, idque ex falſa ea perſuaſione cir-

ca

ca poteſtatem clavium, qua decepti tunc aliqui fuere, quam poteſtatem neſcio an ſatis reipſa tueantur, qui etiam nunc contritionem exigunt in Sacramento conceptam ex charitate, nempè contritionem fortè perfectiorem ea ipſa quæ per ſe juſtificat, ut dicetur cum de Scoto ſermo erit.

5 §. 21. Reſpondens quærenti quæ ſint peccata mortalia, quæ venialia ſic habet.poſt multa, *Unum tamen conſulo, quod non ſis nimis pronus judicare mortalia peccata,ubi tibi non conſtat per certam ſcripturam eſſe mortalia : ſed potes dicere eſſe peccata, & inducere homines ad pœnitentiam de talibus, aliàs enim poſſent induci homines citò in deſperationem* ?, Cùm ergo variant circa hoc Authores, & aliqui dicunt illud eſſe aut uſurarium, aut ſimoniacum, aut alio ex capite graviter illicitum, & alii negant, & utrique probabiliter, jam Confeſſarius ex Conſilio S. Raymundi non pronunciabit eſſe mortale. Cum enim probabilis eſt ſententia negans eſſe mortale, jam *non conſtat ex ullo loco Scripturæ* quod mortale ſit.

6 §. 23. Sic docet. *Debet Confeſſio eſſe frequens &c. ut ſi frequenter quis cecidit per peccatum etiam mortale, frequenter reſurgat per pœnitentiam*. Putavit igitur etiam relapſorum pœnitentiam eſſe ſubindè veram pœnitentiam, per quam ſatis diſponuntur, ut validè, & fructuosè abſolvantur, nec voluit, ut his communiter differatur abſolutio, donec non relabantur amplius, de qua dilatione ne verbum quidem habet.

§. 28.

7 §. 28. Monet Confeſſarium, ut *cognitis peccatis adſit benevolus paratus erigere, & ſecum onus portare, habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, diſcretionem in varietate: adjuvet confitentem orando, eleemoſynas, & cætera bona pro eo faciendo, ſemper eum juvet leniendo, conſolando, ſpem promittendo, & cum opus fuerit, etiam increpando*. Mirùm, quòd cum hìc, & in toto hoc tractatu tam multa moneat confeſſarium non neceſſaria, ut quod oret pro pœnitente, & pro eo eleemoſynas faciat, nihil habeat de differendâ abſolutione pœnitentibus ſæpè relapſis, aut peccandi conſuetudine implicitis.

8 §. 30. *Debet pio dulci, ac ſuavi alloquio inducere Pœnitentem ad confeſſionem & compunctionem, proponens ei beneficia, quæ contulit ſibi Deus, & præcipuè circa paſſionem: item quia non venit propter juſtos, ſed propter peccatores &c. Item ſuadeat ei, quod non verecundetur confiteri; quia non homini confitetur, ſed Deo. Item quia in pœnitentia confeſſus pro abſoluto habetur. Si verò non vult confiteri, proponat ei terrores judicii, pœnas inferni. Poſt hoc audiat ſimpliciter confeſſionem ſuam*. Hic ſupponit, pœnitentem, qui accedit indiſpoſitus, diſponi adhortatione Confeſſarii, & curſus eum prædicta adhortatione commotum, vult audiri, & abſolvi, quod eſſe faciendum negant aliqui modò, ſi præſertim ſolo timore concutiatur pœnitens, ut is concutitur de quo agit poſtremo loco Raymundus.

9 §. 34. Agens de ſatisfactione dicit, eam conſiſtere

ſiſtere in oratione, jejunio, & eleemoſyna, quæ tamen tria dicit eſſe latiſſimè intelligenda. Incipiens enim ab eleemoſyna ſic habet. *Eleemoſyna autem eſt triplex prima conſiſtit in cordis contritione, quando aliquis ſe offert Deo. Secunda conſiſtit in compaſſione proximi. Tertia conſiſtic in largitione manuali, advocatione, cura corporali, & ſpirituli, & breviter in quocunque conſilio, & ſubſidio, quod impendimus proximo.*

§. 35. *Carnis autem maceratio conſiſtit in quatuor, ſcilicet orationibus, vigiliis, jejuniis, & flagellis,* ſubdit paulò poſt, *ſemper orat, qui ſemper benefacit. Item Auguſtinus, ipſum deſiderium boni oratio eſt, etſi continuum eſt deſiderium, continua eſt oratio.*

§. 37. *De tertiò, ſcilicet de jejuniis, nota, quòd eſt triplex jejunium, primum eſt corporis à cibo materiali; ſecundum affectus, à gaudio temporali; tertium ſpirituale, à peccato mortali.* Quid ad has adeò benignas juris interpretationes dicent recentiores quidam juris interpretes adeò ſeveri?

§. 38. *De quarto & ultimo ſcilicet de flagellis, nota quod quadripartita ſunt. Primum conſiſtit in armis pœnitentialibus, ſcilicet in cinere, cilicio, & lacrymis. Secundum in pectoris tunſione, jugi genuflexione, & diſciplinis. Quartum in tribulatione, & cujuslibet ægritudinis afflictione. Unde Sacerdos debet dicere Pœnitenti, quod omnia iſta ſatisfactionis opera ſunt ei pro parte pœnitentiæ, & valebunt ei omnia, ſi adſit devota pœnitentia.* Igitur ex Raymun-

mundo, per illam Confeſſarii ſententiam, *Quidquid boni egeris, & mali patienter ſuſtinueris*, & bona quæ facimus, & mala quæ patimur, *ſunt nobis pars pœnitentiæ* ſacramentalis de hac enim hìc agit Raym.

§. 39. *Ad illud quod non liceat pœnitentibus exercere militiam, officium, vel negotium priſtinum, dico quod poteſt intelligi de ſolemniter pœnitentibus qui non debent ſæculariter vivere*. Non igitur redarguendi ſumus, dum aliqua duriora, quæ Patres exigunt à pœnitentibus, dicimus ea *poſſe intelligi de ſolemniter pœnitentibus*, non verò de omnibus Pœnitentibus: Subdit ibidem Raymundus. *Poteſt etiam intelligi, quando deliquit in ipſo officio; vel planius, quando ſibi eſt injunctum in pœnitentiâ. Vel dic, quod honeſta poterit exercere poſt peractam pœnitentiam, dum tamen in eis vitet peccatum, turpia verò non*.

10 §. 40. Docet, ab Ambroſio dictum fuiſſe *ad terrorem* quod ignorantia culpabilis eſt maximum peccatum, vel ad ſignificandum quod eſt peccatum *periculoſiſſimum*. Norat enim Raym. non rarò Patres, ubi de moribus agunt, loqui cum quadam exaggeratione, & eſſe benignè explicandos, ut benigniſſimè explicat §. 41. illud Gregorii *Prolixior debet eſſe pœnitentia, quam fuit culpa*, ſubdens, *hoc intellige de interiori pœnitentia &c. vel de pœnâ quam ſuſtinemus pro peccato primi hominis*. Hæc, ſi noſtra interpretatio eſſet, ingens apud quoſdam flagitium eſſet.

§. 41.

11 §.41. & ſequentibus docet, quas pœnitentias Canones pœnitentiales ſtatuant, ſed poſtea

§.46. *Sic monet ex diligenti inſpectione prædictæ regulæ cum exceptionibus ſuis, poterit ſtudioſus & diligens indagator invenire proceſſum ad ſatisfactionem, pro diverſis criminibus, ſecundùm pœnitentiales Canones imponendam; nec debet Sacerdos à forma prædicta recedere, niſi propter cauſam, & in hoc conſiſtit ejus arbitrium, ſcilicet pro qua vel pro quibus circumſtantiis, & quantum, & quando poſſit augeri, vel minui pœnitentia canonica, ET HÆC EST OPINIO QUORUNDAM &c. Alli verò dicunt indiſtinctè omnes pęnitentias eſſe arbitrarias* (nempè non dari obligationem reſpiciendi Canones pœnitentiales) *& hanc ultimam opinionem videtur amplecti conſuetudo. Prima tamen eſt tutior, licet difficilior. Verùm quamcunque opinionem teneas, nota quod tria ſunt crimina quæ impediunt matrimonium &c.* Permittit igitur ſequi utramlibet.

12 Quàm verò ipſe mitis hac in re eſſet, manifeſte demonſtrat §.49. ubi proponit hanc quæſtionem. *Quid ſi aliquis pęnitet de peccatis, vel dicit, ſe pęnitere, non tamen vult ſubire onus pęnitentiæ, dicens ſe tenerum, valetudinarium, vel malè compleplexionatum, vel ſimile.* Sic enim reſpondet. *Videtur, quod non, quia perfecta pęnitentia cogit peccatorem omnia libenter ſufferre &c. Item quia charitas omnia vincit &c. Cum ergo iſte non ſit paratus omnia libenter ſufferre, patet, quod nec habet charitatem. Ad hoc dico, quod ſi dicit, ſe pęnitere de pec-*

*catis & proponit de cætero abſtinere, cùm allegans fragilitatem recuſat ſatisfactionis. aſperitatem, debet Sacerdos primò ipſum inducere, ut animum habeat paratum ad omnem ſatisfactionem, oſtendendo ſibi magnitudinem peccatorum, quot, & quanta bona amiſit &c. oſtendat etiam quantam pęnam ſuſtinuit Adam, & etiam totum genus humanum uſque in finem ſæculi, tantummodo quia guſtavit de pomo ligni vetiti; quanta ergo pena debetur tantis, quæ tu commiſiſti &c. Si non poteſt eum ad hoc inducere, imponat ei talem ſatisfactionem cum voluntate ſua, quam utiliter poſſit portare, ne fortè poſtea frangendo, deterius peccet. Invitant nos ad hoc multa, primò exemplum Domini, qui nunquam legitur gravem pęnitentiam injunxiſſe Jo: 8. Vade & amplius noli peccare. Item Jo: Chryſoſt. ſuper illum locum, alligant onera gravia: & importabilia: Si erramus modicam pęnitentiam imponentes, nonne melius eſt propter miſericordiam rationem dare, quam propter aliquam crudelitatem? Item in Evangelio, nolite mittere vinum novum in utres veteres &c. Ad hoc autem præcisè laboret, ut peccator cauſas, & radices removeat, & omnem occaſionem peccandi pro poſſe tollat. Auguſt. ſatisfactio pęnitentiæ eſt peccatorum cauſas excidere, nec ſuggeſtionibus earumdem aditum indulgere. Item, ſi non poteſt gaudere Sacerdos de omnimoda ejus purgatione, gaudeat ſaltem quia ipſum liberatum à gehenna ad purgatorium poſſit tranſmittere.* Hæc eſt doctrina Raymundi, Pontificum Pœnitentiarii, & inſignis Pœnitentiæ Miniſtri,

ut

ut eum vocat Eccleſia, prorsùs oppoſita doctrina, quam modò tradunt aliqui circa ſatisfactionem, ac diſpoſitionem in Pœnitente requiſitam, & circa fidem Pœnitenti atteſtanti præſtandam. Et quidem quod attinet ad diſpoſitionem, patet, hic non exigi ab eo contritionem ex charitate manantem; hìc enim ad difficultatem, petitam ex eo quod *charitas omnia vincit*, nihil reſpondet. Nec ſanè pœnitens delicatus hìc deſcriptus videtur habere charitatem. Rursùs expreſsè Auctor monet, ut Confeſſarius *ad hoc præcisè laboret*, ut is, quem pœnitet vitæ præteritæ, proponat non peccare ampliùs, adeoque *removeat pro poſſe omnem occaſionem peccandi, eique ſatisfactionem imponat cum voluntate ſua*, quam videlicet ille non recuſabit, ſed libens acceptabit, adeoque *poterit utiliter portare*. Cum verò hæc eadem tunc & poſtea fuerit aliorum quoque Doctorum ſententia, & praxis, ut infra conſtabit, jam ex communi praxi eorum temporum non eſt neceſſarius in hoc Sacramento dolor,qui prodit ex charitate,quam qui habet, non ità facilè recuſat impoſitas pœnitentias, ut ipſi Adverſarii docent, ſoliti proinde rejicere ut indiſpoſitos hujuſmodi pœnitentes.

13 Libet adnectere doctrinæ Raymũdinæ quandam ejus Gloſſatoris doctrinam quæ non parùm facit ad rem præſentem. Is lib. 4. de matrim. §. 10. V. *abſtinendum*, refert opinionem dicentium, quod tam maritus, quam uxor peccant mortaliter exigendo debitum matrimoniale tempore menſtrui, poſtea ſubdit. *Alii dicunt, quod exigere in menſtruo*

*debitum ſcienter, non eſt peccatum mortale inter conjugatos, ſed tantum veniale; prima tamen opinio videtur verior, & magis conſonat authoritatibus Sanctorum; in talibus autem non eſt præcipitanda ſententia in foro pœnitentiali, nec deneganda abſolutio, ſi nolit conjugatus tempore menſtruorum continere, ſed via tutior eſt conſulenda, & terror ex periculo incutiendus.* Hactenus Gloſſator qui, ut audis, permitti vult Pœnitenti, ut ſequatur opinionem oppoſitam veriori, & probabiliori, eaque verba addit notatu digniſſima, *non eſſe in foro pœnitentiali præcipitandam ſententiam*, denegando videlicet abſolutionem iis, quos alii Doctores probabiliter judicant abſolvi poſſe.

## §. III.

### *Doctrina B. Humberti de Romanis.*

PAulò poſt Raymundum, nempè anno circiter 1260. B. Humbertus de Romanis totius Ordinis Generalis Magiſter quintus librum ſcripſit *de omnibus Officiis Ordinis Prædicatorum à Generali uſque ad Janitorem Conventus*, ut dicit Altamura in Bibliotheca hujus Ordinis, & cum eo reliqui omnes, quotquot, aut ante ipſum, aut poſt ipſum (ſunt autem plurimi) de Humberto ſcripſerunt; idque conſtat argumentis adeo invictis, juxta ea, quæ dixi in Francolino Vindicato cap. 5. ut is ſolus hunc librum Humberto demere poſſit, qui aut oculos non habet, quibus videat, aut claudit, ne videat.

In

In hujus libri capite 46. exhibet Humbertus Confeſſariis ſui Ordinis longam Inſtructionem, quam continere praxim tutiſſimam, ſanctiſſimam, & in Eccleſia tunc uſu communi receptam, fatebitur quicunque perpendet, eam Ordini præclariſſimo recèns fundato, quique tunc ſanctiſſimis, doctiſſimiſque viris florebat, propoſitam fuiſſe à Generali Magiſtro ſanctiſſimo, quique, quàm procul fuerit ab ambitu, & cupiditate placendi viris potentibus, ac divitibus, quâ multos Doctores ad nimiam benignitatem inflecti, dictitant Adverſarii, nos docebit Altamura prædictus, & Humbertus ipſe, cujus epiſtolam, in qua ejus ſanctitas lucet, & eminet, infra recitabo.

Sic autem de eo Altamura in ſua Bibliotheca centuria 1. ann. 1274. *Beatus Humbertus de Romanis Burgundus Diœceſis Viennenſis olim totius noſtri Ordinis Generalis Magiſter V. Religionis exemplar & decus, ceremoniarum pater, ac de omnibus bonis diſciplinis optimè meritus. Antequam induiſſet habitum Ordinis legerat Logicam, & Philoſophiam publicè in Univerſitate Pariſienſi. Cooptatur Religioni in Conventu Pariſienſi &c. Antequam electus eſſet Generalis Magiſter Ordinis, legerat Theologiam in pluribus Conventibus, & præſertim Lugduni, ubi etiam fuit Prior &c. Budæ uno omnium conſenſu Magiſter Generalis eligitur ann.* 1254. *Propter magnam opinionem, quæ habebatur de illo, concurrit adhuc ſimplex frater cum Innocentio IV. in electione ſummi Pontificatus, dignus revera, Orbi*

*ut imperaret. Anno* 1263. *Londini, ut ſibi ſuſpiratam redderet pacem, totius noſtri Ordinis Magiſterio ſua ſponte ſe abdicavit, ſicque ut ſolitariè viveret, & ſanctiſſimè, Lugdunum retulit pedem. Sub hoc tempore Pontifex Maximus Humberto Patriarchatum Hieroſolymitanum obtulit: at ille conſtantiſſimè oblatæ dignetati renunciavit: maluit enim in paupertate vitam ducere intra clauſtra quam præeſſe &c.* Poſt abdicatum Magiſtratum *ſupervixit annis undecim. Objit plenus bonis operibus hoc anno* 1274. *die* 15. *Januarii quadraginta quinque dies ante obitum Divi Thomæ Aquinatis.*

2 Epiſtola autem, in qua totus ejus animus propoſiti conſtans, Religioſæ diſciplinæ & humilitatis amantiſſimus elucet, ea eſt, quam ſcripſit ad Albertum Magnum, ut eum ab acceptando Epiſcopatu Ratiſponenſi deterreret, & affertur à Fratre Jo: Michaele Piò in vitis hominum Illuſtrium ſui Ordinis Prædicatorum lib. 1. num. 88. ubi agens de Alberto Magno ita ſcribit Italicè.

„ Urbano IV. allora Pontefice dichiarò l'an-
„ no 1262. Veſcovo di Ratisbona Fr. Alberto, che
„ come era il primo Letterato de' tempi ſuoi, così
„ haveva pochi pari ancora nella ſantità della vi-
„ ta &c. Quando s'inteſe nell'Ordine, che egli era
„ ſtato aſſonto al Veſcovado, non ſi puote eſpri-
„ mere il dolore, e l'angoſcia commune de' Frati:
„ & il Generale Fr. Umberto de Romani in ſpe-
„ ziale pieno di lacrime gli ſcriſſe una lettera. „ Eſt autem quæ ſequitur.

„ Al

3 „ Al noſtro dilettiſſimo in Chriſto Fra Al-
„ berto Lettore di Colonia. Fra Umberto ſervo
„ inutile de' Frati Predicatori ſalùte in Cielo, e
„ glorioſi meriti, ed eſſempj in terra. La nuova,
„ che quaſi volando è venuta a noi dalla Corte Ro-
„ mana, ne ha riempiuto l'animo d'amaritudine,
„ e ſenza dubbio che ne havrebbe anche tolta la
„ vita, ſe non ci conſolaſſe alquanto la ſanta fidu-
„ cia, che habbiamo in voi, che non habbiate a
„ fare ſe non quello, che è bene. Intendiamo qual-
„ mente ſete ſtato nominato per Veſcovo, e che
„ molti v'aſtringono ad accettarlo. Che il Papa ſia
„ di queſt'animo non me ne meraviglio. Ma che
„ voi habbiate à conſentirlo, queſto non ſi può da
„ me credere. E chi vorrà mai credere, che un
„ voſtro pari, nell'ultimo della voſtra vita, doppo
„ tanto onor voſtro, e di tutto il noſtro Ordine da
„ voi tanto illuſtrato, voglia ora tirarſi addoſſo
„ una tal nota? E chi ſi troverà ora, dilettiſſimo
„ Fratello (non dico ſolamente della noſtra, ma
„ eziandio di qualunque altra Religione) che per
„ l'avvenire habbia a ripugnare a così fatti com-
„ mandamenti, ſe voi ſenz'altra replica l'accetta-
„ rete, e ſenza dar quell'eſſempio, che di voi s'a-
„ ſpetta, a tutti gli altri, iſcuſandovi quanto a voi
„ ſia poſſibile, e fuggendo un tal carico? Chi anco
„ tra ſecolari non ſi ſcandalizerà ſentendo di voi
„ tal coſa? Chi potrà più immaginarſi, che di cuo-
„ re amiamo la povertà? Chi non ſi darà ad inten-
„ dere, che la toleriamo per non poter far altro,

„ finchè habbiamo qualche occaſione d'uſcirne ? Io
„ vi prego Fratello mio, che non vogliate laſciarvi muovere da' conſigli, ne da' preghi di molti
„ Signori, e Perſonaggi della Corte, i quali poichè han fatto tutto quello, che vogliono di noi
„ altri, ſe ne ridono, e ſi burlano tra loro de' fatti
„ noſtri. Ne tampoco dovriano sbigottirvi i trava-
„ gli, e le tribulazioni dell'Ordine (innuit graviſſimam perſecutionem,quam paulò ante totus Or-
„ do paſſus erat) che quando anche foſſino al pre-
„ ſente maggiori di quelle, che habbiamo patito,
„ e poteſſino dar da fare, e mandare a terra molti
„ altri, non temiamo però in verun modo per que-
„ ſto conto di voi, ſapendo beniſſimo, quanto poſ-
„ ſano ſopportare le ſpalle d'un tal Gigante, quale
„ ſappiamo eſſer voi. Ne meno devono inclinarvi
„ a queſto i precetti del Papa, perchè non ſono
„ mai ſtati ſoliti i Pontefici di sforzare alcuno in ſi-
„ mil caſo, quando l'habbiano veduto efficacemen-
„ te reſiſtere. Anzi che una tal reſiſtenza non ſuole
„ ſcemar niente la buona opinione, che altri ha-
„ veſſe appreſſo degli huomini, ma augumentarla
„ più toſto. Conſideri di grazia un poco la pru-
„ denza voſtra quel tanto che à molti altri è ſucce-
„ duto, dopochè hanno conſentito di eſſer inalſati
„ a ſimili dignità, che honore hanno acquiſtato ?
„ che frutto hanno fatto, ed in ſomma qual fine è
„ ſtato il loro ? Andate pur penſando, e ricordan-
„ dovi, quanto ſia difficile nelle Chieſe della Ger-
„ mania, che un Veſcovo reſti inſieme libero dall'

„ offe-

„ offeſe di Dio, e dalle querele de' popòli. Final-
„ mente come potrà là voſtr'anima applicarſi tutto
„ il giorno a varii negozii occupandoſi nella con-
„ verſazione, e commercio tanto pericoloſo de'
„ peccatori? la voſtr' anima, dico, che tant'arden-
„ temente amare ſuole gli ſtudii della Scrittura Sa-
„ cra, e la purificazione della coſcienza? E ſe pure
„ pretendete il frutto dell' anime de' proſſimi, con-
„ ſiderate, vi prego, quanto per queſta mutazio-
„ ne dal voſtro ſtato a quello del Veſcovo ſiano per
„ patire molti voſtri Fratelli nella Religione, i
„ quali dalla ſantità della voſtra vita, e da' voſtri
„ eſempii tanto erano ſempre edificati. Ne ſola-
„ mente eſſi faranno gran perdita, ma eziandio
„ tutto il Mondo, che da i voſtri ſcritti ſoleva eſ-
„ ſer tanto illuſtrato, il che non potrà più eſſere:
„ occupandovi voi per l'avvenire in altri eſercizii;
„ oltrachè il frutto, che ſiate per fare, eſſendo Ve-
„ ſcovo è molto incerto. Conſiderate ancora, ca-
„ riſſimo noſtro, qualmente ora tutto il noſtr' Or-
„ dine, quaſi uſcito fuori dall' onde delle tribula-
„ zioni, ſi gode una gran ſerenità, trovandoſi mol-
„ to conſolato di queſta liberazione. Che ſarebbe
„ dunque di lui, ſe per qualche diſgrazia che in-
„ terveniſſe alla perſona voſtta, un' altra volta ha-
„ veſſe a tornare nel profondo dell' anguſtie, e tra-
„ vagli ſuoi. In ſomma vi dico, che io prego Dio
„ di vedervi prima dentro una bara eſſer portato
„ alla ſepoltura, che ſopra la Catedra Pontificale,
„ perchè vedendo così perduta negli altri la ſpe-

„ ran-

„ ranza d'ogni ſtabilità, e fermezza per il voſtro „ mal eſempio, non habbiano i noſtri a morire con „ queſto dolore, e con queſta mala contentezza. „ Per queſto adunque, diletto mio, colle ginoc- „ chia in terra, e con tutto il cuore vi domando „ per la ſanta umiltà della Vergine, e del ſuo Fi- „ gliuolo, che non vogliate laſciare lo ſtato della „ voſtra baſſezza: e che tutto quello, che l'aſtuzia „ del nemico Infernale ha procurato per danno, e „ ſcandalo di molti, glielo facciate tornar voi ſo- „ pra il capo con doppia gloria voſtra, e di tutti „ noi altri ancora. Pregovi Fratello, che vogliate „ riſpondermi in tal modo, che tanto a me, quan- „ to agli altri voſtri Fratelli habbiate a dar con- „ tentezza, cavandone da queſto gran travaglio, „ nel quale ora ci troviamo. La grazia del Signor „ Noſtro Gieſù Criſto ſia con voi.

4 Hæ litteræ profectò non ſunt animi mollis, adblandientis, meticuloſi, aut ſua commoda captantis, ſed potiùs ſeveri, & humana omnia contemnentis. Ea autem erat præclariſſimi hujus Ordinis ſanctitas, ut ejus Alumni ſanctiſſimi non ſolùm non cuperent mundanos favores, honoreſque, ſed eos in ſe, & ſuos Fratres deferri, ęgerrimè tolerarent. Debuiſſet igitur Humbertus, ut indoli, virtutique ſuæ, ſuorumque Alumnorum ſatisfaceret, proponere ſui Ordinis Confeſſariis praxim potiùs ſeveram, quam benignam, quod adeo non fecit, ut benigniſſimam propoſuerit, quia videlicet hæc erat uſu communi recepta, hæc experien-

rientiâ comprobata, hæc ut optima à Sanctis, doctiſque viris tradita. Illam quidem propoſui in meo Clerico Rom. & in Francolino vindicato ejus authoritatem propugnavi cap. 5. diſiectis omnibus quę contra eam commentus eſt Adverſarius meus qui impugnatione ſua illuſtriorem illam reddidit, cogitque me, ut hic iterum eam proponam, non integram quidem, nam longior eſt, ſed præcipuam ejus partem, qua Confeſſarium docet, quo Pœnitentem modo debet excipere, & audire, quo abſolvere, quo per impoſitam pœnitentiam curare.

5 Circa primum nempè circa modum quo Confeſſarius Pœnitentes debet excipere, & audire, hæc docet §. 10. *Ad officium Confeſſoris partinet omnes confiteri volentes benignè, & affabiliter recipere, & præcipuè illos qui rarò confiteri conſueverunt. Si autem aliquando magnæ perſonæ, de quibus credat, quod erubeſcant in communi auditorio confeſſionis videri, debet eos ducere ad alium locum magis ſecretum, & honeſtum. Omnes autem, qui neſciunt modum ſtandi in confeſſione, debet eos inſtruere, ut ſtent flexis genibus &c. Antequam verò incipiat confiteri, poteſt illis qui non ſunt aſſueti confiteri frequenter, aliqua verba dicere de pertinentibus ad confeſſionem; ut quærere de patria ſua, vel hujuſmodi, ut confitens interim ſumat audaciam ad confitendum, dum aliquantulum in hujuſmodi detinetur: deinde poteſt ei dicere, ut incipiat dicere quod ſibi placuerit. Quod ſi perceperit, eum ita reſpondere, quod neſciat confiteri, debet ei aliquam circa hæc inſtructionem facere.*

*Quod*

*Quod ſi nec ſic ſciverit confiteri, poteſt procedere ad inquiſitionem juxta prædictum modum.*

6 Circa ſecundum, nempè abſolutionem, hæc monet §. 3. *Circa abſolutiones verò notandum eſt, quod non eſt requirendum ab eo qui confitetur, juramentum, vel votum, vel alia obligatio, quod abſtineat à mortali, ſed ſufficit, quod habeat bonum propoſitum & bonam voluntatem abſtinendi ab omni peccato mortali, & ſpecialiter à luxuria & quod remittat odium, ſi quod habet contra aliquem, & quod velit ſatisfacere pro poſſe de injuriis, ſi quas fecit, & quod pœniteat de omni peccato mortali, quod fecit ad minus in generali. Si autem dicit ſe nolle, vel non poſſe abſtinere ab aliquo mortali, non eſt injungenda pœnitentia: ſed ſignificandum eſt ei, quod ſi decederet in tali ſtatu, damnaretur. Verùm dandum eſt ei aliquod conſilium, quod faciat, ut Deus illuſtret cor ſuum ad pœnitentiam: & dicendum eſt ei, ne in tali ſtatu communicet.* Et §. 8. *Non injungatur pœnitentia alicui*, ideſt non abſolvatur, *ſi habet officium, quod ſecundum conſcientiam ſuam ſine peccato mortali facere non poſſit, niſi deſerat id officium. Item ſi habeat aliquam aliam peccandi occaſionem, ex qua veriſimile eſt, quod non poſſit ſibi cavere à peccato mortali, niſi eam à ſe removerit, ut eſt cohabitatio mulieris ſuſpectæ, cum qua peccare conſuevit, pœnitentia non detur ei, niſi occaſionem illam à ſe removeat.* Et §. 9. *Cavendum eſt autem Confeſſori, ne unquam confitens ſcandalizatus recedat, ſed placet eum, ſicut poterit, ſi fortè non poteſt*

teſt

*teſt eum abſolvere, vel alia de cauſa in aliquo ipſum perceperit perturbari.*

7 Circa tertium, nempè circa pœnitentias hæc obſervari vult §. 8. *Circa injunctiones pęnitentiarum, ſimiliter oportet eſſe cautum, ut parvas injungat: melias eſt enim ponere humines in Purgatorio, quam in Inferno: habet enim Deus ubi purget filios ſuos, ſi non purgentur hìc. Dicat etiam, quando numerum orationum injungit: quod ſi aliquando non dixerit, non ei ad culpam imputetur, ad minus mortalem. Caveat etiam, ne multitudinem miſſarum injungat pœnitentibus, ne fiat eis occaſio committendi ſimoniam. Caveat iterum ne injungat pœnitentiam, unde ſequatur ſcandalum &c.* Et §. 10. *In pœnitentia verò iujungenda debet reminiſci, quod præter ea quæ injungit ſpecialiter, imponat ei etiam omnia bona, quæ fecerit in remiſſionem omnium peccatorum, & det ei poteſtatem cuicunque confiteri poterit, quod laxare poterit de pęnitentia ſibi injuncta ab eo ſi fortè viderit expedire.*

Quæ, rogo, benignior, & prudentior Inſtructio excogitari poteſt, quæ magis ſtudioſa in Pœnitentis infirmi commodum, & ſolatium?

8 Ut autem id appareat magis, notandum eſt 1. hunc ſanctiſſimum Inſtitutorem in reliquorum Officiorum inſtructionibus ad minutiſſima quæque deſcendere, & innumera monere, quæ nihil neceſſaria ſunt, ſed ſolùm utilia ad munus, de quo agitur, rite obeundum. Idque etiam facit in hac inſtructione Confeſſarii, quam propterea totam minimè recita-

citavi. Igitur tantùm abèſt, ut in hac Confeſſarii inſtructione aliquid neceſſarium omiſerit, ut etiam non neceſſaria, ſed ſolùm utilia propoſuerit, & quidem plurima. Cum ergo agens de tam multis neceſſariis, & non neceſſariis, quamvis cuique notiſſimis, dicat expreſſe SUFFICERE, quod pœnitens habeat bonum propoſitum, & bonã voluntatem abſtinendi ab omni mortali,& quod pœniteat de omni mortali; nihilque agat de interrogando pœnitente, an doleat ex charitate, qua Deus amatur propter ſe, an accedat ad confeſſionem poſt longam & conſtantem ceſſationem ab omni gravi peccato, nihil de differenda abſolutione iis qui non perſtitere conſtantes, vel qui aliquot menſium pœnitentiâ pravos habitus non ſuſtulere, & rursùs nihil urgeat Confeſſarium, ut ſeverus ſit in injungendis pœnitentiis, ut rejiciat recuſantes, aut ægrè ferentes,tanquam indiſpoſitos, ſed potiùs hortetur, ne ingens onus imponat, cum videlicet inde fieret ægro ſua curatio inutilis & odioſa, perſpicuè colligitur, ita factum tunc à Sanctis etiam viris fuiſſe, nec abſolutionem fuiſſe tam difficilè impenſam, nec dilatam, excepto caſu aliquo raro, ad quem leges non reſpiciunt, & ideo ejus non meminit Humbertus.

9 Notandum eſt 2. nunquam Humbertum,aliosque eorum temporum Doctores agere de pœnitentiis agendis ante abſolutionem, ſed ſolùm de iis quæ agebantur poſtea: hinc apud ipſos idem ſonat abſolvere, ac pœnitentiam imponere, & è converſo; idem veniam denegare, & pœnitentiam non injungere,

gere, & rursùs de pœnitentiis agunt quatenus ſolùm ſunt ſatisfactio pro culpa jam dimiſſa, & remedium contra relapſum, non autem quatenus Deum movent aliquo modò ad remittendam culpam: & ideò monent pœnitentem, ut eas peragant in ſtatu gratiæ: quamvis etiam per eas quæ fiunt extra, impleatur præceptum Confeſſarii. Non igitur tunc imponebantur, ut per eas Pœnitens non abſolutus probaret Confeſſario diſpoſitionem ſuam, veramque pœnitentiam, ſeque abſolutione dignum efficeret, excepto, ut iterum dico, caſu aliquo raro, ad quem leges non attendunt.

## §. IV.

### *Doctrina S. Thomæ Doctoris Angelici.*

EOdem tempore, quo Ordini Prædicatorum præfuit Humbertus, floruit S. Thomas, qui, ut paulò antè audiviſti, ſolis quadraginta diebus poſt ipſum obiit, ideoque, quamvis Humberto ſanctitate, ac doctrina longè ſuperior, debuit hìc à nobis, qui ſeriem temporum ſequimur poſt ipſum afferri. Ex multis pertinentibus ad pœnitentiam, quę ſcripſit, ſeligam ea, quę magis tangunt præſentes circa hujus Sacramenti conſtitutionem, & adminiſtrationem controverſias.

1 Ut autem incipiam à contritione, de quâ ſolet agi primo loco, tanquam de ea parte Sacramenti Pœnitentiæ, quæ reliquas prędecit, multa circa hanc S. Doctoris loca attuli in opere, quod edidi anno

anno 1706. *De Dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè ſuſcipiendum neceſſario* lib. 1. cap. 5. Hic ſeligam magis fortia, ut in hoc opere habeas ſaltem præcipua, quæ pertinent ad inſtitutum, utque magis conſtet, quàm inutiliter ea obſcurare conatus ſit Author recentiſſimus Operis de Contritione, & Attritione.

Et 1. noto, uti S. Thomas cenſuit, non eſſe neceſſarium in baptiſmo adulti dolorem peccatorum ex charitate conceptum, ſed ſufficere inferiorem pœnitentiam, idque expreſsè in 4. ſent. diſt. 6. quæſt. 1. art. 3. his verbis. *Ad hoc, quod homo præparet ſe ad gratiam in Baptiſmo recipiendam præexigitur fides, ſed non charitas, quia ſufficit attritio præcedens, etſi non ſit contritio*. Quibus verbis tria evincuntur maximi momenti: nempe nomine attritionis ſignificari à S. Doctore dolorem non conceptum ex charitate; rursùs poſſe haberi ſine charitate verum propoſitum non peccandi amplius, verumque dolorem, excludentem omnem voluntatem peccandi; nam is dolor & propoſitum, utique præexigitur ad Baptiſmum; tandem Catechumeno qui vult baptizari, ſufficere, uti dicebam, dolorem non conceptum ex charitate, & quidem nec conceptum ex charitate intenſa, nec conceptum ex charitate inchoata, alioquin eſſet falſa ea propoſitio, *non præexigitur charitas*, ſi præexigeretur charitas ſaltem inchoata, nam charitas inchoata eſt vera charitas, ſi ergo hæc præexigeretur, falſa eſſet ea propoſitio qua dicitur abſolutè, quod non præexigitur, ſicuti

ſicuti quia ad Baptiſmum præexigitur fides vera, licet non formata, falſa eſſet hæc propoſitio, qua diceretur abſolutè, *ad Baptiſmum non præexigitur fides*.

2 Dicunt Adverſarii, hic S. Doctorem non loqui de charitate actuali, ſed de habituali, ac docere, non præexigi hanc in Baptiſmo. Sed hoc eſt fucum facere, & præſidium quærere ex manifeſtiſſima falſitate. Nam certè S. Doctor loquitur hic de fide actuali, & hanc prærequiri docet. Ergo dum ſubdit, non requiri charitatem, loquitur pariter de charitate actuali, de qua ſola poterat dubitari. Et hoc modo intetpretati ſunt D. Thomam Thomiſtæ, iique ipſi qui putarunt, requiri in ſacramento pœnitentiæ charitatem ſaltem putatam, & ex hoc, aliiſque ſimilibus S. Thomæ locis impugnabantur, ut Victoria, & Soto, quorum poſtremus in 4. diſt. 12. quæſt. 2. art. 4. ingenuè confeſſus eſt, ab S. Doctore non exigi, ut catechumenus accedat ad Baptiſmum cum contritione, & quidem nec putata. Allato enim textu, in quo S. Thomas comparat Baptiſmum cum pœnitentia, ita ſubdit. *Obſerva comparationem hanc, qua Baptiſmum cum pœnitentia componit. Unde Thomiſtæ inferunt, quod ſicut quæſtione præcedenti ad 3. D. Thomas dixit, poſſe quempiam accedere cum conſcientia peccati mortalis ad Baptiſmum, ſcilicet cum attritione cognoſcens ſe non eſſe contritum, poſſit pariter ad pœnitentiam*. Nomine autem attritionis ſignificari hic à Soto dolorem nec ex charitate inchoata conceptum patet ex ipſo textu, & ex iis quæ dicam, cùm de hoc Doctore ſermo erit.

3 Noto 2. Uti,ſi non requiritur in Bapiiſmo dolor conceptus ex charitate, nec requiritur in Sacramento Pœnitentiæ. Id patet primò ex eo quod argumenta, quæ afferuntur ab Adverſariis, communia ſunt utrique Sacramento. Hinc Thomiſtæ, ut modò audiviſti ex Soto, ex eo quod poſſit quis accedere cum attritione cognita ad Baptiſmum, inferebant, poſſe etiam ſic accedere ad Pœnitentiam. Patet 2. ex communi conſenſu. Omnes enim *modò*, vel aſſerunt in utroque Sacramento requiri dolorem ex charitate ſaltem inchoata conceptum, vel in neutro. Atqui S. Doctor putavit, in Sacramento Baptiſmi non præexigi hunc dolorem, idque diſertiſſimè docuit in loco allegato,& in aliis communi Thomiſtarum judicio. Ergo putavit ſimiliter, non præexigi hunc dolorem in Sacramento Pœnitentiæ.

4 Nec dicere poſſunt, Sanctum Doctorem putaſſe tantùm, non requiri dolorem conceptum ex charitate ad valorem Baptiſmi; benè autem requiri ad fructum. Nam ſi requireretur ad fructum charitas, non diceret ſic abſolutè *non præexigitur charitas*,ſicuti nemo dicit abſolutè,*ad Baptiſmum adulti non præexigitur pœnitentia de peccatis commiſſis*, licet hæc requiratur ſolum ad fructum. Igitur S. Doctor, nec ad fructum eam præexigi docuit, & ita eum Thomiſtæ communiter interpretati ſunt; qui proindè docuerunt, ex S. Thoma licere ad Baptiſmum accedere cum attritione cognita; non liceret autem, ſi contritio eſſet ad fructum neceſſaria.

5 Sed clariùs lib. 4. ad Hannibaldum diſtin. 16.

quæſt. unica a.4. docuit, nec ad fructum eſſe neceſſariam contritionem, ſeu charitatem in Baptiſmo, & conſequenter, nec in Sacramento Pœnitentiæ. Pœnitentia (inquit) *ut eſt virtus dupliciter accipitur. Aut enim eſt virtus formata, & ſic non requiritur, quod de neceſſitate Baptiſmum præcedat, ſed quaſi per Baptiſmum cauſata, quia ſic virtute Baptiſmi, nunquam culpa actualis adulto remitteretur, cùm jam eſſet remiſſa. Vel ut informis virtus, ideſt quædam peccati deteſtatio, quamvis non omninò ſufficiens, et ſic requiritur, ut cauſa removens prohibens, ſed defectus ejus ſuppletur in Baptiſmo.* Igitur in Baptiſmo ſufficit ad fructum pœnitentia informis, ideſt non formata per gratiam, ergo nec concepta ex charitate inchoata, cùm idem S. Doctor diſtin. 17. in 4. qu.2. quæſtiunc.3. doceat, quod omnis contritio, quantumcunque parva ſit, adeòque concepta ex charitate etiam inchoata, & minima, delet omnem culpam, adeòque eſt Pœnitentia verè formata. In eadem quippè q.2. quæſtiun.2. contritionis intenſionem, & quantitatem ſumit ex quantitate charitatis.

*Cler.* Collectio eſt manifeſta, nec video quid reſpondere poſſint.

*Auct.* Reſpondent negando, quod ex S. Doctore omnis contritio concepta ex charitate remittat culpam.

*Cler.* Sed hoc expreſsè docet S. Doctor in textu allegato.

*Auct.* Dicunt ibi S. Doctorem loqui de contritione perfecta.

*Cler.* Igitur dum dicit S. Doctor, *Contritio parva delet omnem culpam* dicit, quod *contritio magna* ( uti eſt contritio perfecta, quæ nempè perficitur charitate robuſta ) *delet omnem culpam*! O mirabilem interpretationem. Ecquibus in poſterum vocibus ſatis claris utemur, ut intelligamur? Quis Scripturæ, aut Patrum textus fidem faciet, *ſi parvum, et quantumcunque parvum* dicatur ſignificare magnum?

*Auct.* Id ſanè mirabile eſt, ſed miraberis magis, ſi totum hunc S. Thomę articulum legeris. Cõtextus enim adeò non fulcit hanc mirabilem Adverſariorum interpretationem, ut eam magis evertat. Articuli enim titulus is eſt, *Utrum contritio parva ſufficiat ad delectionem magnorum peccatorum.* Hic certè nomine contritionis parvæ non ſignificat contritionem perfectam, tùm quia erat extra controverſiam, quod contritio perfecta, nempè formata charitate magna, valdè incenſa, & robuſta delet etiam magna peccata, tùm quia cùm contritio perfecta, & formata charitate robuſtâ, & valdè intensâ ſit, ut benè dicebas, ipſiſſima contritio magna, ea verba facerent hunc ſenſum, *Utrum magna contritio quamvis parva, ſufficiat ad deletionem magnarum culparum*? quo quid magis ineptum? Igitur nomie contritionis parvæ ſignificavit S. Doctor contritionem imperfectam, ſeu cõceptam eſt charitate imperfecta, remiſſa, & ſolum inchoata, & quærit, utrum hæc ſufficiat ad deletionem magnorum peccatorum. Ergo dum poſtea reſpondet, hanc ſufficere, jam reſpon-

ſpondet, contritionem cōceptam ex charitate etiam remiſſa, & inchoata ſufficere ad deletionem magnorum peccatorum. Idque ipſum in corpore expreſſit ſignificantiſſimè, docens dolorem contritionis poſſe eſſe ita parvum, ut non pertingat ad rationem contritionis, *ut ſi minus diſpliceret peccatum, quam debeat diſplicere ſeparatio à fine*, ſi videlicet non diſpliceret ſuper omne aliud malum, *ſicut etiam amor poteſt eſſe ita remiſſus, quod non ſufficit ad rationem charitatis*, ſi videlicet Deus ametur quidem propter ſe, ſed non ſuper omnia, ut debet amari finis, & concludit, uti dicebam, nempè quod ſi is dolor pertingat ad rationem contritionis, non ſolum delet peccatum lethale, ſed etiam magna peccata lethalia, imò omnia, quamvis ſit parvus, imò *quantumcunque parvus*. Clariùs & ſignificantiùs exprimere mentem ſuam nequiit. Nunc rogo Adverſarios, an contritio concepta ex vera charitate, ſed remiſsâ & inchoatâ; ſit vera contritio, & verè pertingat ad rationem contritionis, nempè doloris orti ex vera charitate? Non negabunt certè. Ergo talis contritio ex D. Thoma delet omnem culpam. Sed ex eodem S. Doctore non requiritur in Baptiſmo, & conſequenter nec in Sacramento Pœnitentiæ contritio delens culpam per ſe, & ſine Sacramento, ergo ex D. Thoma non ſolum non requiritur in his duobus Sacramentis contritio perfecta, & concepta ex charitate perfecta & adulta ac robuſta, ſed neque contritio orta ex charitate remiſſa & inchoata.

*Cler.* Iterum dico: argumentum eſt validiſſimum, nec eſt, cur in eo illuſtrando magis immoreris.

7 Noto 3. Non ſemel aſſeri à S. Doctore, ſatis eſſe in Baptiſmo, & Sacramento Pœnit. attritionem, ſeu diſpoſitionem inſufficientem, quæque prçcisè *removeat prohibens*, vel quæ *prohibeat fictionem*, vel ſatis eſſe dolorem imperfectum, *ſi tamen pœnitens non ponat obicem*, ſeu *ſi impedimentum non præſtet*, quibus ſignificat, ſatis eſſe eum dolorem, qui excludat fictionem, ſeu obicem, nempè voluntatem peccandi per verum propoſitum non peccandi. Ad id autem non requiri charitatem, ſeu dolorem ex motivo charitatis conceptum, eſt millies demonſtratum, & demonſtrabitur infra num. 10. Sanctum verò Doctorem eo modo loqui non ſemel, oſtendo afferendo loca. In 4. ſent. diſt. 16. qu. 1. a. 2. qu. 1. *Quicunque non deteſtatur peccatum, adhuc voluntatem in peccato fixam habet! cum voluntas ſemel ad aliquid fixa, ab illo non divellatur, quin actu, vel habitu in eo maneat, niſi per actualem diſſenſum ab illo vel in ſpeciali, vel ſaltem in genere; voluntas autem in peccato fixa manens, non eſt ſuſceptiva gratię baptiſmalis* (en obex gratiæ, qui removeri debet) *ideò requiritur ante Baptiſmum QUASI REMOVENS PROHIBENS peccati commiſſi deteſtatio, & deſtructionis ejus propoſitum, et ideò patet quod ante Baptiſmum requiritur pœnitentia &c.* Relege etiam locum ſupra allatum lib. 4. ad Hannibaldum. In eundem lib. 4. ſent. diſt. 17. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 2. ad

2. lo-

2. loquens de pœnitentia, ſeu motu liberi arbitrii prærequiſito ad Baptiſmum, *Qui quidem ad gratiam percipiendam quandoque ſufficienter diſponit, & tunc gratia infunditur ſtatim, ut dictum eſt, quandoque autem inſufficienter, & tunc talis inſufficientia non poteſt ſuppleri, niſi per alium actum liberi arbitrii, vel per Sacramentum, quod diſpoſitivè operatur, ut ſupra diſt.* 1. *dictum eſt, & propter hoc, ſine Sacramento nullus adultus juſtificari poteſt, niſi actualiter motu liberi arbitrii exiſtente, ſed per Sacramentum poteſt, SI TAMEN PRÆCESSIT MOTUS LIBERI ARBITRII PROHIBENS FICTIONEM.* Sic eàdem diſt. 17. quæſt. 3. art. 5. quæſtiunc. 1. *In actu confeſſionis, & abſolutionis, gratia augetur, & etiam remiſſio peccatorum daretur, ſi præcedens dolor de peccatis non ſufficiens ad contritionem fuiſſet, ET IPSE TUNC OBICEM GRATIÆ NON PRÆBERET.*

Quod ipſum dixerat antea de Baptiſmo, nempè remitti culpam vi contritionis ante ipſum Baptiſmum, ſubditque &, *ſi aliquis impedimentum non præſtaret, ex ipſa collatione baptiſmi gratiam conſequeretur remittentem peccata.* Diſtin. 18. qu. 1. a. 3. quæſtiunc. 1. *Si ante abſolutionem aliquis non fuiſſet perfectè diſpoſitus ad gratiam ſuſcipiendam, in ipſa confeſſione, & abſolutione Sacramentali gratiam conſequeretur, ſi obicem non poneret.* Vide, uti nunquam exigit aliud, quàm quod removeatur obex per peccati retractationem, & excludatur voluntas peccandi per verum propoſitum,

nec unquam meminit charitatis, cujus certè mentionem facere debuiſſet.

8 Noto 4. S. Doctorem nomine Contritionis ſignificare dolorem, qui concipitur ex aliquâ charitate, ſive ſolùm inchoata ſit, & remiſſa, ſive adulta, & perfecta; Id patet 1. ex primo textu quem ſupra allegavi, ubi probat non requiri charitatem in adulto, qui baptizatur, quia non requiritur contritio; quæ probatio eſſet ridicula & nulla, ſi contritio eſſet dolor involuens ſemper charitatem perfectam, nam eſſet hujuſmodi. *In adulto, qui baptizatur non requiritur charitas, quia non requiritur dolor involvens charitatem perfectam*, quæ ſanè probatio ridicula eſt & nulla. Patet 2. ex eo, quod ſi S. Doctor nomine cõtritionis ſignificaret dolorem, qui cõcipitur ex charitate perfecta, non quęreret, ut paulò ante dicebam, an contritio parva deleat omnem culpam, quia cõtritio quæ perficitur charitate perfecta adulta & robuſta, eſt contritio magna, adeòque nequit vocari abſolutè contritio parva, & ea quæſtio faceret ſenſum ridiculum, ut ſupra expendi. Patet 3. ex eo quod cum S. Doctor ubique recenſeat inter partes Sacramenti Pœnitentiæ contritionem, jam ſignificaret, contritionem quæ eſt pars Sacramenti eſſe eam, quæ concipitur ex charitate perfecta, & adulta, quod etiam judicio Adverſariorum S. Doctor nunquam docet, & conſtat eſſe falſum. Hoc poſito, ſic arguo. Ex S. Doctore in Sacramento Pœnitentiæ ſufficit dolor, qui non pertingit ad contritionem, ſed dolor qui non pertingit ad con-

tritionem eſt dolor, qui nec concipitur ex charitate inchoata, & remiſſa, nam ſi ex iſta concipitur jam ex D. Thoma eſt contritio, ut probatum eſt. Ergo in Sacramento Pœnitentiæ ſufficit dolor, qui nec concipitur ex charitate inchoatâ.

*Cler.* Collectio eſt evidens, ſi probetur major.

*Auct.* Hęc probata eſt paulò ante pluribus textibus, ſed eo pręſertim diſt. 17. qu. 3. art. 5. queſtiun. 1. ubi S. Doctor habet ea ipſiſſima verba. *In actu confeſſionis, & abſolutionis gratia augetur, et etiam remiſſio peccatorum daretur, ſi præcedens dolor de peccatis NON SUFFICIENS AD CONTRITIONEM FUISSET, & ipſe tuncobicem gratiæ non præberet.* Audis, uti expreſsè docet quod dicebam?

9 *Cler.* Dicent quod ea verba, *et ipſe tunc obicem gratiæ non præberet* faciunt iſtum ſenſum, *et ipſe tunc contritionem haberet ſaltem imperfectam, quæ concipitur ex charitate remiſſa, & inchoata*, ac proindè hanc ſaltem S. Doctor requirit.

*Auct.* Hoc dicere non poſſunt, nam pluribus S. Doctoris textibus oſtendi ſupra, quod ex S. Doctore obicem gratiæ non præbere eſt præcisè habere deteſtationem ſupernaturalem peccatorum commiſſorum, & propoſitum non peccandi amplius, hinc in adulto, qui baptizatur requirit ut obicem gratiæ non ponat, nec tamen requirit charitatem, ut ſupra oſtendi. Et quidem ſi obicem gratiæ non prębere, eſſet idem ac habere dolorem, qui concipitur ſaltem ex charitate inchoata, nempè eum dolorem, quem S. Doctor ſignificat nomine contritionis, ut

ſupra

ſupra oſtendi, jam ea propoſitio S. Doctoris, *In actu confeſſionis, & abſolutionis gratia augetur, & etiam remiſſio peccatorum daretur ſi præcedens dolor de peccatis non ſufficiens ad contritionem fuiſſet, & ipſe tunc obicem gratiæ non præberet* æquivaleret huic, *remiſſio peccatorum daretur ſi præcedens dolor de peccatis non ſufficiens ad contritionem fuiſſet, & ipſe tunc haberet contritionem*, quo quid magis inſulſum?

10 Noto 5. Uti ex doctrina S. Thomæ poteſt ſine charitate, ex motivo aliquo inferiori concipi verum propoſitum non peccandi amplius. Et primò S. Doctor 3. parte quæſt. 86. art. 3. in corp. docet, quod qui dolet de peccato aliquo, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum, jam dolet de omnibus mortalibus, quæ cognoſcuntur eſſe contra Deum ſuper omnia dilectum, nam (inquit) *ubi eſt eadem ratio, eſt idem effectus*. Ergo ſimiliter, qui verè dolet de mortali aliquo, puta de homicidio re & operâ commiſſo, quia tale peccatum eſt dignum gehennâ, ut certè peccator poteſt, jam verè dolet de omnibus mortalibus, & omnia verè deteſtatur, quæ novit per fidem eſſe digna gehennâ, nam intelligit hanc rationem ineſſe omnibus, & *ubi eſt eadem ratio eſt idem effectus*. Ergo is ex S. Doctore verè excludit omnem voluntatem peccandi, & concipit verum, & univerſale propoſitum. 2. Ex eodem S. Doctore diſt. 14. quæſt. 1. poteſt quis ex ſolo motivo ſpecialis virtutis pœnitentiæ, nempè expiandi peccatum, & ſatisfaciendi pro eo, verè & efficaciter pœnitere, nempè deteſtari efficaciter peccata,

adeò-

adeòque dolere de commiſſis, & proponere non peccare amplius, ac proinde poſitivè excludere omne voluntatem peccandi. Similiter ex communi doctrinâ, id poteſt facere ex ſolo motivo Religionis, Gratitudinis, & Obedientiæ. 3. Idem S. Doctor 3. par. qu. 85. docens per quos actus ſoleat ſucceſſivè perveniri ad perfectam pœnitentiam, quâ remittuntur peccata, ponit ante charitatem propoſitum, adeòque voluntatem excluſivam omnis voluntatis peccandi. *Primum principium* (inquit) *eſt Dei operatio, convertentis cor, ſecundùm illud Hieremiæ 6. Converte nos Domine ad te, & convertemur. Secundus actus eſt motus fidei. Tertius eſt motus timoris ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit PROPOSITUM EMENDANDI. Quintus actus eſt motus charitatis &c.* Quartò idem S. Doctor in textu quem initio recitavi, docet expreſsè, non requiri charitatem in adulto, qui vult baptizari, charitatem, inquam, actualem, ut interpretati ſunt ipſi Thomiſtæ ex Soto quem ſuprà allegavi. At abſque dubio cenſuit, in eo requiri veram ſupernaturalem, & efficacem deteſtationem peccatorum, excludentem omnem peccandi voluntatem; Igitur ex S. Thoma, poteſt ante charitatem, & ſine charitate, adeòque tam ſine charitate robuſta, quàm ſine charitate inchoatâ, & remiſsâ, haberi vera ſupernaturalis & efficax pœnitentia, & propoſitum excludens poſitivè omnem peccandi voluntatem, ac proindè falſum eſt ex S. Do-

S. Doctore, quod ſemper dicunt Adverſarii, eſſe neceſſariam charitatem ad hoc ut concipiatur prædicta vera pœnitentia, & propoſitum excludens efficaciter omnem peccandi voluntatem.

11 Noto demum, textus S. Doctoris, quos attuli, eſſe clariſſimos; & clariſſimè continere noſtram ſententiam, quæ docet 1. non eſſe neceſſariam in Baptiſmo charitatem. 2. Nec in Sacramento Pœnitentiæ eam eſſe neceſſariam. 3. quamcunque dilectionem veræ charitatis, & quamcunque contritionem ex tali charitate conceptam, quantumcunque parva ſit, expellere peccatum. 4. Sine Charitate verè excludi poſſe, & excludi voluntatem peccandi; itaut nullus Doctor has ſententias clariùs tradat, neque nos ipſi eas clariùs doceamus. Hujuſmodi non ſunt textus, qui nobis opponuntur ex eodem S. Doctore: nec conſtat primò, loqui in illis S. Doctorem potiùs de pœnitentiâ requiſitâ in Sacramento, quàm de pœnitentiâ perfectâ, quæ extra Sacramentum remittit culpam, quod certè non facit ſine charitate? Non conſtat ſecundò, loqui eum de pœnitentiâ ſacramentali, quatenus præcisè pars Sacramenti eſt; & non quatenus eſt actus meritorius pœnitentiæ, ut ſe loqui monet aliquando idem S. Doctor. Non conſtat tertiò, loqui eum de pœnitentia, quæ eſt per ſe cõtritio juncta charitati, & non de ea quę fit cõtritio virtute abſolutionis, de qua certè multi Doctores loquuntur, penès quos requiri contritionem in hoc Sacramento, eſt requiri actum qui aut eſt contritio, aut fit virtute clavium ſaltem extrinſecè elevante

te dolorem imperfectum ad id faciendum in Sacramento, quod per ſe facit contritio. Cùm autem textus obſcuri, aut minùs clari, ſint explicandi ex clariſſimis; jam colligitur, textus quos afferunt adverſarii, ex iis quos hìc attuli, eſſe explicandos, non verò illos eſſe per hos obſcurandos ut faciunt Adverſarii.

12. *Cler.* Sed videntur etiam clariſſimi aliqui ex teſtibus contra nos allatis à prædicto recentiſſimo Scriptore.

*Auct.* Recita quæſo illos.

*Cler.* Affert primo loco hunc ex 4. ſent. diſt. 20. qu. 1. a. 1. ad 1. *Non habuit veram pœnitentiam* Antiochus, *quia non ex amore juſtitiæ de peccatis commiſſis dolebat, ſed timore pœnę, quam expectabat, vel dolore pœnæ quem ſuſtinebat.* Igitur ex S. Doctore pœnitentia concepta ex ſolo metu non eſt vera pœnitentia.

*Auct.* Nempè remiſſiva peccati, qua indigebat Antiochus, qui non poterat juſtificari per Sacramentum Pœnitentiæ, quod nondum erat inſtitutum. Concedam quoque, eum Antiochi dolorem non fuiſſe veram, & virtuoſam pœnitentiam, quia ei defuit propoſitum emendationis, quod eſt amor juſtitiæ, nempè vitæ novæ & juſtæ, & ipſius gratię quę juſtos nos facit.

*Cler.* Affert ſecundo loco hunc. *Mens noſtra debitè ad Deum converti non poteſt ſine charitate.* lib. 4. contra Gent. cap. 72.

*Auct.* Nempè extra Sacramentum, nam in Sacra-

cramento, ut dicit in pluribus textibus, quos produxi, convertitur & juſtificatur peccator aliquando, etiamſi *dolor non ſufficiat ad contritionem*, adeoque ſit expers charitatis, ut ex dictis eſt ex S. Doctore dolor qui non eſt contritio. Vel, mens noſtra debitè ad Deum converti non poteſt ſine charitate aut actuali, aut habituali. In Sacramento autem quamvis ſuſcepto cum ſola noſtra attritione, confertur charitas habitualis.

*Cler.* Affert tertio loco quod dicit 1. 2. q. 113. art. 3. Corp. nempè hunc eſſe communem & conſuetum curſum juſtificationis, ut homo convertatur prius ad Deum per charitatem imperfectam, ſeu inchoatam, inde per charitatem auctam, tandem per perfectam. Igitur in Sacramento debet converti per charitatem, nam communiter peccatores juſtificantur in Sacramento adeoque is eſt communis, & conſuetus curſus juſtificationis.

12 *Auct.* Imò ex D. Thoma plerique extra Sacramentum juſtificantur per votum Sacramenti. Ex pluribus, quæ huic meæ propoſitioni probandæ afferre poſſem, afferam hæc pauca, quibus hanc ſuam ſententiam innuit. Diſt. 17. q. 3. art. 2. quæſtiun. 1. ſic habet S. Doctor. *In actu confeſſionis plura conſideranda occurrunt. Primò ipſa ſubſtantia actus, ſive genus ejus, quod eſt manifeſtatio quædam. Secundò de quo fit, ſcilicet peccatum. Tertiò cui fiat, ſcilicet Sacerdos. Quartò cauſa cujus, ſcilicet ſpes veniæ. Quintò effectus ejus, ſcilicet abſolutio à parte pœnæ, & obligatio ad aliam partem exolvendam.* Cur,

rogo

rogo, tacuit effectum principalem, nempè abſolutionem à culpa? Niſi quia cenſuit plerumque hunc effectum non præſtari à confeſſione, Pœnitente priùs per contritionem abſoluto, & quidem per contritionem conceptam cum ſola charitate inchoata, nam cum hac ad ſummum accedunt Pœnitentes ad Confeſſionem, non verò cum charitate adulta, & perfecta, quæ pauciſſimorum eſt. In hac eadem quæſtiunc. ad 2. ſic reſpondet: *Confeſſio præſupponit charitatem, qua jam vivus aliquis efficitur, ut in littera dicitur*. Igitur ex S. Th. regulariter confeſſio præſupponit charitatem juſtificantem, de hac enim ſermo eſt in littera. Dixi regulariter, nam S. Doctor alibi dicit, aliquando hunc effectum juſtificandi præſtari ab ipſo Sacramento, ut patet ex textibus ſupra adductis, & conceditur ab Adverſariis. In fine diſt. 17. in expoſit. textus, exponens illa verba. *Non poteſt quiſquam &c.* hæc habet. *Hæc tria purgantia ſic diſtinguuntur, quia Baptiſmus purgat à culpa originali, & actuali, ſed pœnitentia quantum ad contritionem à culpa actuali tantum: confeſſio autem actu exercita directè à pœna*. Et quare non dixit *à culpa*? Niſi quia, ut dicebam, putavit, evenire plerumque, ut qui juſtificantur, juſtificentur ipſo voto confeſſionis, cui voto, ut dicebam, ſolet in mille locis Sanctus Doctor attribuere juſtificationem, ut cauſæ ordinariæ ipſius. Hæc ſi advertiſſet, vel expendiſſet iſte recens Scriptor, non ita facilè dixiſſet, ex S. Thoma ſecundum ordinarium, & conſuetum curſum, non juſtificari

cari

cari peccatores extra Sacramentum, ſed in Sacramento.

13. *Cler.* Affert quarto loco quod S. Doctor dicit 3. p. quæſt. 84. art. 10. in corp. nempè *Ad veram pœnitentiam charitas requiritur, ſine quâ non delentur peccata.* Igitur pœnitentia expers charitatis non eſt vera & ſine charitate, Sacramentum peccata non delet.

*Auct.* Reſp. utramque propoſitionem niſi limitetur & exponatur, eſſe manifeſtè falſam in doctrina ejuſdem Divi Thomæ & aliorum. Nam in doctrinâ Divi Thomæ. datur virtus ſpecialis pœnitentiæ diſtincta à charitate, cujus actus quatenus præcisè eſt à motivo illo ſpeciali expiandi peccatum, & ſatisfaciendi Deo, poteſt præcedere charitatem, & eſſe in eo qui nondum habet charitatem, & eſt vera pœnitentia. Ita in communi ſententiâ deteſtatio peccatorum concepta ex motivo obedientiæ, aut gratitudinis eſt veriſſima pœnitentia, & poteſt dari etiam in eo qui nondum habet charitatem. Igitur ibi vera pœnitentia idem eſt ac perfecta pœnitentia: ſicuti communitèr Sancti dicunt, veram pœnitentiam eam eſſe, per quam plangimus peccata commiſſa, & nunquam plangenda committimus, quatenus perfecta pœnitentia eſt perſeverans.

14 Similiter ſecunda propoſitio, niſi reſtringatur, eſt falſa etiam in doctrina D. Thomæ, qui ſæpè docet, ut ſuprà oſtedi, in Sacramento Baptiſmi, & pœnitentiæ remitti, ac deleri peccata; quamvis abſit con-

contritio, quamvis abſit charitas, quamvis dolor non ſufficiat ad contritionem. Nomine autem contritionis & charitatis ſignificari à S. Doctore etiam eam quæ imperfecta eſt, & ſolum inchoata, manifeſtè oſtendi. Igitur, ut hæc ſententia communiſſima in Scripturis, & Patribus *ſine Baptiſmo nemo ſalvatur*, explicari debet aliis textibus, quibus iidem Patres ſic limitant, aut explicant hanc propoſitionem, ut ſenſus ſit, *neminem ſalvari ſine Baptiſmo, aut formali & reali aquæ, aut virtuali flaminis, & ſanguinis*, vel, *ſine Baptiſmo reali cum poteſt eo tingi*, ita illa propoſitio, *ſine charitate non delentur peccata*, ita debet exponi per alios ejuſdem S. Doctoris textus, quibus explicat ſeipſum, ut ſenſus ſit, *non deleri peccata ſine charitate, aut actuali, aut habituali*, vel *ſine charitate actuali non deleri peccata extrà Sacramentum*, vel abſolutè *ſine charitate, aut formali, aut virtuali*, quale eſt propoſitum non peccandi amplius, & obſervandi totam legem, ac proindè etiam præceptum charitatis, ex quocumque ſupernaturali motivo, etiam diſtincto à motivo veræ charitatis, hoc propoſitum concipiatur.

*Cler.* Jam habeo doctrinam generalem, quâ explicem reliquos textus, quos proindè afferre ſuperſedeo. E re noſtrâ magis fuerit, ut promas reliqua, quæ S.Doctor habet circa Pœnitentiæ Sacramentum.

15 *Auct.* Faciam,ut mones. Igitur idem S.Doctor in 4.diſt.14. quæſt.1. art.5, loquens de ſolemni

pœnitentia dicit, *non debet imponi niſi pro peccato, quod totam commoverit urbem*. Non dicit, *non imponitur*, *ſed non debet imponi* pro peccatis non ita enormibus, quia videlicet, eſſet nimis gravis, & majus detrimentum afferret quàm utilitatem. Non igitur verum eſt, quod aliqui dectitant, ſolemnes illas & canonicas pœnitentias à SS. Baſilio, Gregorio Nyſſeno, aliiſque deſcriptas, fuiſſe pro pleriſque peccatis non ita enormibus, imò nec publicis impoſitas; jam enim impoſuiſſet vetus Eccleſia eas pœnitentias, quæ per S. Thomam *non debent imponi*.

In expoſitione textus, ante diſt. 15. loquens de eadem ſolemni pœnitentia, cujus cœremonias ſolitas olim obſervari initio Quadrageſimæ, ac die cœnæ Domini, deſcribit in prædicta quæſt. 1. art. 5. dicit, eam non iterari, additque, *ut quidam dicunt*, quia videlicet non erat amplius in uſu tempore D. Thomæ, aut vix uſpiam peragebatur: quarè non potuit certò aſſerere, an verè ſoleret iterari.

16 Diſt. 16. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 5. in qua quærit, utrum circumſtantiæ ſint confitendæ, ſic reſpondet. *Quidam dicunt, quod omnes circumſtantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri, neceſſitatis eſt, ſi memoriæ occurrant. Alii verò dicunt, quod non ſunt de neceſſitate confitendæ niſi circumſtantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius eſt*. Ad argumentum autem, quod contra ſe facit, petitum ex eo quod Sacerdos debet cognoſcere quantitatem pec-

peccati, ut proportionatam ſatisfactionem injungat, ergo debet cognoſcere circumſtantias, quæ augent peccatum, reſpondet, *ſufficere, quod cognoſcat quantitatem, quæ ex ſpecie peccati conſurgit*.

17 Diſt.17. quæſt.3.art.1. quæſtiunc.4. tractans eam quæſtionem, utrum qui lethaliter peccavit, teneatur ſtatim confiteri, non ſolum id negat, ſed ſatis docet, huic licere (per ſe loquendo) differre confeſſionem ad articulum neceſſitatis, ſic enim habet in Corp. *Ad confeſſionem actualiter faciendam obligatur aliquis dupliciter. Uno modò per accidens, ſcilicet quando ad aliquid tenetur quod non poteſt ſine peccato facere niſi confeſſus: tunc enim confiteri tenetur, ſicut ſi debeat Euchariſtiam percipere*, ut omnes debent in Paſchate èx præcepto Eccleſiæ, *Et ideo ante tempus illud confiteri tenetur. Alio modò obligatur aliquis ad confeſſionem per ſe, & ſic videtur eadem ratio eſſe de confeſſione, & de Baptiſmo differendo, quia utrumque eſt Sacramentum neceſſitatis. Ad Baptiſmum autem percipiendum non tenetur aliquis ſtatim, poſtquam habet propoſitum Baptiſmi ita quòd peccet mortaliter, niſi ſtatim baptizetur. Nec eſt aliquod tempus determinatum, ultra quod ſi Baptiſmum differat, peccatum mortale incurrat, ſed poteſt contingere, quod in dilatione Baptiſmi erit peccatum mortale, vel non erit, & hoc penſandum eſt ex cauſa dilationis &c. Unde ſi cauſa dilationis Baptiſmi peccatum mortale annexum habeat, utpote ſi propter contemptum, vel aliquid hujuſmodi Baptiſmum differat, dilatio erit peccatum mortale, aliàs*

 *non*.

*non. Et ideo idem videtur eſſe de confeſſione, quæ non eſt majoris neceſſitatis, quàm Baptiſmus.* Et paulò poſt. *Præcepta affirmativa non obligant ad ſtatim, ſed ad tempus determinatum, non quidem ex hoc, quod tunc commodè impleri poſſunt, quia ſic ſi non daret aliquis eleemoſynam de ſuperfluo quandocunque pauper offerretur, peccaret mortaliter, quod falſum eſt; ſed ex hoc, quod tempus neceſſitatem urgentem adducit, & ideo non oportet, quod ſi ſtatim oblata opportunitate non confiteatur, etiamſi major opportunitas non expectetur, aliquis peccet mortaliter, ſed quando ex articulo temporis neceſſitas confeſſionis inducitur.* Inde allata ſententia eorum qui dicunt *religioſos teneri ad ſtatim confitendum, ſeculares verò non teneri ante quadrageſimale tempus*, improbat quod dicitur de religioſis, non verò quod dicitur de ſæcularibus. Sic enim ſubdit. *Sed hoc nihil eſt, quia Religioſi non tenentur ad alia quàm alii homines, niſi ad quæ ſe ex voto obligaverunt.* Hiſque verbis doctrinam in corp. propoſitam abſolvit.

18 Eadem quæſt.3.art.2. quæſtiunc.5. ad 2. dicit, *In foro conſcientiæ creditur homini & pro ſe, & contra ſe.*

Diſt.22. quæſt. 1. art.4. quærit, *Utrum recidivans teneatur peccata confiteri, de quibus priùs confeſſus fuit.* Affert autem primò rationes, propter quas aliqui dicebant, teneri. Nulla autem ex illis petitur ex eo, quod relapſus in eadem aut ſimilia peccata ſemper, aut plerumque ſuſpectum faciat dolo-

dolorem, & propoſitum præteritarum confeſſionum, ut modò dicitur, ſed ex aliis diverſis rationibus, nempè ex eo, quod juxta aliquos per recidivum peccata dimiſſa redeunt, ſive quantum ad culpam, ſive quantum ad pœnam, & ex eo quod Confeſſarius debet intelligere quanta fuerit ingratitudo relabentis, & quis ſit ſtatus pœnitentis. Secundò affert rationes propter quas alii negabant abſolutè hunc teneri iterum confiteri. Tandem mediam ſen) tentiam proponit, & amplectitur. *Videtur* (inquit- *diſtinguendum eſſe, quod in confeſſione eſt aliquid exponendum dupliciter. Uno modò directè, & ſic exponi dicitur, cujus abolitio per confeſſionem quæritur, & ſic peccata dimiſſa recidivans nullo modò confiteri tenetur nec in generali, nec in ſpeciali cuicunque confiteatur. Alio modò indirectè, ſicut illud ſine quo ſciri non poteſt debitus ſatisfaciendi modus. Cum enim contritio, ſecundum quod eſt de neceſſitate ſalutis, votum confeſſionis, & ſatisfactionis debitæ includat, tenetur ille qui confitetur, Sacerdoti exponere ea, quibus Sacerdos poſſit ſcire, quæ ſatisfactio ſit congrua injungenda: ſicut confitetur Sacerdoti interdum, ſe eſſe infirmum, ut ei jejunium non imponat, & per hunc modum tenetur recidivans notificare peccata dimiſſa quantum ſufficit ad hoc quod ſciatur quæ ſatisfactio eſt ei injungenda, ut ſi ipſe frequenter lapſum carnis paſſus eſt ex aliqua occaſione, illa occaſio præſcindatur per ſatisfactionem, & ſic de aliis peccatis; & ad hoc videtur ſufficere confeſſio dimiſſorum peccatorum in generali, tamen*

*quantam ad alia ſpecialia oportet deſcendere ſecundum quod confitens viderit opportunum. Non enim poteſt in his aliqua certa menſura præfigi.*

19 Nunc videndum quid doceat S. Thomas circa ultimam Sacramenti partem, nempè circa ſatisfactionem, ad quam etiam pertinet ejus doctrina circa Indulgentias, circa quas ita modò ſcribunt aliqui, ut earum virtutem, uſumque minoris, quàm par ſit, æſtimare videantur, ut colligere potes ex eorum propoſitionibus, quas attuli in Francolino Vindicato cap. 2. pag. 58. & 65. Quod enim ibi ille Author docet, docent reliqui; quam verò recedant omnes à S. Thoma, intelliges modò.

Diſt. 20. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 2. docet primò, eſſe falſum, quod multi dicunt, nempè fuiſſe olim taxatam pœnitentiam ſeptennem pro quolibet peccato mortali, dicitque hanc fuiſſe regulam quandam ut in pluribus competentem, *regulam*, inquit, non præceptum, additque, *quam tamen oportet dimittere conſideratis diverſis peccatorum circumſtantiis*. Adeò non putavit, eſſe antiquorum Canonum obſervantiam rursùs introducendam.

Eadem diſt. 20. quæſt. 1. artic. 2. quæſtiunc. 2. ad 3. *Dicendum, quod Sacerdos, minorem condigno pœnitentiam injungens, non ſemper peccat; tum quia non poteſt determinatè quantitatem pœnæ debitæ cognoſcere, quamvis aliquid propriè conſideratis Patrum regulis determinare poſſit, tum quia quandoque etiam ex induſtriâ minorem pœnitentiam imponens plus prodeſt pœnitenti quàm noceat, qui fortè*

*magni-*

*magnitudine pœnæ poſſet à pœnitentia peragenda impediri, propter debilitatem virtutis ad hoc in eo de novo recuperatæ: & ideò negligit minus damnum, ut majus evitet: & iterum paulatim confortatus Divinus amor, ad plura pœnitentiæ opera peragenda ipſum incitabit propriâ ſponte, quàm Sacerdos ſibi ſecundum quantitatem peccatorum injungere potuiſſet.*

Benigniorem quoque doctrinam tradit quodlib. 3. quæſt. 13. *Videtur*, inquit, *ſatis conveniens, quod Sacerdos non oneret Pœnitentem gravi pondere ſatisfactionis, quia ſicut parvus ignis à multis lignis ſuppoſitis de facili extinguitur, ita poſſet contingere quod parvus affectus contritionis, in Pœnitente nuper excitatus, propter grave onus ſatisfactionis extingueretur, peccatore totaliter deſperante. Unde melius eſt, quod Sacerdos Pœnitenti indicet quanta pœnitentia eſſet ſibi pro peccatis injungenda, & injungat ſibi nihilominùs aliquid, quod Pœnitens tolerabiliter ferat, ex cujus impletione aſſueſiat, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos injungere non attentaſſet, & hæc quæ præter injunctionem expreſſam facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ ex illa generali injunctione, qua Sacerdos dicit. Quidquid boni feceris ſit tibi in remiſſionem peccatorum. Unde laudabiliter conſuevit hoc à multis Sacerdotibus dici; licet non habeant majorem vim ad præbendum remedium contra culpam futuram, & quantum ad hoc talis ſatisfactio eſt Sacramentalis, in quantum virtute clavium eſt culpæ com-*

*miſſæ expiativa, & per hoc patet reſponſio ad objecta.*

Quid in hoc textu non favet noſtræ doctrinæ? Quid non adverſatur contrariæ? Totam exhibet noſtram praxim, aut etiam eâ benigniorem, totam damnat praxim oppoſitam, praxim exigentem dolorem robuſtum, probatum; praxim terrificam, rarò abſolventem, ſemper minantem; praxim, quæ Pœnitentem exaſperat, & pœnitentiam præfocat.

Eadem diſt.20. quæſt.1. art.3. quærit, *Utrum per Indulgentiam poſſit aliquid remitti de pœna ſatisfactoria*. Et docet, per eam remitti pœnam ſolvendam in Purgatorio, & pœnam taxatam per Canones, vel injunctas à Confeſſario, concluditque, *Dicendum quod valent & quantum ad forum Eccleſiæ, & quantum ad forum Dei ad remiſſionem pœnæ reſiduæ poſt contritionem, & abſolutionem, & confeſſionem, ſive ſit injuncta, ſive non*. Nec aliquid addit ex illis, quibus Adverſarii hunc Eccleſiæ favorem adeò limitant, aut etiam corrumpunt. Quin ad 4. argumentum, in quo objiciebatur, Miniſtris Eccleſiæ non eſſe traditam poteſtatem in deſtructionem, vergere autem in deſtructionem Indulgentias, cum per eas tollatur ſatisfactio quæ nobis utilis eſt, ſic reſpondet. *Dicendum, quod majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quàm ex aſſuetudine noſtrorum operum: Et quia ex affectu, quem accipiens indulgentiam concepit ad cauſam, pro qua indulgentia datur, ad gratiam diſponitur,*

*nitur, ideo etiam per indulgentias remedium ad peccata vitanda datur, & ita non eſt in deſtructionem indulgentias dare, niſi inordinatè dentur*, quo modo dari à Pontificibus non eſt credendum. Poſtea dicit quidem, *eſſe conſulendum eis qui indulgentiam conſequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abſtineant, ut etiam ex his remedium conſequantur, quamvis à debito pœnæ eſſent immunes.* Sed qui ſolùm conſilium dari vult, jam obligationem non agnoſcit, quam tamen modò aliqui Doctores agnoſcunt: nimirum id ſciunt, quod S. Thomas ignoravit.

Poſtea proponit hanc aliam quæſtionem, *Utrùm Indulgentiæ valeant quantum prædicantur*, itaut ſi indulgentia ſit e. g. ſeptem annorum, verè tanta remiſſio fiat, quanta fieret per ſeptem annorum pœnitentiam. Et relatis variis opinionibus id negantium, docentiumque valere indulgentiam pro fide & devotione ſuſcipientis, vel pro ejuſdem aut dantis juſta æſtimatione, aut ſecundum cauſam pro qua indulgentia datur, itaut major indulgentia ſit, ſi major cauſa concedendi ſit, concludit, *ſecundum alios dicendum, quod indulgentiæ ſimpliciter tantum valent, quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis ſit authoritas, ex parte recipientis charitas, ex parte cauſæ pietas, quæ compræhendit honorem Dei, & proximi utilitatem. Nec in hoc nimis ſit magnum forum de miſericordia Dei, ut quidam dicunt: nec juſtitiæ Divinæ derogatur, quia nihil de pena dimittitur, ſed unius pœna alteri computatur.*

Re-

Reſpondens autem ad 1. dicit, *In arbitrio dantis indulgentiam eſt taxare quantum per Indulgentiam de pœna remittatur. Si tamen inordinatè remittat, ita quòd homines quaſi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat faciens tales indulgentias, nihilominus quis plenã Indulgentiã conſequitur.*

Hæc D. Thomas circa Pœnitentiam, nunquam rigidus, ubique benignus,

## §. V.

### *Declaratio Bonifacii VIII.*

SUB finem hujus ſæculi decimi tertii Bonifacius Octavus publicans univerſale Jubileum *declaravit Conciſtorialiter* (ut refertur in Gloſſa Extravag. *Antiquorum* verbo, Confitebuntur) *quod pœnitentiæ antea injunctæ etiam tolluntur per commutationem Operis ſatisfactorii in Bulla poſiti, & quod ſui Pœnitentiarii nihil debent injungere ultra injunctionem prædicti Operis in Bulla poſiti, niſi Confitens volens facere opera ſupererogationis voluntariè pœnitentiam ab hoc taxatam reciperet, & niſi imponerentur in alium finem*, nempè in remedium, & non in ſolam ſatisfactionem. Quis audeat dicere, id factum fuiſſe ab hoc Pontifice per errorem, ac temerè, inconſultis eorum temporum Doctoribus, & contra communem ſententiam, aliorumque Pontificum praxim, aut alios quoque Pontifices erraſſe? Utrumlibet dicatur, erit peſſimè dictum, & tamen alterutrum, aut utrumque dicere videntur ii, qui do-

docent jure Divino teneri eum qui peccavit condignam ſuis culpis pœnitentiam facere, ſi eam facere queat, nec ei poſſe tempore Jubilei, aut alterius Indulgentiæ mitiorem imponi.

# CAPUT III.

## *Doctrina & praxis ſæculi quarti decimi.*

### §. I.

### *Doctrina Joannis Duns Scoti.*

INitio hujus ſæculi 14. floruit Joannes Duns Scotus (ſiquidem anno 1308. immatura morte præreptus fuit) Doctor non ſolùm acutiſſimi ingenii, ideoque Doctor ſubtilis appellatus, ſed virtutis ſingularis, cujus geſta præclara refert Wadingus ad hunc ann. num. 40. à quo etiam intelliges, quanti habita ſemper fuerit ejus doctrina, ex qua ſeligam aliqua quæ ad noſtras controverſias pertinent.

1 Et ut incipiam à potiori, quæ eſt circa diſpoſitionem, qua qui peccavit debet ad confeſſionem accedere, Scotus tam ubi agit de diſpoſitione neceſſaria in Baptiſmo adulti, qui aliquod peccatum perſonale commiſit, quàm ubi agit de diſpoſitione neceſſaria in Sacramento Pœnitentiæ, ita locutus eſt, ut multis viſus fuerit docere in neutro Sacramento requiri dolorem poſitivum & formalem peccatorum, ſed ſatis eſſe dolorem quendam interpretativum ſitum in voluntate efficaci ſuſcipiendi Sacramentum inſtitutum in remiſſionem peccatorum, & in

in negatione omnis peccati actualis, omniſque complacentiæ de commiſſis peccatis. Qui enim actualiter non peccat nec complacet in ullo peccato commiſſo, nec habet voluntatem permanendi in ullo ex illis, & accedit ad Sacramentum, ut mundetur ſuis peccatis, jam cenſetur aliquo modò reprobare illa, ac dolere de illis, quamvis non habeat actum, quo formaliter deteſtetur illa.

2 Quia verò conſtat modò, hunc dolorem non ſufficere, aliqui Scotiſtæ, ut hanc erroris notam ab Scoto quam longiſſimè removerent, conati ſunt oſtendere, eum non ſolum poſtulaſſe dolorem formalem, & expreſſum, ſed etiam dolorem conceptum ex charitate, quod eſſe manifeſtè falſum intelliges ex ipſis, quæ afferam, locis Scoti, qui nimis impropriè, ne dicam improvidè locutus fuiſſet, ſi exigens charitatem, non ſolum id nunquam doceret in locis ubi agendum erat, ſed tam ſæpè diceret expreſsè, aut ſupponeret, ſufficere prædictam voluntatem, cum negatione obicis actualis peccati: non ſic autem loqui debuiſſet, ſi negatione obicis actualis peccati ſignificaſſet dolorem formalem peccati ex charitate conceptum; non enim debuit terminis adeò obſcuris tradere ubique doctrinam adeò neceſſariam, qualis eſt doctrina explicans ea, quæ requiruntur in Sacramento ad ſalutem neceſſario? Rursùs quo fundamento dicetur, ab Scoto exigi in Sacramento Baptiſmi, aut ſaltem Pœnitentiæ charitatem, quam nec exigit in contritione, qua peccatum remittitur extra Sacramentum, ut oſtendam

infra

infra ? Demum id neceſſarium non erat ad vindicandum Scotum ; vel quia tunc ea doctrina defendebatur ſine nota ; vel quia non deſunt argumenta , unde probetur , eam verè non fuiſſe Scoti doctrinam . Hinc Card. Brancatus de Lauræa in ſuis in Scotum Commentariis Magiſtrum ſuum ab eo errore vindicat , exigi tamen ab eo charitatem vel dolorem ex ulla vera charitate conceptum, negat .

3 Ante verò quam afferam quæ circa diſpoſitionem , ſeu pœnitentiam in utroque prædicto Sacramento neceſſariam docet Scotus, monendus es , hunc Doctorem frequentiùs uti nomine attritionis , quàm contritionis , etiam cùm agit de dolore , ſeu pœnitentia perfecta , quæ ſufficit ad remiſſionem peccatorum ; putavit enim , eundem actum , cùm incipit eſſe, non eſſe, ſaltem plerumque,ſufficientem ad remiſſionem peccatorum , & ſic non eſſe contritionem , fieri autem poſtea ſufficientem vel intentione ſua , vel ſola extenſione durationis , Deumque in ſecundo , aut tertio , aut alio inſtanti nobis ignoto infundere gratiam & charitatem , qua formari actum dicit , & evadere contritionem . Ne verò attritio , quæ non ſufficit, confunderetur cum ea, quæ ſufficit , eam quæ non ſufficit aut vocavit attritionem , aut attritionem parvam , eam quæ ſufficit vocavit attritionem de congruo , aut diſpoſitionem, aut meritum de congruo . *Scotus* (inquit prædictus Card. in 4. tom.3. diſp.9. art.3.) *Attritionem vocavit modò deteſtationem peccati , quæ abſque Sacramento non diſponit ad gratiam , & juſtificationem , modò*

*modò deteſtationem illam, quæ ſine Sacramento diſponit, ſed adhuc non eſt formata gratiâ. Contritionem verò vocat deteſtationem gratiâ formatam, ita quod eadem deteſtatio quæ ante gratiam dicebatur attritio, adveniente gratia dicitur contritio*. Diſp. autem 15.art.6. notat, hanc deteſtationem vocari à Scoto(& probat ſic eſſe)ſolùm meritum de cõgruo. Nunc meliùs intelliges loca Scoti, quæ jam affero.

4 In 4. diſt.4. poſtquam docuit, duos parvulos, qui baptizantur, recipere ex opere operato æqualem gratiam: duos autem adultos, ſi ſint inæqualiter diſpoſiti, recipere inæqualem gratiam,ita ſubdit. *Quod ſi compares parvulum adulto, regulariter parvulus nullum meritum habet: adultus quantumcunque tenuem habeat voluntatem, dum tamen conſentiat recipere Sacramentum, nec ponat obicem aliquem, videtur habere meritum proprium, & pro tantò magis diſpoſitus eſt, quam parvulus. Ergo*. Et quia poſtea ſibi objicit, adultum committere aliquando, dum baptizatur, peccatum aliquod veniale, quod non committit parvulus, & ſic eſſe minus diſpoſitum, quam ſit parvulus, reſpondet, *quod adultus ſi non ponit obicem peccati mortalis, & in ſuſceptione Baptiſmi conſentit, aliquem motum habet diſponentem, quo caret parvulus: non obſtante quod ille habeat veniale peccatum ſimul*, quod veniale ſolum facit eſſe minus intenſos actus bonos, quos habet adultus, ut antea dicit. Profectò nec inſtitueret iſtam quæſtionem, & comparationem, nec iſtam objectionem afferret, ſi putaſſet adultum, qui fructuosè baptizatur,

tur, habere neceſſariò dolorem ex vera charitate conceptum, nec iſto modo reſponderet, recurrens ad eam quantumcunque tenuem voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmum, quam habet adultus, ſed diceret, illi ſemper ineſſe veram charitatem, qua diligit Deum propter ejus bonitatem, & ſuper omnia bona, & ideòdeteſtatur peccata ſuper omnia mala, affertque notabiliſſimam diſpoſitionem ad gratiam, quam non affert parvulus, carens omni actu.

5 Diſt. 14. quæſt. 2. poſt medium dicit quod *peccator poteſt conſiderare peccatum commiſſum, ut offenſivum Dei, & ut contra legem Divinam, & ut averſivum à Deo, & ut impeditivum præmii, et ut inductivum ſupplicii, & ſub multis talibus rationibus: & poteſt voluntas ipſum ſub ALIQUA illarum rationum, vel ſub multis illud peccatum ſic conſideratum deteſtari*. Igitur ex Scoto poteſt voluntas deteſtari peccatum, & quidem omne (ut patet ex contextu) non ſolum ſub multis talibus rationibus, ſed ſub aliqua illarum, ideſt & ſub multis ſimul, & ſub ſingulis; una autem eſt quod peccatum ſit *inductivum ſupplicii*, poteſt ergo ex iſto motivo verè deteſtari omne peccatum.

6 Proſequitur poſtea ſic. *Et ille motus* (deteſtationis prædictæ) *poteſt continuari, & inde uſque ad infuſionem gratiæ &c. Iſte autem motus dicitur attritio, & eſt diſpoſitio, ſive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quæ ſequitur in ultimo inſtanti alicujus temporis, in quo tempore iſta attritio duravit; nec eſt certum, ſi Deus talem attritionem*

*velit*

*velit eſſe diſpoſitionem ad juſtificationem, niſi ſit perfectè moraliter circumſtantionata*: ideſt niſi concipiatur ex amore ultimi finis, vel niſi ſit deteſtatio peccati, quatenus peccatum eſt contra Deum. Quare videtur Scotus dubitaſſe, an etiam dolor peccati, prout præcisè *eſt impeditivum præmii*, aut *inductivum ſupplicii* (quas duas rationes ſupra recenſet cum reliquis, ex quarum ſingulis concipi poteſt deteſtatio peccati) poſſit eſſe ſic efficax, ut per ſe ſufficiat ad remiſſionem peccatorum.

7 Hoc certum eſt, ab eo non exigi, ut deteſtatio ad id per ſe ſufficiens, procedat ex charitate, aut ex motivo charitatis, quod probo primò, quia ſæpè agens de iſta deteſtatione, ſeu diſpoſitione ſufficienti, ſæpè quidem docet, aut ſupponit, debere, aut ſolere illi ineſſe aliquam durationem, ſeu ſucceſſionem plurium inſtantium, in quorum aliquo (quod dicit eſſe notum ſoli Deo) remittitur peccatum, & infunditur gratia cum habitu charitatis: nunquam verò docet, debere eam elici, aut imperari à charitate. Secundò, in tota hac quæſtione ſupponit, aut etiam expræſsè docet, per actum juſtitiæ punitivæ deleri peccatum; quamvis autem dicat poſſe hunc actum imperari à charitate, non dicit tamen id eſſe neceſſarium, imò dum ſolum dicit, *poſſibile eſſe, quod hæc* virtus *moveatur ad ſuum imperium ex actu charitatis*, innuit, non eſſe id neceſſarium. Tertiò dum docet, hanc peccati deteſtationem conceptam ex motivo juſtitiæ, & continuatam per aliqua inſtantia, ex attritione fieri contritionem, nunquam dicit,

cit, aut innuit mutare objectum formale, ſeu motivum, imò ſupponit non mutare, nam ſemper dicit, fieri contritionem, & actum formatum per infuſionem gratiæ, & charitatis, non autem per hoc quod mutet objectum formale, aut motivum, & incipiat prodire ex motivo charitatis. Quartò dicit, hunc actum remiſſivum culpæ eſſe meliorem, & perfectiorem, ſi procedat ex charitate. Ergo ſupponit non debere neceſſariò procedere ex charitate. Quintò demum ſibi opponit authoritatem Auguſtini docentis, *ſine charitate in nobis eſſe non poteſt vera pœnitentia*, quod ſibi profectò non opponeret, ſi docuiſſet, hanc pœnitentiam, quæ ſufficit ad delendam culpam, de qua hìc agit, debere manare ex charitate; vel reſponderet, exigere ſe, ut pœnitentia juſtificans procedat ex charitate, ac proindè ſibi non eſſe ullo modo contrarium Auguſtinum: non ſic autem reſpondet, ſed dicit, Auguſtinum loqui de fine pœnitentiæ, nempè de remiſſione peccatorum, quæ certè non habetur ſine habitu charitatis. Hæc ſunt ejus verba. *Et ſi arguitur contra hoc per auctoritates, quarum una eſt Auguſtini de pœnitentia. Sine charitate in nobis eſſe non poteſt vera pœnitentia, & alia Aug. de vera, & falſa pœnit. &c. quod ſine amore Dei conſequatur quis veniam, habet hoc pro inconvenienti, & eodem modo quod vera pœnitentia ſit ſine amore Dei. Iſtæ auctoritates omnes unam habent reſponſionem, quia pœnitentia ſive actus, ſive virtus non eſt vera, quantum ad finem pœnitentiæ attingendum, ſine charitate*, quatenus videlicet non obtine-

tur finis pœnitentiæ, quæ eſt remiſſio peccati, quin à Deo infundatur habitus charitatis. Hinc ad ſecundum textum reſpondet, quod *poteſt ibi accipi venia non tantum pro pœnitentia, ſed pro ſine pœnitentiæ, & ita communiter dicimus, quod per pœnitentiam acquiritur venia, & illa venia eſt, quando quis per gratiam acceptatur ad amicitiam Divinam*, quæ non habetur ſine charitate habituali. Ex quibus etiam conſtat, in hac quæſtione agere Scotum de pœnitentia, quæ ſufficit ad veniam, nam ſi loqueretur de ea quæ non ſufficit, non iſta ſibi opponeret, nec diceret, eam ſemper conjungi cum habitu gratiæ, & charitatis. Igitur Scotus nec ad pœnitentiam, quæ extra Sacramentum delet peccatum, requiri putavit, ut fluat ex charitate, aut ex motivo charitatis, ut neque requirunt inſignes Scotiſtæ, quorum ſuffragio reddimur certiores, hanc verè fuiſſe mentem Doctoris ſubtilis, quem ipſi ſequuntur, quamvis & alii etiam idipſum doceant.

8 Audi Manſtrium inſignem Scotiſtam id expræſsè docentem to.4. in 4. ſent. diſp.5. de Sacram. Pœnitentiæ quæſt.5. art. 1. n. 92. *Dicendum tamen eſt, quod licet pœnitentia de peccatis ex motivo formali charitatis, & dilectionis Dei ſit perfectiſſima contritio, de qua maximè verificatur, quod ſit proxima diſpoſitio ad gratiam juſtificantem: adhuc tamen contritio, & pœnitentia de peccatis ex motivo juſtitiæ, quatenus peccata ſunt contra debitum, et contra jus Dei, vel ex alio motivo ſpectante ad Deum, probabiliter videtur eſſe ſufficiens in ratione ultimæ,*

*ac*

*ac proximæ diſpoſitionis ad juſtificandum peccatorem. Ita colligitur ex Scoto 4. diſt. 14. quæſt. 2. §. de ſecundo &c. Ita etiam Baſſolius ibidem quæſt. 2. art. 2. et SEQUUNTUR PASSIM SCOTISTÆ, ET NOMINALES affirmantes, ut contritio ſit proxima diſpoſitio ad juſtificationem, ſufficere, quod eliciatur ex motivo ſatisfaciendi Deo, vel conſequendi remiſſionem peccatorum, aut reconciliationem cum Deo, vitæque emendationem, vel ex alio motivo ſpectante ad Deum, quam opinionem cenſet probabilem ipſe quoque Suarez diſp. 4. cit. ſect. 2. licet ibi in partem negativam inclinet, ac etiam Card. De Lugo diſp. 5. ſect. 1. ubi ait non eſſe dignam cenſurâ, qua eam notavit Vaſquez, eamque ſequuntur plures recentiores, et egregiè præ omnibus defendit Auerſa qu. 3. ſect. 5.* Hactenus Manſtrius.

9 Et quidem antiqui Doctores, aut hanc ſententiam propugnarunt, aut ſaltem non fuerunt plerique ex ipſis ſatis certi, quod ad contritionem per ſe ſufficientem requireretur, ut procederet ex charitate, & ideò multi etiam loquentes de iſta contritione, quæ ſufficit ad veniam, eam definiverunt per ea ſola prædicata doloris de omnibus commiſſis, & propoſiti non peccandi amplius: aliqui addiderunt, hunc dolorem debere aſſumi propter Deum, ſed non declararunt, deberi aſſumi propter Deum amatum, & non ſolum propter Deum ſperatum, ſeu propter cultum aut obedientiam Deo exhibendam, ſeu propter recuperandam ejus gratiam. Quare mirum non ſit, quod aliquot Theologi Tridentini, ut refert

Card. Pallavicinus in hiſt.ejus Concilii lib.8. cap.13. curarint detrahi ex cap. 6. ſeſs. 6. ea verba, *Deum omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, quia quamvis ibi non definiretur ( ut aliqui dicunt ) ſemper & neceſſariò prærequiri ad juſtificationem extraſacramentalem ( de qua ibi ſermo eſt ) omnes illos actus, & inter illos formalem & veram charitatem, adhuc videri poterat aliquibus, aliquo modo innui iſtam neceſſitatem alicujus benevolæ dilectionis, & ſaltem non ſufficere dolorem conceptum ex metu gehennæ, de quo ipſo dubitarant antiqui aliquot Doctores, & ſatis colligitur ex iis, quæ habet Sotus in tota hac quæſt. 4. in qua, præter dicta, iſtam pœnitentiam per ſe ſufficientem vocat actum *plenè, vel ſemiplenè circumſtantionatum in genere moris*. Ex quibus omnibus colligitur manifeſtè ( ut redeamus ad Scotum ) eum putaſſe non requiri in dolore, qui juſtificat cum Sacramento, quod profluat ex charitate; quando nec id requiſivit in dolore, qui ſufficit ad juſtificationem extraſacramentalem, ad quam certè majorem diſpoſitionem requirit, quàm ad eam quæ habetur per Sacramenta, ut dicit expræſsè in locis, quæ nunc allegabo.

10 Præcipuus, & magis celebris eſt is quæſtionis quartæ ejuſdem diſputationis 14. in qua refellens opinionem Magiſtri dicentis, Sacerdotem Evangelicum in Sacramento non plus operari, quam operaretur *Sacerdos legalis in illis, qui erant contaminati lepra*, dicit *iſtud nimis derogare Sacramento Pœnitentiæ, Deumque ita requirere diſpoſitionem de congruo*

*gruo ad hoc ut peccatori conferat gratiam, ut tamen ſine diſpoſitione illa prævia, & congrua, quæ ſufficeret, conferat per Sacramentum gratiam, & hæc eſt majoris miſericordiæ, ſcilicet duplicem viam inſtituere, per quam juſtificetur peccator, quàm ipſum ad unam viam arctare. Sicut ergo adultus primam gratiam delentem originale poteſt habere duplici via, vel ex bono motu diſponente ad illam de congruo, vel ex ſuſceptione Baptiſmi, ita & in propoſito. Hoc declaratur ſic, quia ad primam ſuſceptionem gratiæ requiritur aliquis motus meritorius de congruo, ad ſecundam autem non requiritur NISI voluntaria ſuſceptio Baptiſmi, & ſine fictione, hoc eſt cum intentione ſuſcipiendi quod confert Eccleſia, & ſine actu, vel voluntate peccati mortalis, ita quod in prima requiritur aliquod opus intrinſecum aliquo modo acceptum tanquam meritum de congruo. In ſecundo SOLUM requiritur opus exterius cum amotione interioris impedimenti. Non ſolùm ergo attritus per aliquod uſque ad certum inſtans in ultimo inſtanti recipit gratiam delentem peccatum tanquam per virtutem meriti de congruo, ut declaratum eſt in ſolutione præcedenti, ſed non habens talem actum, qui ſufficiat ad meritum de congruo, ſed TANTUM habens voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum Eccleſiæ, & ſine obice peccati mortalis actualiter ſibi facto, vel in voluntate inhærentis, recipit non ex merito, ſed ex pacto Divino effectum illius Sacramenti, ut ſic parùm attritus, etiam attritione, quæ non habet rationem meriti ad remiſſionem peccati, volens tamen recipere*

*Sacramentum Pœnitentiæ, ſicut diſpenſatur in Eccleſia ſine obice in voluntate peccati mortalis in actu, in ultimo inſtanti illius prolationis verborum, in quo ſcilicet eſt vis Sacramenti iſtius, recipiat effectum Sacramenti, ſcilicet gratiam pœnitentialem, non quidem ex merito, quia diſpoſitio interior non erat ſufficiens per modum meriti, ſed ex pacto Dei aſſiſtentis Sacramento ſuo ad effectum illum, ad quem inſtituit Sacramentum: alioquin non appareret quomodo Sacramentum Pœnitentiæ eſſet ſecunda tabula, ſi nunquam per ipſum, ut Sacramentum eſt, poſſet recuperari ſecunda gratia amiſſa, ſed tantùm per attritionem, tanquam per præviam diſpoſitionem, & per contritionem tanquam per diſpoſitionem completivam.*

11 Similia habet in aliis locis. Nam diſt.17.qu. unica volens probare, peccatorem teneri ad confeſſionem ſacramentalem etiam ex eo, quod hac viâ faciliùs, & certiùs paratur venia, ſic habet. *Nulla alia via eſt ita facilis, et ita certa: hìc enim non oportet NISI non ponere obicem.* Et in alio ſuo Opere quod pariter ſcripſit in libros ſententiarum, & dicitur *Scriptum Pariſienſe*, ſeu *Reportationum*, vel *Reportatorum*, diſt.14. quæſt.4. dicit, & repetit, ad obtinendam gratiam, & remiſſionem peccatorum extra Sacramentum, non ſufficere *non indiſpoſitionem*, ſed requiri *diſpoſitionem*: in Sacramento verò ſatis eſſe *non indiſpoſitionem*.

Hæc ſunt illa loca, ex quibus colligunt multi, ab Scoto non exigi ullum formalem actum pœnitentiæ in eo, qui ſuſcipit Sacramentum Baptiſmi,

aut

aut Pœnitentiæ, eamque attritionem, quam ipſe non ſemel requirit, eſſe ipſam præcisè voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum cum negatione actualis peccati quod committatur, vel non confitendo integrè, vel complacendo in aliquo peccato, vel retinendo actualem voluntatem perſeverandi in aliquo peccato.

12 Ego verò, ut initio monui, non id contendo, ſed hoc ſolum, ex prædictis locis ſaltem inferri, non exigi à Scoto in his duobus Sacramentis pœnitentiam ex charitate conceptam: tùm quia nequit ita negativè, ac depreſsè loqui de diſpoſitione requiſita in his Sacramentis, qui putat in utroque requiri eam pœnitentiam adeò poſitivam, & præclaram, quæ concipitur ex charitate: tùm quia expreſsè dicit, in neutro requiri diſpoſitionem, quæ per ſe ſufficiat ad remiſſionem peccati, & qu.4. diſtin. 14. docet, eam pœnitentiam, quæ imperatur à charitate, per ſe ſufficere: imò aliquando etiam eam, quę non concipitur ex motivo, vel imperio charitatis.

13 Solùm opponunt aliqui quod idem Doctor dicit diſt. 20. qu. unica, quærens an *pœnitentia in extremis valeat*. Statuit enim duas concluſiones. Prima eſt, quod *pœnitentia vera ſive interior ſola, ſive exterior cum ſuſceptione Sacramenti ſufficit ad ſalutem alicujus in extremis*. Secunda concluſio eſt hæc *Pœnitentia, quæ videtur haberi in extremis vix eſt vera pœnitentia ſufficiens ad ſalutem, quia difficilè tunc eſt habere veram pœnitentiam*. Id probat quatuor rationibus, poſtquam monuit, ſe agere de

 his,

his, *qui ſunt in infirmitate quando jam attingit ad gradum deſperatum judicio medicorum, vel in aliis periculis, ut ſubmerſione, & hujuſmodi ſtatim imminet mors*. Prima ratio eſt ea, quod *in iſtis, vel eſt maximus dolor in parte ſenſitiua, vel timor maximus* mortis jam proximæ. *Et utraque paſſio vehemens nata eſt impedire liberum arbitrium rationis, & voluntatis*, vel ſaltem *multum impedit intellectum, & voluntatem, & per conſequens remiſſius, & imperfectius uſus intellectus, & voluntatis tunc poteſt haberi, qui vix ſufficit ad diſplicentiam ſufficientem, & requiſitum ad veram pœnitentiam. Actus enim diſplicentiæ de peccato ad hoc quod ſit ſufficiens ad veram pœnitentiam ſive intrinſecam ſolam, ſive ad dignam ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ requirit liberum uſum rationis, & voluntatis*: æger autem, qui eſt in prædicto ſtatu ſic aliquando opprimitur vi doloris, ut vix aliquid cognoſcere valeat.

Secunda ratio eſt ea quod *ad hoc, quod diſplicentia valeat, & ſit ordinata, oportet quod ſit debitè circumſtantionata, & maximè circumſtantia finis, & principii activi principalis, ut ſcilicet ſit voluntaria propter Deum: ſed difficilè eſt tunc habere actum ſic circumſtantionatum, quia qui uſque tunc fuit impœnitens, non videtur tunc extorquere à ſe ipſo diſplicentiam nouam, niſi timore pœnæ imminentis: præſumitur enim quod ſi remotus eſſet à pœna, ſicut prius, non extorqueret à ſe ipſo illam diſplicentiam, ſicut nec prius. Tùm quia ſaltem aliquid ſimpliciter inuoluntarium videtur cauſa iſtius diſplicentiæ* nempè *expectatio*

*ctatio mortis, quæ eſt involuntaria. Quod autem non ſit, niſi ex ſuppoſitione cujuſdam involuntarii, non eſt ſimpliciter voluntarium, ſicut non omninò voluntariè projicit quis merces in mari, ſi non projicit, niſi ex ſuppoſitione cujuſdam periclitationis, quam nollet: ſaltem quod non eſt, niſi ſic voluntarium, non eſt multum acceptum alii, nec multum videtur propter amorem ejus factum. Hanc rationem tangit Aug. in litera, Oportet non ſolum timere Judicem, ſed diligere, arbitrii enim libertatem quærit, ut delere poſſit commiſſa, non neceſſitatem, charitatem non timorem. Non igitur timeat pœnam, qui pœnitet, ſed anxietur pro gloria.*

Tertia ratio eſt, *quia habitus malus uſque tunc continuatus multum retrahit ab actu pœnitentiæ &c. & per conſequens magnam facit difficultatem ad habendam magnam diſplicentiam de eis ad hoc, ut ſit ſufficiens ad deletionem culpæ.*

Quarta. *Quantò aliquis eſt minus Dominus ſui actus, tantò requiritur intenſior diſplicentia ad hoc quod ſit diſpoſitio ſufficiens ad deletionem culpæ.* Et concludit. *Ideò dicit Aug. quod magnum eſt, cui Deus tunc inſpirat (ſi quis eſt) veram pœnitentiam, quia vix, vel nanquam eſt aliquis, qui habeat diſpoſitionem de congruo, ut cui inſpiretur.*

14 Ex his, quæ dicuntur in ſecunda ratione, aliqui putant evinci, Scotum non ſolùm exegiſſe in Sacramento Pœnitentię verum, & formalem dolorem, ſed etiam dolorem conceptum ex charitate, nec putaſſe, ſatis eſſe dolere ex metu gehennæ, cùm ex-

præſsè

præſsè dicat, eſſe neceſſarium ad hoc, ut pœnitentia valeat, & ſit ordinata, quod ſit propter Deum, & non ex ſolo timore pœnæ imminentis, & afferat authoritatem Aug. dicentis, *Oportet non ſolum timere Judicem, ſed diligere, arbitrii enim libertatem quærit, non neceſſitatem, charitatem, non timorem.*

15 Si hoc verum eſt, cogimur dicere, Scotum pugnantia docuiſſe, cùm ſupra expræſsè doceat, etiam ex ea ratione, quod *peccatum ſit inductivum ſupplicii* concipi à peccatore veram deteſtationem peccati, veramque pœnitentiam, & ex ſolo motivo juſtitiæ concipi eam peccati deteſtationem, quæ eſt diſpoſitio ſufficiens ad gratiam, & etiam extra Sacramentum delet culpam, unde S. Auguſtinum exigentem amorem, eo modo quo diximus, explicavit. Quis autem dicat tantum Doctorem in eodem tractatu, paucis interjectis, contraria docuiſſe & ſemel eſſe contentum ſola voluntate ſuſcipiendi Sacramentum, & negatione obicis actualis peccati, ſola non indiſpoſitione, vel ad ſummum ſola aliqua diſplicentia, ſemel exigere pœnitentiam conceptam ex charitate, pœnitentiam intenſam, ſeu *magnam*, eamque quæ eſt *diſpoſitio ſufficiens ad deletionem culpæ*, ut loquitur in tertia ratione, nempè eam quę per ſe juſtificat, ac proindè relabi in ſententiam Magiſtri, quam ſupra tam fusè, ac diſertè impugnavit? Id certè dicendum non eſt, ſed adhibenda aliqua ex reſponſionibus, quas afferam.

16 Reſponderi poteſt primò, Scotum non exigere

gere in ea ſecunda ratione, ut dolor ſit ex charitate poſitivè, ſed ne ſit contra charitatem, & ultimum finem, vel ut ſit ex amore aliquo ultimi finis, & beatitudinis ſupernaturalis, undè citat Auguſtinum exigentem, ut peccator *anxietur pro gloria*; vel ut ſit cum aliquo reſpectu in Deum, nempè cum amore redeundi in ejus gratiam, vel ipſum placandi, vel obſervandi ejus legem, adeòque talis, ut aliquo modo diſponat ad charitatem, ſitque per hoc ex ſe ordinata, aut ordinabilis ad ultimum finem, qualis non eſt plerumque pœnitentia eorum, de quibus hìc loquitur Scotus, qui uſque ad illud tempus malè vixerunt, & tunc ſolùm, cum de vita diſperant, ſuntque inter anguſtias, ac dolores extremi morbi, ac timoris, videntque ſibi imminere mortem temporalem, & æternum ſupplicium, dolent de peccatis: hi enim plerumque nihil, aut ferè nihil cogitant de Deo, & ſolum habent ob oculos malum imminens tanquam malum maximum, amantque carentiam ejus mali ſuamque indemnitatem tanquam bonum maximum, ſuumque ultimum finem, & ex eo amore dolent, qui certè dolor ita non eſt propter verum ultimum finem, ut ſit illi contrarius: hinc ægri ita conſtituti cùm non ſperent ſe evaſuros periculum, nihil cogitant de emendanda vita, ſi evadant periculum & convaleſcant; & ſi ſperant, ſe evaſuros periculum, potius habent voluntatem redeundi ad antiquos mores.

17 Non eſt hujuſmodi diſplicentia peccati, quam quis concipit ſanus, quamvis ex ſolo metu gehennę.

Et

Et primò is dolor eſt perfectè voluntarius, cum ſit dolor ex metu mali remoti, qui metus nihil turbat, nihil impedit cogitare quæ cogitanda ſunt, nempè Deum ultorem, & minantem gehennam, ut benè vivamus, & ut recedamus à culpa, & quæramus veniam pœnitentibus promiſſam & oblatam, ac proindè procedit ex vera deliberatione voluntatis ſpontè eligentis potius recedere à peccato, quam in eo permanere. Secundò qui ſic dolet, quamvis moveatur ex ſolo metu gehennæ, non fertur ſolùm in carentiam gehennæ, ſed ex metu gehennæ, & ne incurrat gehennam, decernit recurrere ad Deum, petere ab eo veniam, eamque ſperare, quærere remedium Sacramenti contra peccata præterita, recuperare gratiam amiſſam, & non peccare amplius, ſed præferre gratiam Divinam omnibus aliis rebus, quę non facit ut plurimùm prædictus ęger. Tertiò prędictus dolor conceptus ex metu gehennœ eo modo deſcripto eſt dolor ſupernaturalis inſpiratus à Spiritu Sancto, adeòque ex ſe ordinatus ac diſponens ad charitatem, & ultimum finem, & ordinabilis ad ipſum, qualis non eſt ille dolor ac triſtitia procedens ex amore ſuæ indemnitatis ut boni maximi, & ultimi, quem plerumque habent, qui ſolum dolent in morte poſt totam vitam peccando traductam. Et quidem hunc ſolum dolorem, ac diſplicentiam rejici à Scoto in loco prædicto, non autem eum quem deſcripſi, patet, quia ſupponit hunc dolorem non eſſe ordinatum, nec eſſe debitè circumſtantionatum maximè circumſtantia finis, & principii activi principalis,

palis, quod non poteſt dici de eo dolore concepto ex metu gehennæ, quem deſcripſi, quemque habent ſani, nam ille dolor eſt ſupernaturalis, & ex natura ſua ordinatus, & rurſus ordinabilis ad ultimum finem, ac proinde debitè circumſtantionatus circumſtantia principii activi principalis, & finis, ac proinde actus charitatis latè ſumptę, vel talis diſpoſitivè.

18 Secunda, & verior reſponſio eſt, Scotum in hac quæſtione ſolùm velle probare, non dari ut plurimùm in extremis pœnitentiam, quæ ſit ſufficiens ad deletionem culpæ, non verò nec dari eam quæ ſit ſufficiens ad Sacramentum: hinc in ſecunda ratione dicit non eſſe eam pœnitentiam *ſic voluntariam, ut ſit MULTUM accepta Deo, nec MULTUM propter ejus amorem facta*, in tertia, *non eſſe ſic intenſam, ut ſit ſufficiens ad deletionem culpæ*, in quarta concludit *quod vix, vel nunquam eſt aliquis, qui habeat diſpoſitionem de congruo*, quam ſolam vocat Scotus, ut omnes norunt, eam, quæ ex ſe, & extra Sacramentum ſufficit ad deletionem culpæ.

19 Et quidem id ſolum intendiſſe Scotum in prædictis rationibus, probo manifeſtè ex ejus ſcripto Pariſienſi, quod dicebam antea, ubi tractans eandem quæſtionem, ne verbum quidem habet de confeſſione, & afferens eaſdem quatuor rationes manifeſtè ſignificat, ſe loqui ſolùm de pœnitentia, quę per ſe ſufficiat, quam ipſe millies in his diſtinctionibus de pœnitentia vocat *meritum ex congruo*, ſeu *attritionem, vel diſpoſitionem ſufficientem ex congruo*,

*gruo*, quo modo nunquam vocat diſpoſitionem requiſitam in Sacramento, imò non ſemel dicit, eam in Sacramento non requiri. Afferam totam quam vocat quæſtionis *Reſolutionem*, quæ eſt hæc.

„ In iſta quæſtione tenentur communiter duæ „ veritates. Prima eſt, quod poſſibile eſt habere „ veram pœnitentiam in extremis, & ſi habeatur, „ ille ſalvatur. Secunda eſt, quod illam habere eſt „ difficillimum homini, & rariſſimum, quantum ad „ Deum. Et per conſequens periculoſiſſimum eam „ expectare. Primum patet per Auguſtinum de ve„ ra & falſa pœnitentia. Pœnitentia vera donum „ Dei eſt. Igitur poteſt dari à Deo quando vult. „ Igitur poteſt eam dare in extremis, & ſi confert „ fructuoſa eſt.

„ Secundum patet, ſcilicet quod ſit difficilli„ mum ex parte hominis. Primo ſic, quando pri„ mò imminet alicui mors, ut per infirmitatem, vel „ videt gladium ultra caput, vel navem fractam, „ in quibus caſibus convenire non ſperatur vita „ ( ideſt non convenit, ſeu non occurrit ſperare vi„ tam ) habebit quicunque, vel vehementem dolo„ rem, propter infirmitatem, vel vehementem ti„ morem propter illud extrinſecum, & tunc vix „ poteſt intellectus occupari circa aliquid aliud, „ quàm pars ſenſitiva, propter ordinem potentia„ rum, quia vel totaliter impeditur actus intelle„ ctus ab alio actu, vel non habet actum perfectum „ alium, cum dolor occupet totam partem ſenſiti„ vam. Sed nolendo peccatum oportet, quod ſit

„ ma-

„ magna conſideratio intellectus, & deteſtatio ad
„ hoc quod ſit attritio SUFFICIENS EX CON-
„ GRUO ad remiſſionem peccati, ſicut fuit vehe-
„ mens deteſtatio prior in peccato.

„ Secundò ſic. Ad hoc quod ſit DISPOSI-
„ TIO EX CONGRUO ad receptionem gratiæ,
„ oportet quod ſit voluntaria deteſtatio, & debita
„ circumſtantia finis, ut quod homo non ſolum pœ-
„ niteat propter timorem pœnæ, ſed timore filiali.
„ Sed difficilè eſt tunc dolere, niſi ex timore ſolum,
„ & ſi non ſit cum amore NON DISPONIT EX
„ CONGRUO, ideò difficilè eſt. Tertiò ſic. Ex
„ habitu malo præcedente uſum ad extremum, eſt
„ inclinatio vehemens ad peccata, & ad actus ſimi-
„ les prioribus. Igitur difficilè eſt tunc primò con-
„ tra iſtum habitum inclinari deteſtando, quæ priùs
„ erant delectabilia.

„ Quartò ſic. Si deberet aliquis infirmus be-
„ nè pœnitere, multò majorem diſplicentiam re-
„ quireret, quàm in eodem ſano, quia ſanus liberiùs
„ pœnitet. Ideò credo quod ad hoc, quod infirmus
„ MEREATUR GRATIAM EX CONGRUO,
„ multò majorem attritionem requireret cum ſit
„ interitui proximus,quàm ſi eſſet ſanus. Sed diffi-
„ cile eſt habere tantam attritionem, ſicut in ſanita-
„ te non ſolùm majorem:quod verò ſi talis pęniten-
„ tia inſit, ſalvetur talis,patet de illo bono latrone.
„ Patet igitur,quod ſit difficillimum ex parte homi-
„ nis. Quod ſit rariſſimum ex parte Dei patet, quia
„ ſi ſine iſta diſpoſitione Deus conferat gratiam,hoc
„ eſt merè miraculosè. Igi-

20 Igitur manifeſtè loquitur Auctor de pœnitentia, quæ ſufficit per ſe ad veniam, per quam quis meretur de congruo remiſſionem peccati, ut ipſe dicit, ac de eo pœnitente loquitur, qui non ſuſcipit Sacramentum; hinc ſufficere ad ſalutem talem pœnitentiam probat exemplo boni latronis, pœnitentia autem boni latronis fuit extra ſacramentalis, & per ſe ſufficiens ad obtinendam remiſſionem peccati. Demum quod aſſero confirmat dicens eſſe merè miraculosè, ſi Deus ſine iſta diſpoſitione de congruo conferat gratiam. Igitur non loquitur de eo, qui ſuſcipit Sacramentum, cui proculdubiò Deus confert gratiam ſine iſta diſpoſitione, quæ ſit meritum de congruo remiſſionis peccati, qualem ipſe eam ſolam pœnitentiam vocat, quæ eſt remiſſiva peccati.

21 Addo demum nihil profecturos Adverſarios, etiamſi Scotus hìc ageret de pœnitentia etiam neceſſaria moribundo, qui vult ſuſcipere Sacramentum; cùm in morte ſit fortè ex alio capite neceſſaria charitas ei, de quo hic loquitur Scotus, qui videlicet eſt conſcius peccati ſibi non remiſſi, & jam premitur morte: is enim, cùm tunc aliundè teneatur ad actum charitatis jam tenetur ad eam pœnitentiam, quæ in habente charitatem ſolet ex charitate procedere. Sed neceſſarium non eſt ad id recurrere, cùm ex verbis allegatis conſtet, Auctorem agere de pœnitentia, quæ per ſe reconciliat. Sciendum eſt autem, Scotum in hoc ſuo ſecundo Opere in quatuor libros ſententiarum non variare, aut ſtatum quæſtionum, aut ſententias, ſed compendioſiùs docere, quæ docue-

docuerat in primo, quod ſolet allegari. Igitur, ut in hoc agit ſolùm de pœnitentia, quæ per ſe ſufficit, ita de hac ſola agit in primo opere, quod vocatur ſcriptum Oxonienſe.

22 Nec mirum videri debet, quòd Scotus in hac quæſtione (quod etiam alii fecerunt) dicens eſſe valdè difficilè bene, & fructuosè pœnitere in extremis, agat potiſſimum de pœnitentia, quæ per ſe ſufficit, nam peccatores ſæpè moniti in vita, ut recurrerent ad remedia pęnitentię, nec differrent confeſſionem in mortem, cùm fortè non habituri fuiſſent Confeſſarium, recurrebant ad internam pœnitentiam, & contritionem, dicebantque, ſe hac viâ ſperare veniam in morte, quam latro pariter moriens à Deo reportarat. Fuit igitur ipſis oſtendendum, poſſe quidem hac viâ obtineri veniam, ſed difficillimè, & ideò obtineri perrarò. Quæ ratio pariter effecit, ut Patres hanc quæſtionem in eodem ſenſu agitarint, cùm præſertim tunc longè pauciores eſſent Confeſſarii, & innumeri vel in bello, vel alibi morerentur ſine Confeſſione, ſolaque ſpè contritionis habendæ in morte ſe defenderent, ac proindè moneri de maxima ejus difficultate debuere. Theologi autem exponentes Magiſtrum ſententiarum, nempè collectas ab eo Patrum ſententias, in eodem ſenſu iſtam quæſtionem agitarunt, & ſolverunt, quo fecerant Patres.

23 Cæterum prædictæ rationes allatæ à Scoto quamvis potiſſimùm probent, eſſe difficillimũ habere in morte eum dolorem, & pœnitentiam perfectam

quam contritionem vocamus, quæ per ſe rcconciliat,adhuc,præſertim prima,& tertia probant,haberi difficilè in morte ab iis, qui uſque ad illud tempus malè vixerunt, eam etiam minùs perfectam, quam attritionem vocamus; quia quamvis facillimè tunc concipiatur timor gehennæ jam propinquæ, non ita facilè concipitur ſpes veniæ,& propoſitum non peccandi amplius, ſi vita ſuperſit, non ſolùm renitente longo habitu contrario, ſed ipſa vi morbi, ingentique mortis timore non permittente bene expendere quæ tunc expendenda ſunt ad concipiendam bonam ſpem, bonumque propoſitum, ut colligitur ex iis, quæ in utraque prædicta ratione dicit Scotus.

Ex his manifeſtè colligitur, Scotum tractantem ultimam quæſtionem non adverſari nobis in hac controverſia Contritionis, vel Attritionis requiſitæ vel ſufficientis in Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ: in aliis verò locis, quæ ſupra attuli, manifeſtè nobis favere. Nunc proferenda ſunt quæ docet circa reliquas noſtras controverſias ad idem Sacramentum pœnitentiæ ſpectantes.

24 Diſtinct. 15. quæſt. 1. loquens de ſatisfactione ſumpta pro actibus pœnalibus, & paſſionibus voluntariis, dicit, eam *reduci ad actum interiorem diſplicentiæ, vel paſſionem triſtitiæ, & ad actum exteriorem confitendi proprium peccatum, quod eſt valde pœnale, vel paſſionem concomitantem, ſcilicet verecundiam, & ad actum ſimpliciter exteriorem, vel paſſionem, ſcilicet macerando carnem, & omnem talem macerationem reduci ad jejunium, orationem, & elee-*

*& eleemoſynam*. Igitur confeſſio peccatorum, de qua quidam Doctores modò ita ſcribunt, ac ſi ea vix eſſet ulla ſatisfactio pro culpa, non ſolum eſt ſatisfactio per Scotum, ſed magna ſatisfactio, utpotè *valde pœnalis*, ac proindè non parvam pœnitentiam ſuſcipit, nec parùm Deo ſatisfacit, qui integrè confitetur.

25 Paulò poſt, traditâ eâ doctrinâ, quod ſatisfactio pro peccato ſuperbiæ eſt oratio, pro peccato carnis eſt jejunium, & aliæ carnis aſperitates, pro peccato avaritiæ eſt eleemoſyna, monet in caſibus particularibus non debere ſemper hanc regulam ſervari, nec eſſe neceſſarium, ſubditque. *Et hìc requiritur diſcretio Sacerdotis, ut non imponat alicui pœnam nimis ſibi diſconvenientem, ſed aliquam, quæ magis ſibi convenit, & quam fortè meliùs adimplebit, utpotè pauper nec eleemoſynas poteſt dare, nec orare, ſed oportet eum continuè laborare pro victu &c. tantummodò inducendus eſt, ut illum laborem ſubeat in remiſſionem peccatorum, intendens illum ad hunc finem referre, tandem quouſque occurrat ſibi opportunitas ſolvendi aliquam aliam ſatisfactionem, & aliqua alia poſſunt ei ita temperatè, & diminutè imponi, ut ſint ſibi poſſibilia. Conſimiliter dives, qui lapſus eſt ad peccatum carnis, ſi eſt adeo delicatus, quod non velit jejunare, nec aliam macerationem notabilem ſubire, vel præſumitur, quod ſi ſibi imponeretur, citò abjiceret, & ſic peccaret novo peccato, inducendus eſt ad orationem, & eleemoſynam, & illud ſibi imponendum eſt, quod libentiùs*

*recipit, & quod creditur perſeverantiùs adimplere. Vel ſi omninò nullam pœnitentiam velit recipere à Sacerdote, dicit tamen ſe habere diſplicentiam de peccato commiſſo, & firmum propoſitum non recidivandi, abſolvendus eſt, & non eſt reſpuendus, ne cadat in deſperationem, & nuncianda eſt ſibi pœna quæ eſſet pro peccatis facienda, & quod eam in ſe, vel in æquivalenti abſque impoſitione ſtudeat adimplere, alioquin ſolvet ad plenum in Purgatorio.* Hęc autem ſano modo intelligenda ſunt. Et primò dum dicit, abſolvendum eſſe Pœnitentem, etiamſi nullam pœnitentiam velit recipere, ſenſus eſt, quod nullam gravem & laborioſam velit recipere; nam aliquas preces & orationes nemo recuſat. Secundò, dum docet, eſſe hunc abſolvendum, ne cadat in deſperationem, jam docet; non debere Confeſſarium paſſim ſic indulgere, ſed ſolùm cùm Pœnitens rejectus deſperaret, & aliunde apparet diſpòſitus. Tertiò ſic eum vult abſolvi, ut tamen velit, ipſum moneri de pœnitentia, quam deberet facere, & quâ majorem faciet in Purgatorio, tum ut intelligat gravitatem ſuarum culparum, tum ut eam pœnitentiam, quam ſibi non vult imponi, ideſt ad quam non vult obligari, *ſtudeat adimplere abſque impoſitione* obligationis; ideſt ex ſua pietate ſpontanea, ex qua multa ſubindè facimus, quæ coacti non faceremus. Cæterùm voluiſſe Scotum, ut Confeſſarius per ſe loquendo & regulariter pœnitentiam imponat, patet ex eo quod diſt. 16. quæſt. 1. verſus finem dicit, ſatisfactionem aut in ſe aut in voto omninò requiri

in

in hoc Sacramento, & Sacerdotem in eo non ſolum abſolvere, ſed ligare ad pœnam: ſic enim habet loquens de contritione, confeſſione, & ſatisfactione. *Hæc tamen tria ad Sacramentum pœnitentiæ ad hoc, ut dignè recipiatur, requiruntur vel prævia, vel ſequentia. Simpliciter enim requiritur confeſſio, quia Sacerdos non abſolvit reum arbitrariè &c. Non eſt etiam utilis illa abſolutio, niſi præcedat in confitente aliqua contritio, vel attritio &c. ſatisfactio autem debet ſequi Sacramentum pœnitentiæ ad hoc ut habeat efficaciam, & hoc in re, vel in voto &c. iſta enim ſententia Sacerdotis ſic abſolvit, quod tamen ligat, abſolvit quidem à debito pœnæ æternæ, ſed ligat ad ſolutionem pœnæ temporalis, niſi ſit ſufficienter jam ſoluta.*

26 Diſt.15. quæſt.1. relata ſententia dicentium, non valere pœnitentiam factam in peccato mortali, nec per eam ſatisfieri præcepto Confeſſarii, ſubdit. *Dico ergo ſine præjudicio, quod qui ſemel verè pœnitet, & recipit ſatisfactionem, vel pœnitentiam condignam ſibi impoſitam ab Eccleſia clave non errante, quantumcunque poſtea recidivet, nunquam tenebitur niſi ad illam unicam ſatisfactionem adimplendam. Et ſi eam impleat in charitate, melius eſt, quia non tantùm ſolvit pœnam, ſed meretur. Sed ſi adimpleat eam voluntariè extra charitatem, ſolvit quidem pœnam, ſed non meretur gratiam.* Et paulò poſt. *Si magnam partem ſatisfactionis ſibi impoſitæ explevit in peccato mortali, & poſt iterum pœnitet de peccato novo, non eſt ſibi iteratò pœnitentia imponenda pro*

*peccato, de quo ſatisfecit, licet extra charitatem, ſed tantùm de novis peccatis, quæ fuerunt cauſa, quare illa ſatisfactio fuit mortua.*

27 Diſt. 17. circa mediū agens de præcepto confitendi hæc docet circa circumſtantias peccatorum. *Nec ſolùm peccata, ſed etiam circumſtantias peccatorum notabiliter aggravantes includit dictum præceptum &c. Saltem illas dico aggravantes eſſe neceſſariò confitendas, quæ ſpeciali prohibitione prohibentur, v. g. alienum accipere eſt illicitum, ſed ſpeciali prohibitione prohibetur accipi de loco ſancto, & ideò ſpeciale peccatum ſcilicet ſacrilegii, per hanc circumſtantiam conſtituitur.* De aliis verò circumſtantiis, quæ non mutant ſpeciem, nihil definire audet, & dicit, *non eſſe ita certum, quod oportet eas confiteri, tamen tutum, & utile eſſe hoc fieri.*

28 Circa tempus, quo obligat præceptum confeſſionis, propoſita ſub finem hujus quæſtionis ſententia dicentium, teneri peccatorem ſtatim confiteri, habita opportunitate Confeſſarii, & dicentium, teneri ſolùm id facere intra annum, hanc ſequitur dicens, *Secundum videtur eſſe mitius, quia præcepta pœnalia non ſunt amplianda, ſed reſtringenda, nec invenitur, quando præceptum iſtud affirmativum liget, vel obliget, niſi ad aliquando, & illud quando ante ſpecificationem Eccleſiæ fuit indeterminatum ad quodcunque quando ante mortem, ſed poſt ſpecificationem eſt indeterminatum ad quodcunque quando unicum in anno.*

*Cler.* Ex his verbis non videtur colligi, hanc

fuiſſe

fuiſſe ſententiam Scoti, nam ſolùm dicit, eam videri mitiorem.

*Auct.* Non id ſolum dicit, quod eſt cuique notum (quis enim neſciat hanc ſententiam eſſe mitiorem?) Sed poſitivè probat, eam eſſe veram, & præferendam. Sed ſatis de Scoto.

## §. II.

### *Doctrina Joannis Friburgenſis.*

PAulò poſt Scotum objit Joannis Friburgenſis Theutonicus Ord. Prædic. *vir probitate morum, candore, atque doctrinæ præſtantia celebris, in jure Canonico verſatiſſimus. Factus Epiſcopus Oſſunen. in Hungaria, mortuus eſt ann.* 1314. *Friburgi ſepultus multis miraculis claruit.* Hæc Altamura in Biblioth. ſui Ordinis. Ex pluribus quæ ſcripſit, celeberrima eſt Gloſſa ſuper ſummam S. Raymundi, ſi tamen ejus eſt, & ſumma Confeſſorum, quam compoſuit, perlectis antea diligentiſſimè non ſolo Raymundo, ſed ut ipſe dicit, Guillelmo, Innocentio, Hoſtienſi, Goffredo, aliiſque viris doctiſſimis, quos ſequitur. Seligam pauca, ut conſulam brevitati.

1 Lib.3. de partibus pęnitentiæ tit.34.quæſt.20. docet, debere peccatorem dolere de peccatis, dolore, qui, ſi non eſt contritionis, ſit ſaltem attritionis: hanc autem cum S. Thoma per defectum charitatis diſtinguit ab illa.

Quæſt.69. quærit, *an peccata mortalia confiteri*

*teneamur ſtatim, habita opportunitate* & reſpondet. *Duæ ſunt circa hoc opiniones; nam quidam dicunt, quod peccator tenetur ſtatim, habita opportunitate: Alii dicunt communiùs, quod, cùm ſit præceptum affirmativum, non obligat niſi pro loco, & pro tempore. Eccleſia verò in hoc præcepto potuit tempus determinate, cum ſit præceptum diſciplinæ, non naturę: unde regulariter non tenetur homo confiteri niſi ſemel in anno, ſcilicet in Paſcha, quando etiam neceſſe habet communicare. Hanc opinionem etiam D. Thomas dicit eſſe probabiliorem.*

2 Quæſt. 65. expendens ea, quæ requiruntur ad confeſſionem, inter quæ illud eſt quod ſit *frequens*, dicit id *ſic intelligi poſſe, ut ſi frequenter quis ceciderit in peccatum etiam mortale, frequenter reſurgat per pœnitentiam*, & quidem ſacramentalem, de hac enim agit. At quomodo id faciat, ſi poſt relapſum, per tres aut quatuor menſes, & amplius ſit ( ut dicunt aliqui ) probandus, antequam abſolvatur?

Quæſt. 81. quærens, *an teneamur confiteri omnes peccati circumſtantias*, ſaltem notabiliter aggravantes, dicit, ex D. Thoma probabiliorem eſſe ſententiam, quæ id negat.

3 Quæſt. 83. & 84. multa recenſet de quibus pœnitens interrogetur; ſed in fine monet cum gloſſa ſuper verb. *unctio inſpirabit*, quod *Pœnitentiarius non debet eſſe nimis ſcrupuloſus, ſi fortè aliquam de his interrogationibus aut propter occupationem, aut propter oblivionem, aut propter ſimplicitatem omit-*

*tat*,

*tat, dum tamen non laboret craſsâ ignorantia, vel ſupinâ, aut negligentiâ diſſolutâ. Vix enim contingit, aut nunquam quod pœnitentiarius quantumcunque diſcretus* ( ideſt doctus ) *obſervet omnia quæ hìc dicuntur &c.*

Quæſt. 89. agit de abſolutione, ſed nihil de ea differendâ iis, quibus regulariter differendam, docent nunc aliqui; imò expreſsè dicit, quod *confeſſionem contriti peccatoris regulariter debet ſubſequi abſolutio Sacerdotis*. Ex dictis autem ſupra, & ex iis quæ poſtea docet quæſt. 135. eſt habendus tanquam verè contritus, qui dicit, ſe pœnitere, nec aliunde præbet indicium impœnitentiæ, aut non ſecuturæ emendationis, quale indicium nec docet eſſe relapſum, nec inveteratam peccandi conſuetudinem, quia videlicet, quamvis aliquando ſit, ſubindè non eſt, cùm præſertim qui relapſus eſt, conatus eſt non relabi, aut aliquando ſe continuit, & proponit tollere pravam conſuetudinem, nec aliàs fidem fefellit.

4 Quæſt. 104. docet quidem majori culpæ debere majorem pœnam ſatisfactoriam imponi, nempè per ſe loquendo, ſed quæſt. 110. quærens *utrum, cùm Sacerdos dicit pœnitenti quidquid boni feceris ſit tibi in remiſſionem peccatorum, ſit ſatisfactio ſacramentalis*, reſpondet cum D. Thoma quodlib. 3. quæſt. 13. *ſic videri*, imò totam doctrinam hic exſcribit, quam habet D. Doctor in ea quæſt. & præſertim ea verba. *Videtur autem ſatis conveniens, quod Sacerdos non oneret pœnitentem gravi pondere ſatisfactionis, ne deſperet, ſed melius eſt, quod Sa-*

*cer-*

*cerdos pęnitenti dicat, quanta pęnitentia eſſet ſibi pro peccatis injungenda, & injungat ſibi nihilominus aliquid, quod pęnitens tolerabiliter ferat, ex cujus impletione aſſueſiat, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos injungere non attentaſſet &c.*

Hinc eſt, quod, quamvis poſtea quæſt. 124. recenſeat Canones pœnitentiales; tamen, relatâ opinione dicentium, non teneri Sacerdotem imponere canonicas pœnitentias, & poſſe in hoc ſequi ſuum arbitrium, conſideratis circumſtantiis, ſubdit. *Et hanc opinionem approbat conſuetudo, quia generaliter hoc ſervatur, & pro hac facit, quod Doctores juris communiter tenent, pęnam ſcriptam in judicio criminali, & contentioſo mutari poſſe, ergo magis in pęnitentia &c. hæc opinio tenenda eſt, quia revera pęnitentiæ modò arbitrariæ ſunt.* Proponens autem poſtea id, quod dici tunc ſolebat, nempè pro quolibet mortali, imponendam regulariter ſeptennem pœnitentiam, addit ex Hoſtienſi. *Sacerdos prudenter ſibi conſulit, ſi dicat Pęnitenti ſic, cariſſimè tu commiſiſti tot & talia peccata, pro quolibet deberes ſic pęnitere. Sed fortè vita tua ad hoc peragendum non extenderetur. Injungo tamen tibi talem pęnitentiam pro omnibus.* Et quia hæc ipſa, quamvis longè minor pœnitentiâ canonicâ, poterat videri major, monet ex eodem Hoſtienſi Sacerdotem, ut dicat pœnitenti, *concedo tibi quod quòcunque ieris, remiſſiones Prælatorum tibi factæ proſint, quæ aliàs non prodeſſent, & omnia bona, quæ facis, & mala, quæ pro Deo ſuſtines, injungo tibi pro pęnitentia.*

Cler.

5 *Cler.* Cur ergo recenſet Canones pœnitentiales (quod audivi fieri ab omnibus antiquis Caſuiſtis, & Canoniſtis) ſi jam non obſervebantur, nec iſta notitia indigerent Confeſſarii ad dignoſcendam diverſam gravitatem peccatorum, ut indigebant olim, antequam ſcribere inciperent Caſuiſtæ.

*Auct.* Eos Canones recenſet is Author, & alii eorum temporum, primò ad eruditionem quandam, ut multi etiam modò eos recenſent, quod ipſe feci lib. 1. hujus Operis. Secundò ut aliquando ſignificarentur pœnitenti, cùm videlicet is levia putat eſſe ſua flagitia, nec dignâ pœnitentia valde gravi. Quia verò ad hunc finem ſatis eſt monere generatim, quod pœnitentia plurium annorum pro ſingulis ferè peccatis fuit à Patribus olim ſtatuta, & multi alii Canones, ac decreta magis neceſſaria Confeſſariis condita poſtea fuere à Pontificibus, & Conciliis, illis omiſſis jam minimè neceſſariis, hæc afferri cœperunt à Caſuiſtis, & hæc modò callere tenentur Confeſſarii, quamvis eos etiam antiquos Canones noſſe perutile ſit. Hinc habes cur eos Canones pœnitentiales non afferant recentiores Caſuiſtæ. Non id argumentum eſt diſciplinæ laxatæ, ſed diſciplinæ aliis magis neceſſariis legibus munitæ. Sed de hoc ſatis egi lib. 2. Nunc accipe reliquam hujus Authoris doctrinam.

6 Quæſt. 128. quærit, *an Pęnitens expletâ pęnitentiâ ſibi à Sacerdote impoſitâ ſit totaliter abſolutus*, videlicet à pœna, & reſpondet quod non, ſi Sacerdos minorem impoſuit. *Et ideò ſi eam hìc non*

*explet*

*explet Pęnitens, ab eo in Purgatorio exigetur*. Monet tamen, quod ſupra benigniſſimè monuit S. Thomas, quandoque Sacerdotem minorem pœnitentiam imponentem plus prodeſſe, quàm nocere Pœnitenti, *qui fortè magnitudine pęnæ poſſet à pęnitentia peragenda impediri propter debilitatem virtutis adhuc in eo de novo recuperatæ, & ideò negligit minus damnum, ut majus evitet, & interim paulatim conformatur in eo Divinus amor ad plura pęnitentiæ opera peragenda*.

Quæſt. 135. quærit, *utrum ſi aliquis pœnitet de peccatis, vel dicit ſe pœnitere, non tamen vult ſubire onus pœnitentiæ, dicens, ſe tenerum, vel malè complexionatum, vel ſimile, ſit admittendus ad pœnitentiam*. Et reſpondet eo prorsùs modò quo B. Raym. & iiſdem verbis. Indè affert ea loca Scripturæ, & Patrum, quæ ſuadent hanc indulgentiam, allata ſimiliter à S. Raymundo ſubditque. *Concordat etiam ſupradictis gloſſa dicens quod non debet injungi pœnitentia niſi quam ſpontè, & ſine murmuratione voluerit Pœnitens ſuſcipere. Concordat etiam Thomas in ſcript. diſt. 19. & addit hìc gloſſa dicens, conſulo, quod ad vitandam inobedientiam, & tranſgreſſionem talibus nulla, aut pauca ſatisfactio injungatur ſub præcepto, & quod concedatur eis, quod liceat eis jejunium ſibi injunctum, aut orationes, aut eleemoſynas, & quæcunque alia ſibi injuncta redimere, cùm voluerint. Concordat etiam his Innocentius. Sed quid, ſi credo de aliquo quod non fatiet quod promittit, aut quæ injunguntur in pœnitentia?*

*Num-*

*Numquid abſolvendus eſt ſub conditione, ſi hoc, vel illud fecerit?* Reſp. ſecundum gloſſam ibidem, *Pœnitentiarius, ne laqueum tranſgreſſionis præparet pœnitenti, non debet ab eo exigere promiſſionem, aut votum de aliqua pœnitentia facienda, aut etiam juramentum, niſi in caſibus expreſſis à jure, ſed ſufficit, quod dicat, ſe habere propoſitum faciendi, quod ſibi injungitur, & ſic debet abſolvi ſimpliciter, & ſine conditione, facta tamen proteſtatione, ſi ſuſpectus habeatur, quod ſi non reſtituat quod abſtulit, aut non faciat alia, ad quæ tenetur, dum tamen, poſſit, fructum ipſius factæ confeſſionis, & abſolutionis evacuabit.*

7 Hìc notanda ſunt aliqua,& 1.nullum tunc Doctorem putaſſe, jure Divino teneri eum qui peccavit, ſubire condignam ſatisfactionem, imò perſuaſum omnibus fuiſſe, non dari tale præceptum; non ſolum quippe non meminit hìc, aut alibi hujus opinionis (quod notandum eſt etiam in reliquis omnibus horum ſæculorum Doctoribus) ſed præterea totam rationem, propter quam pœnitens tam delicatus videri alicui poterat non abſolvendus, petit ex eo, quod non videtur perfectam & ſufficientem deteſtationem ſuorum peccatorum habere, non autem ex eo, quod extet tale præceptum Divinum imponendi,& peragendi ſatisfactionem condignam. 2. Notanda ſunt illa verba, *ſi dicit ſe pœnitere &c.* & illa alia, *ſufficit quod dicat ſe habere propoſitum faciendi quod ſibi injungitur, & ſic debet abſolvi.* Vult ergo haberi fidem pœnitenti eique credi, non

ſolùm

ſolùm dum dicit, ſe feciſſe hæc peccata, & non alia, ſed etiam dum dicit, ſe dolere, & proponere; niſi videlicet aliunde colligatur, eum non dicere ex corde, quod non eſſe ita facilè colligendum, ſatis innuit; dum dicit ſic abſolutè *ſufficit* etiam dum agit de duobus pœnitentibus, quorum unus non vult ſubire onus aſperæ pœnitentiæ, alter non apparet ita fortis, ut de eo Confeſſarius ſperet optimè. Hæc autem docet ex S. Raymundo, aliiſque. 3. Notanda ſunt illa verba Gloſſæ allegatæ, *conſulo quod nulla, aut pauca ſatisfactio injungatur ſub precepto*, prædicto pœnitenti non admodum forti. Non igitur nova eſt ea doctrina Suarii, aliorumque dicentium poſſe aliquando imponi ſaltem partem pœnitentiæ ſine præcepto. 4. Tandem notari debet, uti veteres Doctores nihil ferè curandum magis putarunt, quàm ne Pœnitens, aut prægravatus, aut illaqueatus, aut deſperatus abiret. Hæc autem quæ olim prima fuit cura Confeſſorum, aut inter primas, nunc ultima videtur eſſe apud non paucos Doctores.

8 Quæſt. 182. agens de Indulgentiis quærit, an, cùm aliquis obtinuit à Papa indulgentiam, qua ſibi perſolventi in eleemoſynam aliquot nummos, remittitur pœnitentia ex. gr. ſeptem annorum, teneatur poſtea exequi pœnitentiam ſibi impoſitam, ex. gr. jejunare, & reſpondet ex Hoſtenſi quod non tenetur, nec poteſt cogi ad tale jejunium: hortatur tamen ex eodem Hoſt. non omittere pœnitentiam impoſitam. Et quæſt. 190. expreſſiùs quærit, numquid

quid propter indulgentias, quas quis conſequitur, omittere debet pœnitentiam injunctam? Et dicit. *Reſpondeo ſecundum Thomam. Conſulendum eſt hominibus qui indulgentias conſequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentię injunctis abſtineant &c.* Igitur nec D. Thomas, nec alii poſt illum antiqui Doctores auſi fuerunt pronunciare, ut modò aliqui faciunt, manere etiam in prædicto caſu indulgentiæ præceptum peragendi impoſitam, eamque congruam culpis ſatisfactionem; ſoloque conſilio contenti fuere, etiam cùm non ageretur de ſatisfactione condigna, ſed de alia minori, quam ſaltem minui poſſe in eo caſu indulgentiæ, conceſſerunt omnes.

## §. III.

### *Doctrina Aſteſani.*

ANno 17. ejuſdem ſæculi Aſteſanus Seraphici Ordinis Doctor pręclariſſimus ſummam ſuam, ex patria Auctoris dictam Aſtenſem, ſcripſit, ut notatur in calce epiſtolæ libro præfixæ, qua idem Aſteſanus hoc ſuum Opus Joanni Cajetano Diacono Cardinali nuncupavit.

De hac ſumma idem Cardinalis in epiſtola, qua Authori eam dedicanti reſpondit, ita loquitur, *Oſtenditur in ejus lectione profunditas, ingenii in ſui examinatione ſubtilitas, ac verborum in ſui conſideratione maturitas demonſtratur.*

De eodem libro Bartholomæus Bellatus ejuſdem Ordinis Theologus in epiſtola, qua idem Opus recu-

recuſum dedicat, ita ſcribit, *Nihil in iſto eſt, quod ad unguem non ſit accuratiſſimè examinatum, nibil omiſſum, quod ad bene, beatèque vivendum pertineret*. Et paulò poſt *quippè præclarius nibil habet tota Dei Eccleſia*.

Idem Author in proæmio ſummam hanc ſe elaboraſſe dicit, colligendo ſententias ex præcipuis Theologiæ, & Juris Canonici Doctoribus, quos ibi recenſet, nempè S. Thoma, S. Bonaventura, Alexandro Halenſi, Guillelmo Anglico, Petro de Tarantaſia, Scoto, Innocentio IV. Hoſtienſi, Jo: Andrea, aliiſque primæ notæ Doctoribus, *ſeque nihil, aut parùm de ſuo poſuiſſe*. Quam ergo doctrinam proponit, receptiſſima tunc erat & communis. Eſt autem hæc circa Sacramentum de quo agimus.

1 Tit. 4. de effectu pœnitentiæ art. 1. quæſt. 1. quærit, *utrum per pœnitentiam peccata tollantur*. Et reſpondet ex Scoto, quod *ſicut adultus primam gratiam delentem originale poteſt habere duplici via, ſcilicet vel ex receptione Baptiſmi, vel ex bono motu diſponente de congruo ad gratiam: ita gratiam delentem peccatum actuale mortale poteſt habere duplici via ſcilicet per pœnitendi actum, vel per pœnitentiæ Sacramentum. In prima via requiritur ad ſuſceptionem gratiæ motus meritorius de congruo. In ſecunda via non requiritur talis actus, qui ſufficit ad meritum de congruo. Sed ſufficit voluntaria receptio Sacramenti pœnitentiæ ſine fictione, ideſt cum intentione ſuſcipiendi quod confert Eccleſia, & ſine obire peccati mortalis &c.* Notatque cum eodem Scoto, quod

quod alioquin non appareret, quomodo hoc Sacramentum ſit ſecunda tabula, & quomodo in eo ſolvit Sacerdos à vinculis peccatorum, ſi ſit in eo neceſſaria contritio, quæ per ſe pœnitentem à peccatis abſolvit. Hæc autem tunc, nimirum tanto tempore ante Tridentinum, non erat doctrina ſolius Scoti, ſed jam communis Thomiſtis, Scotiſtiſque, ut conſtat ex dictis, & conſtabit magis ex dicendis, quod notari velim ad refellendos eos, qui poſtquam Concilium tam luculenter efficaciam hujus Sacramenti declaravit, & confirmavit, dicunt, ſuſtineri adhuc poſſe (ſed ipſi non audent ſuſtinere) neceſſariam eſſe in hoc Sacramento non ſolùm contritionem, ſed contritionem perfectam, & per ſe ſufficientem ad remiſſionem peccatorum, quod (ni fallor) eſt idem ac dicere, ſuſtineri adhuc poſſe, hoc Sacramentum non eſſe ſecundam tabulam, nec eſſe inſtitutum ad vivificandos mortuos, ad ſolvendos qui ligantur vinculis peccatorum. Nam quomodo eſt inſtitutum ut ſit ſecunda tabula liberans â morte illud Sacramentum, quod, per ſe loquendo, non recipitur niſi à ſalvatis? Quomodo eſt inſtitutum ut Sacerdos in eo ſolvat à peccatis, ſi, ſaltem per ſe loquendo, non ſolvit unquam, niſi ſolutos vinculo peccatorum?

2 *Cler.* Reſpondent, adhuc verum eſſe, quod hoc Sacramentum ſalvat & ſolvit, quia id facit ſaltem in voto.

*Auct.* Ecquid eſt hoc votum? Eſt ne ipſum Sacramentum?

*Cler.* Non quidem, ſed eſt propoſitum ſuſcipiendi ſuo tempore Sacramentum Pœnitentiæ incluſum in ipſa Contritione.

*Auct.* Non igitur Sacramentum ſalvat & ſolvit, ſed tale propoſitum.

*Cler.* Non ſalvat quidem nec ſolvit in tali caſu ipſum Sacramentum in ſe, ſed in voto ſuſceptum.

*Auct.* Sed iterum quæro, quid eſt hoc Sacramentum in voto ſuſceptum, niſi propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum in contritione incluſum? Igitur in tali caſu non ſalvat, & ſolvit ipſum Sacramentum ſuſcèptum, ſed ipſum dumtaxat propoſitum Sacramenti, ſeu ipſa contritio.

*Cler.* Salvat quidem & ſolvit ipſa contritio, ſed in virtute Sacramenti.

*Auct.* En iterum verba. Nam quid eſt quod contritio ſalvet, & ſolvat in virtute Sacramenti? Eſt ne quod Sacramentum det virtutem contritioni? Hoc dici non poteſt, nam contritio virtutem remittendi peccata non habet ex Sacramento: quamvis enim verum eſſet, Contritionem in Lege Evangelica continere votum ſuſcipiendi Sacramentum, non ſolùm eo modo, quo continet votum parendi omnibus pręceptis graviter obligantibus, ſed modo peculiari, ac diſtincto, adhuc dici non poſſet ab ea remitti peccata in virtute Sacramenti: nam ſi Contritio ſeu propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum remitteret peccata & ſalvaret in virtute Sacramenti, vel id faceret in virtute Sacramenti quod eſt ſuſceptum, vel quod ſuſcipitur, vel quod ſuſcipietur, ut, quia

Con-

Contritio virtutem habet remittendi peccata ex virtute Paſſionis Chriſti, id facit in virtute Paſſionis Chriſti quæ vel fuit, vel eſt, vel erit: Ante adventum Chriſti Contritio remittebat peccata in virtute Paſſionis Chriſti futuræ, noſtra Contritio id facit in virtute Paſſionis Chriſti quæ fuit, & ſi Paſſio Chriſti nunquam extitiſſet, nec extitura unquam eſſet, jam Contritio non remitteret peccata in virtute Paſſionis Chriſti. At Contritio præcedens ſuſceptionem Sacramenti non remittit peccata ex virtute Sacramenti ſuſcepti, vel quod ſuſcipitur, nam præcedit; nec ex virtute Sacramenti quod ſuſcipietur; nam remittit peccata, etiamſi nunquam poſtea ſuſcipiatur Sacramentum. Ergo non remittit peccata ex virtute Sacramenti.

3 *Cler.* Dicunt remittere peccata in virtute Sacramenti ut voliti, ſeu in virtute Sacramenti ut ſuſcipiendi ſuo tempore, ſicuti aliquando captivi, antequam exolvatur pretium, liberantur, in virtute pretii promiſſi, etiamſi poſtea pretium nunquam exolvatur. Demum contritio remittit peccata in virtute Sacramenti, quatenus (ut explicat prædictus recentiſſimus Scriptor pag.83.) *actio Sacramentalis in voto contriti exiſtens, tantundem valet in acceptatione Divina, & illius intuitu non minùs applicantur Chriſti merita, quantum ad remiſſionem culpæ, quàm ſi actu & formaliter exercerentur.*

*Auct.* Sed hæc aut ſola verba ſunt, aut propoſitiones falſæ. Et primò Sacramentum ut volitum, ſi non eſt ipſum Sacramentum in ſe, nihil eſt

aliud quam volitio Sacramenti. Si ergo Contritio remittit peccatum in virtute Sacramenti ut voliti, remittit peccatum in virtute volitionis, & propoſiti ſuſcipiendi Sacramentum, & non in virtute Sacramenti.

4 Secundò (ut impugnem cætera) dum promittitur pretium, & ex vi talis promiſſionis liberantur captivi, dicuntur hi liberari in virtute pretii promiſſi, quatenus pretium promiſſum creditur exolvendum, & ut tale movet promiſſarium ad liberandos captivos. At Sacramentum ut ſuſcipiendum non movet Deum ad remittendum peccata homini contrito, cum homini contrito peccata remittat, etiamſi ſciat, Sacramentum nunquam eſſe ab eo ſuſcipiendum, & remitteret, etiamſi Sacramentum non eſſet inſtitutum. Hinc intelligis quam inutiliter afferatur exemplum Paſſionis Chriſti: nam juſtificatus fuit Abel in virtute Paſſionis Chriſti, quatenus hæc erat exſtitura,& ut extitura movebat Deum ad conferendum Abeli gratiam, qua juſtificaretur; & niſi eſſet unquam extitura, non moviſſet Deum, nec Abel in virtute ipſius fuiſſet juſtificatus. Ergo quandoquidem non movetur Deus ad remittenda peccata Contrito à Sacramento futuro, cùm ſæpè non ſit futurum, cumque ei remitteret, etiamſi non eſſet futurum, non poteſt dici, quod Contritio remittit peccata in virtute Sacramenti, ut ea remittit in virtute Paſſionis Chriſti.

Demum, ſi contritio remitteret peccata in virtute Sacramenti, quia tantundem valet ad remitten-

tenda peccata, quantum ipſum Sacramentum in ſe ſuſceptum, jam ipſum Sacramentum in ſe ſuſceptum remitteret peccata in virtute perfectæ charitatis, cum tantundem valeat quantum iſta ad remittenda peccata, & univerſaliter omne æquivalens alteri in ordine ad aliquem effectum, præſtaret illum in virtute alterius, adeoque unio hypoſtatica æquivalens gratiæ ſanctificanti in ordine ad ſanctificandam animam, eam ſanctificaret in virtute gratiæ ſanctificantis, quo quid magis ineptum, & falſum?

5 Igitur fundatiſſimè dixit Aſteſanus ſequens reliquos Doctores, non apparere, quomodo hoc Sacramentum ſit ſecunda tabula, & quomodo ſit inſtitutum ut in eo Sacerdos ſolvat à peccatis, & non ſolum à pœna, ſi præhabenda ſit contritio ſalvans & ſolvens à peccatis. Quæ difficultas tanta eſt, ut, cùm ſuperare eam nequeant ii ipſi, qui contritionem in Sacramento Pœnitentiæ neceſſariam eſſe docent, jam ferè omnes diſtinguant Contritionem & charitatem perfectam qua ſalvamur, & abſolvimur, à Contritione & Charitate imperfecta, qua ſolâ non ſalvamur, nec abſolvimur, & hanc ſolam non verò illam exigunt in Sacramento; ſed incurrunt in alium ſcopulum, dum non charitati, ſed gradui charitatis vim tribuunt expellendi & remittendi peccata, quod (ut oſtendi in Tractat. de Dolore &c. lib. 2. cap. 1.) eſt contrarium ſcripturis, Patribus & omnibus antiquis Theologis hanc vim remittendi peccata omni Contritioni ex vera Charitate conceptæ, tribuentibus. Hinc Aſteſanus

6 Tit. 9. de Contritione art. 5. quærens, *Utrum Contritio ſit cauſa remiſſionis peccati*. Reſpondet *quod ſic*, nec diſtinguit Contritionem quæ perficitur ſola charitate inchoatâ & remiſsâ, à contritione quæ formatur charitate adultâ & perfectâ, ut diſtinguit in quæſt. ſequenti quærens, *Utrum Contritio poſſit totaliter reatum pœnæ tollere*. Reſpondet enim poſſe charitatem, quæ in Contritione *diſplicentiam cauſat, tantùm intendi, ut Contritio mereatur non tantum culpæ amotionem, ſed etiam amotionem ab omni pœna*.

Nunc quæro ab Adverſariis, cur Aſteſanus primæ quæſtioni reſpondet abſolutè, quod Contritio eſt cauſa remiſſiva peccati, nec diſtinguit Contritionem intenſam à non intenſa: ſecundæ autem quæſtioni reſpondet diſtinguendo Contritionem intenſam à non intenſa, & concedit ſoli Contritioni intenſæ, & valde intenſæ eſſe cauſam remiſſivam totius reatus pœnæ?

*Cler.* Hoc profectò eſt argumentum optimum: nam certè diſtingueret in prima quæſtione, ut facit in ſecunda, ſi ſoli Contritioni perfectæ & intenſæ eam vim tribueret. Nec video quid reſoondere poſſint Adverſarii. Quare fateantur, oportet, Aſteſanum favere nobis.

*Auct.* Nec ſolum Aſteſanum, ſed alios omnes. Nam omnes, innumeri certè, inſtituunt eas duas quæſtiones, omneſque eodem modo reſpondent, non diſtinguentes in prima, diſtinguentes in ſecunda. Ergo omnes concedunt indiſtinctim omni contri-

tri-

tritioni vim remiſſivam peccati. Ergo omnes Doctores noſtri ſunt, omnes contrarii ſunt Adverſariis noſtris.

7 Eam quoque quæſtionem, quam agitant omnes, agitat hic qu. 3. Aſteſanus. Utrum ad removendum quodvis magnum peccatum, ſufficiat quantumcunque parva contritio. Et reſpondet, ut reliqui, *quod ſic*, ac proindè confirmat quod antea dicebam, nempè eum cuivis contritioni tribuiſſe vim remiſſivam peccati. Hæc ſunt ejus verba. *Reſp. quod ſic. Nam, cùm contritio dicat actum pœnitendi charitate formatum, & QUANTUMCUMQUE MODICA CHARITAS SUFFICIAT AD REMOTIONEM QUANTORUMCUMQUE, ET QUORUMCUMQUE MAGNORUM PECCATORUM MORTALIUM, IGITUR QUANTUMCUMQUE PARVA CONTRITIO SUFFICIT PRO QUANTOCUMQUE MAGNO PECCATO.*

*Cler.* Dicunt, hic agi de charitate habituali, cujus vel minimo gradu expelli peccatum fatentur.

*Auct.* At fateantur, neceſſe eſt, expelli peccatum etiam minimo gradu charitatis actualis; nam hic docet Aſſeſanus, omnem contritionem, quantumcumque parvam, ac proindè etiam cõtritionem cõceptam ex charitate actuali remiſſa eſſe actum charitate habituali formatum, ſed omnis actus charitate habituali formatus expellit peccatum, ut concedunt, ergo omnis contritio etiam concepta ex charitate actuali remiſſa expellit peccatum, ergo etiam charitas re-

miſſa, ac proindè quævis charitas, vel perfecta ſit, vel ſolùm inchoata, ex Aſteſano expellit peccatum.

*Cler.* Hanc ego collectionem non prævideram, ſed verè optima eſt: nam ſi contritio quantacunque parva, nempè ex quantacunque parva charitate actuali concepta, eſt charitate habituali formata, jam contritio etiam concepta ex charitate remiſsâ, & inchoatâ formatur charitate habituali, ergo jam contritio concepta ex charitate remiſsâ, & inchoatâ ſufficit ad expellendum peccatum.

*Auct.* Videamus nunc, quid Aſteſanus doceat circa reliqua.

8 Tit. 17. Multa recenſet, circa quæ ſit interrogandus, aut docendus Pœnitens, ſed bene ſic monet in calce hujus tituli. *Non eſt autem intelligendum, quòd omnia hæc ſuperiora, & inferiora ſemper ad unquem ſint ſervanda: ſed Confeſſor diſcretus eliget ſecundum quod qualitas perſonæ, & verborum exiget, & quod expedire ſibi videbitur. Hæc enim dicimus ad eruditionem ſimpliciumConfeſſorum*, Ut nempè ſciant ſpecies peccatorum, & diverſas diverſorum hominum obligationes: ex qua ratione in antiquis libris pœnitentialibus, interrogationibus innumeris Confeſſarius ſcrutatur Pœnitentem.

9 Tit. 18. De qualitate Confeſſionis inter caſus, in quibus dicit,eſſe iterandum Confeſſionem, recenſet illum *recidivationis*: non quia ex hac colligat, defuiſſe verum dolorem in præterita Confeſſione, ſed propter ingratitudinem,quam committit, qui relabitur, quam tunc aliqui docebant eſſe confitendam,

dam, ut ſpeciale peccatum. Et ideò addit *non credo tamen quod teneatur dicere alia peccata, niſi in generali, ut ſi dicat, aliàs ſe peccaſſe, & confeſſum fuiſſe*. Id autem non ſufficeret, ſi relapſus indicaret defectum doloris in Confeſſione præterita. Et concludit *ALIUD DICERE EST VIAM CONFESSIONIS, ET SALUTIS MULTIS AUFERRE, cùm multi aliquando confiteantur aliquod peccatum enorme, quod poſtea vix dicerent alicui Sacerdoti*. Igitur Adverſarii, qui aliud dicunt, viam confeſſionis, & ſalutis multis auferunt, ex Aſteſano.

*Cler*. Igitur ex relapſu nunquam licebit arguere defectum veri doloris, & propoſiti in Confeſſione præterita?

*Auct*. Id ego non doceo; ſed ſolùm refero quid alii doceant. Nullum autem Doctorem antiquum legi, qui ex ſolo capite relapſus arguat hunc defectum, ac proindè velit eſſe ex hoc capite iterandas Confeſſiones. Cęterùm non nego, aliquando relapſum eſſe ita frequentem, & ita facilem, ac ſine ullo conatu emendationis, ut excitare debeat prudentem de præterita diſpoſitione dubitationem, ſed de hoc infra.

9 In hoc eodem tit. agens de eo, qui nequit verbo, aut nutu confiteri, docet, hunc non teneri ſcriptura, aut per interpretem id facere, additque *NON ESSE TUTUM ad id obligare, nam qui vehementer emungit, elicit ſanguinem* Proverb. 30. Non igitur omnes ſententiæ, quæ ſunt magis rigidæ ſunt etiam magis tutæ, ut multi putant.

10 Ex-

10 Expendens poſtea in eodem tit. 18. id quod dicitur, Confeſſionem debere eſſe ſecretam, hæc habet. *Duodecimò debet confeſſio eſſe ſecreta, ſcilicet, ut homo confiteatur uni ſoli Presbytero, & in ſecreto peccata ſua: niſi ſit peccatum adeo enorme, quod totam commoverit Urbem, vel etiam totum Orbem, quod quidem debet quis in publico confiteri, ut in publico ſolemnis ſibi pœnitentia imponatur, & reum ſe cognoſcat, vel fateatur. Sic igitur, quantum eſt de lege communi, Confeſſio debet fieri in ſecreto unico Sacerdoti, ſicut expreſſè dicit illa decretalis, omnis utriuſque ſexus. Ratio eſt, quia ſi publicè fieret, INFINITA MALA ORIRENTUR, puta, rixæ, diſcordiæ, & infamiæ: unde tunc confeſſio eſſet valdè oneroſa, ignominioſa, & periculoſa, ut patet.* Et tamen nunc aliqui Doctores dicunt, conſueviſſe olim fieri etiam latentium delictorum publicam Confeſſionem, putantque indè commendari veterem diſciplinam.

11 Eodem tit. 18. propè finem quærit, *Numquid confeſſio debet eſſe informata charitate?* & reſpondet. *Sacramenta quædam ordinata ſunt ad gratiam acquirendam, ut Baptiſmus, & Pœnitentia, quædam ad gratiam promovendam, ſive augendam, ut confirmatio, & Euchariſtia. Dico ergo quod ſicut ſecunda Sacramenta non habent efficaciam, niſi in habentibus charitatem, ſic nec prima, niſi in diſponentibus ſe ad charitatem: & ſicut dictum eſt ſupra, quod tenemur accedere ad Euchariſtiam cum charitate, non quidem neceſſariò ſecundum veritatem, ſed ſuffi-*

*ſufficit ſecundum probabilitatem, ſic non eſt neceſſe, quod accedens ad confeſſionem habeat charitatem, vel diſpoſitionem ad charitatem ſufficientem ſecundum veritatem, ſed ſufficit quod ſecundum probabilitatem. Hæc autem diſpoſitio eſt attritio, quia ſæpè in Confeſſione, & abſolutione Presbyteri formatur per gratiam, ut contritio fiat, vel ad eam contritio ſubſequatur. Unde ſufficit quod homo probabiliter ſe diſponat ad gratiam per omnium peccatorum deteſtationem. Quod ſi non facit, ſed cum voluntate peccandi accedit, mortaliter peccat, quia Sacramentum irritum facit, quantum eſt ex ſe, quod non eſt ſine contemptu.* Quibus confirmat, quæ docuit initio, nimirum hoc Sacramentum non exigere, ut qui accedit, ſit vivus, & ſolutus; hinc enim ſequitur, quod non exigat in eo charitatem; & quidem nec actualem, cum, ut ſupra oſtendimus, omnis charitas actualis utcunque parva, ſit ex Aſteſano conjuncta cum remiſſione peccatorum, ac proindè cum charitate habituali, quæ certè non requiritur in eo, qui ad hoc Sacramentum accedit. Hinc rursùs colligitur, eum nomine Attritionis non ſignificare dolorem conceptum ex charitate, ſed ex fide proponente alia motiva ſufficientia ad excitandam omnium peccatorum deteſtationem, quam proindè dicit ſufficere: non enim verum eſſet, hanc ſufficere, ſi præterea requireretur, ut hæc deteſtatio prodiret ex charitate.

12 *Cler.* Dicent Adverſarii, requiri abſque dubio, ut hæc deteſtatio procedat ex fide, & tamen id non

non monet Aſteſanus, & dicit abſolutè, ſufficere eam deteſtationem. Ergo quamvis requiratur, ut hæc deteſtatio procedat ex charitate, potuit abſolutè dicere, ſufficere eam deteſtationem, quia videlicet ut illud, ita hoc ſubintelligitur.

*Auct:* Reſp. quod aliqua abſque dubio ſubintelliguntur, quia videlicet ſolent ineſſe omnibus. Non enim facilè reperies (ut alibi monui) qui deteſtetur peccatum, & ex tali deteſtatione accedat ad Confeſſionem, quin deteſtetur peccatum ex motivo ſupernaturali, & ſaltem ex metu gehenuæ per fidem propoſitæ, ut nec reperies, qui hoc faciat, quin faciat cum ſpè veniæ, & ideò ſępè Doctores non monent requiri, ut dolor ſit ex motivo ſupernaturali, ſit ex fide, & cum ſpè veniæ, at non contingit facilè, & ſemper, imò nec plerumque, ut quis deteſtetur peccata ex motivo charitatis. Ergò benè illud ſubintelligitur, non hoc. Ergo, ſi hoc requiritur, debuit moneri: ſicuti quia in Sacramento Confirmationis requiritur unctio ſpecialis ex oleo, & balſamo, quæ non ſolet ſignificari nomine unctionis, nec ſolet adhiberi ab omnibus, qui ungunt, non ſatis eſt dicere, in eo Sacramento requiri unctionem, ſed debet exprimi, & dici, requiri unctionem ex oleo, & balſamo; & qui diceret, ſufficere unctionem, falſum diceret. Hinc autem conficitur argumentum validiſſimum pro noſtra ſententia, cùm Eccleſia non doceat requiri in hoc Sacramento dolorem conceptum, & extractum, ut ita dicam, ex balſamo charitatis, & non ſolus Aſteſanus, ſed reli-

qui

qui Doctores communiter doceant ſic abſolutè, ſufficere deteſtationem omnium peccatorum, nec aliud exigant à Pœnitente, quàm, ut verè deteſtentur peccata, nempè doleant, & proponant, ut aliàs monui.

13 Circa ſatisfactiones, quas Confeſſarius imponit, ea omnia docet, tit.21. quæ præcedentes Doctores, quos attuli, tradunt, & 1. dicit, ſententiam, quæ docebat, non exiſtere præceptum imponendi pœnitentias canonicas, fuiſſe *Communiorem, à conſuetudine approbatam, & tenendam* 2. affert Hoſtienſem, qui *conſulit*, ut Confeſſarius pœnitenti dicat inter alia, *eleemoſynæ, & omnia bona, quæ feceris, & mala quæ pro Deo toleraveris, tibi proſint ad remiſſionem peccatorum tuorum*. 3. quærit, *Nunquid ex quo Presbyter hæc verba dicit Pœnitenti, erit illa ſatisfactio Sacramentalis?* & ſubdit, *Reſpondet Thomas in quadam quæſt. de Quodlib. quod eſt Sacramentalis: in quantum virtute clavium eſt expiativa culpæ commiſſæ. Opus enim quod quis facit ex injunctione Presbyteri, valet dupliciter pœnitenti, ſcilicet ex natura operis, & ex vi clavium. Unde illud opus ex vi clavium ampliùs valet ad expiandum peccatum, quàm ſi ex proprio arbitrio illud fuiſſet. Unde bona opera ſic injuncta generaliter, ex tali injunctione capiunt majorem vim ad expiandum culpam præteritam, licet non habeant majorem vim ad præbendum remedium contra culpam futuram*. 4. Dat etiam ipſe hoc conſilium Confeſſario, *Ne ſit nimis promptus judicare peccata mortalia, niſi ei conſtet*

*ſtet per certam ſcripturam*, additque, *Aliter citò poſſent homines induci ad deſperationem*. 5. Peccatori dicenti ſe pœnitere, & habere propoſitum non peccandi amplius, vult credi, ut paulò ante dixi in Joanne Friburgenſi, & nolenti onus gravioris pœnitentiæ ſubire, dicentique *ſe tenerum eſſe*, *valetudinarium*, *vel malè complexionatum*, dicit eſſe indulgendum eo modo, quo indulget S. Raymundus cujus verba ſupra recitavi, & Author hìc recitat. 6. Vult ſimiliter credi dicenti, *ſe habere propoſitum faciendi*, *quod injungitur*, nec exigi promiſſionem. 7. Docet quidem, debere pœnitentem acceptare pœnitentiam rationabilem,& pro viribus eam èxplere, ſed addit. *Si tamen pœnitens ſentiat pœnitentiam ſibi nimis gravem*, *& ad ſervandum periculoſam*, *debet ad illum eundem Confeſſorem*, *vel ad alium*, *ſi illum non poteſt habere*, *humiliter recurrere*, *& alleviationem*, *& mutationem petere*, *& Confeſſor debet ei concedere &c. TUTIUS enim eſt reſervare pœnitentem Purgatorio puniendum*, *quàm ipſum exponere periculo cadendi in peccatum mortale propter pœnitentiæ tranſgreſſionem*.

Hæc nimirum pericula, quæ nimius rigor afferre ſolet, avertere à Pœnitentibus olim ſatagebant Miniſtri Sacramentorum, & celeberrimi moralis Theologiæ Doctores, quorum dumtaxat eaſque receptas opiniones, habitaſque pro tutis refert hic, & approbat Aſteſanus, ut initio notavi.

§. IV.

## §. IV.

### *Doctrina Petri Paludani.*

1 Floruit hoc eodem ſæculo quartodecimo,præ reliquis Doctoribus, Petrus Paludanus, primæ notæ Theologus, inſignis Canoniſta, eâque probitatis laude commendatus, ut Patriarchatu Hieroſolymitano meruerit inſigniri, & tanquam Beatus in inſula Cypri, ubi mortuus creditur, honorari. Quare nullo modo dici poteſt, à tanto viro traditam fuiſſe in re tanti momenti doctrinam, quæ non eſſet communiter recepta, tutiſſimaque, cum præſertim *Doctrinæ D. Thomæ fuerit defenſor perpetuus*, ut ait Altamura in Bibliothecâ ſui Ordinis, eumque ſequater S. Antoninus vir tantæ doctrinæ, & Sanctitatis. Quid autem Petrus doceat circa Sacramentum Pœnitentiæ, accipe.

2 Initio diſtinctionis 14.quæ eſt de Pœnit.qu.1. hæc habet. *Homo quandoque perfectè conteritur de peccato, cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, & tunc eſt ſufficienter diſpoſitus ad gratiam, unde & ſtatim ſuſcipit eam &c. aliquando verò eſt attritus non contritus, ſed ſuperveniens confeſſio, & ſatisfactio vi clavium facit attritionem contritionem, ut recipiat gratiam.* Et qu. 2. agens incidenter de charitate ſic habet. *Actus charitatis primus,& principalis eſt diligere Deum ſuper omnia, cum quo non ſtat mortalis culpa, quia in illo tota lex impletur: omne autem mortale eſt contra aliquod præceptum legis,*

gis,

*gis , ergo iſte actus non poteſt eſſe ſine charitate conſequente* ( loquitur enim de habituali ad quam diſponit ) *quamvis poſſit eſſe non elicitus ab illa , ſed diſponens ad eam ; cum quo ſimul charitas infunditur, ſed remiſſa , ſi remiſsè diligit , vel intenſa , ſi intensè.* Igitur docet 1. Omnem actum diligendi Deum ſuper omnia , expellere peccatum mortale , & ſecum trahere habitum charitatis ; remiſſum , ſi remiſſus ipſe ſit , adeòque docet, etiam charitatem remiſſam quam vocant Adverſarii inchoatam,coire cum peccato lethali non poſſe . Docet 2. Attritionem, quam cum Sacramento ſufficere dicit , non involvere ullam dilectionem Dei ſuper omnia , ſeu charitatem ; nam docet, eam ſine Sacramento non diſponere ſufficienter ad gratiam,nec expellere per ſe peccatum, quod fieri docet per charitatem etiam remiſſam . Ergo jam docet , eam nec involvere charitatem remiſſam . Igitur ab hoc Doctore manifeſtè recedunt Adverſarii noſtri , ſecundum utramque partem ſuæ doctrinæ in hac controverſia , videlicet , & quatenus exigunt charitatem in hoc Sacramento , & quatenus docent , cum charitate actuali remiſſa coire poſſe lethale peccatum . Ergo recedunt etiam à S. Thoma , cujus doctrinam acerrimè propugnavit is Auctor , ut audiviſti .

3 Quæſt. 5. agens de interruptione pœnitentiæ per relapſum , ac de iterata relabentium pœnitentia , ſibique objiciens quòd pœnitentia , ſi eſt vera , ſemper eſt continua . Ergo relabentium pœnitentia non eſt vera . Reſpondet , requiri ad veram pœniten-

tentiam, quod *ſit continua quoad propoſitum*, non verò quoad effectum: nec addit quidquam, unde arguatur id genus hominum ita curari conſueviſſe, aut debuiſſe, ut modò à nonnullis curatur.

4 Quæſt. 6. agens de ſolemni pœnitentia docet 1. non poſſe eam imponi pro occulto crimine, quia hoc eſſet pœnitentem infamare, docet 2. licere imponere publicam pęnitentiam pro occulto crimine audito in confeſſione, quando ignoratur, eam eſſe impoſitam ex confeſſione. Docet 3. pœnitentiam ſolemnem, ut ſibi videtur, *pertinere ad forum contentioſum, quia publicè imponitur*. Docet 4. eam eſſe, quæ imponitur in capite jejunii eo modo, quo deſcribitur in decreto diſt. l. c. *In capite*. Docet 5. *rarò, & non ſine magna cauſa eſſe imponendam*, quia cùm arceat ab Eccleſia, & à Communione, *multum repellit hominem à devotione*. Quam contraria ſunt hæc iis, quæ de veteri pœnitentiæ diſciplina dicuntur modò à nonnullis, quorum praxis ſevera, dum repellit à frequenti Sacramentorum uſu, *multum repellit hominem à devotione*.

5 Quæſt. 7. agens de effectibus Pœnitentiæ, dicit art. 1. concl. 3. quod pœnitentia, quæ eſt Sacramentum, poteſt eſſe completa & perfecta, licet remaneant habitus vitioſi trahentes ad malum, & retrahentes à bono. Supponit ergo quod abſolvantur, & benè abſolvantur etiam habentes habitus pravos. Art. 4. concl. 1. agens de neceſſitate pœnitentiæ Sacramenti, docet, quod *habentibus peccatum mortale, pœnitentiæ Sacramentum eſt neceſſarium quoad*

*contritionem in hac vita ſimpliciter*; *quoad confeſſionem, ſi poſſit haberi, quoad ſatisfactionem, vel hìc, vel alibi*. Igitur ſatisfactio, ſaltem tota, non eſt *hìc* neceſſaria ad obtinendam veniam peccati, quod paulò poſt nempè concl. 3. iterum docet per hæc verba. *Actus pœnitentiæ eſt neceſſarius omni habenti mortale cognitum*. *Dico actus interior*, *nam exterior hìc, vel alibi expleri poteſt*, nota, *expleri*. Quare, cùm poſtea dicit diſt. 17. quæſt. 1. quod *non videtur eſſe in ſtatu ſalutis, qui pro mortali non vult hìc ſatisfacere, ſed TANTUM in Purgatorio*, loquitur de eo, qui nullam ſatisfactionem hìc præſtare vult, ſed ſatisfacere *TANTUM* in Purgatorio.

6 Diſt. 17. quæſt. 1. art. 5. explicans, qua ratione dolor Contritionis debeat eſſe maximus, ita concludit. *Hic dolor dicitur eſſe maximus, quia eſt de majori malo, & de amiſſione majoris boni. Non debet autem homo ſe tentare ſuper his, nec Confeſſor pœnitentem tentare ad ſumendum experimentum, nec in ſermonibus debet homo tendere laqueos tentationis ſimplicibus, dicendo, quod plus debet homo velle excorticari, & hujuſmodi, quæ ſenſus horret. SED HOC A POENITENTE REQUIRATUR, SI POENITET, & ſi dolor ejus inſufficiens eſt, an vellet dolorem ſufficientem habere, & ſi non habet, hoc ipſum ſibi diſplicet, & hoc ſufficit &c.* An hoc ſufficiat incertum eſt: ſed hoc eſt certiſſimum, quod is, qui docet, id ſufficere, docet, non requiri in hoc Sacramento dolorem ex charitate conceptum. Cæterùm docuerunt aliqui, ſufficere dolorem cum prę-

dicta

dicta diſplicentia, quatenus ille, qui dolet de peccatis, & rurſus habet diſplicentiam, quod non dolet, quantum ſufficit, & cupit, velletque habere dolorem ſufficientem, verè hunc habet. Sed illud etiam eſt notandum, quod dicit, *hoc à Pœnitente requiratur*, *ſi pœnitet*, non autem dicit *ſi pœnitet ex charitate*, quod non ſemel notavi, & notabo, ut conſtet hanc fuiſſe ſemper Eccleſiæ praxim, quæ bona non eſſet, ſi eſſet neceſſarius dolor ex charitate conceptus, qui nempè à Fidelibus, niſi moneantur, haberi non ſolet.

7 Art. 5. ejuſdem quæſt. 2. docet quod confeſſio non obligat ſtatim poſt mortale, niſi in quinque caſibus, nempè *ratione Sacramenti* Euchariſtiæ, quod quis vult, aut debet ſuſcipere; *ratione ſtatuti*, ſi jam elabatur annus ab ultima Confeſſione; ratione periculi ex morte imminente; *ratione periculi* ne poſtea deſit copia confeſſarii, & confeſſio fieri nequeat ſtatuto tempore, & tandem *ratione ſcrupuli*, ſi qui peccavit *ſit ejus opinionis, quod teneatur ad ſtatim confitendum*. Extra hos caſus (dicit) *peccator contritus, & cum propoſito confitendi, & ſatiſfaciendi videtur purgaſſe moram, etiamſi ſit ſolum attritus, quia per propoſitum confitendi videtur Deo offerre quod debet, & ſic nec eſt in mora QUOUSQUE, VEL DEUS EXIGAT PER MORTIS PERICULUM, VEL SACRAMENTUM, VEL VICARIUS DEI PER ANNUM, VEL HUJUSMODI.*

8 Quæſt. 5. ejuſdem diſt. 17. art. 3. dicit con-

feſſionem eſſe iterandam in ſolis quatuor caſibus. *Primò, cùm propter defectum manifeſtum abſolventis fuit abſolutio nulla, ſive quia non potuit abſolvere aliquo modo, vel quia non Sacerdos, vel quia non proprius, aut quia non potuit in parte &c. Secundus caſus eſt, cùm non potuit abſolvi propter defectum ſuum, ut quia erat excommunicatus &c. Tertius caſus eſt, quando aliquod mortale ſcienter per hypocriſim celavit &c. Quartus caſus eſt, cùm pœnitentiam dedit oblivioni &c. ſi tamen vult in hac vita pœnitentiam ſacramentalem facere. Si verò ex ſe hìc, vel alibi facere vult, non tenetur.*

9 Diſt. 20. quæſt. 1. art. 2. dicit eſſe *de jure Divino*, quod *quilibet ab omni peccato in morte poſſit abſolvi*. Non igitur ab Eccleſia, quæ errare non poteſt, fuit unquam negata morientibus abſolutio, ſed ab aliqua tantum Eccleſia ex nimio rigore, ut probavi in Clerico Rom. l. 1. d. 2. & 3.

10 Quæſt. 2. ejuſdem diſt. 20. art. 1. ſic Confeſſarium dirigit in imponenda pœnitentia. *Quantum ad hoc eſt ſciendum, quod ſicut medicus habet oculum dextrum ad naturam, ſiniſtrum ad morbum: & ulteriùs non vult ſic amovere ſubito morbum: quin velit etiam adhibere remedium contra recidivum in illum morbum, & etiam alios, ſic & iſte, qui debet injungere pœnitentiam ſalutarem, non quæ mortem animæ operetur: nunquam debet imponere pœnitentiam, niſi credat quod ille velit, et poſſit facere, aliàs ponit laqueum, et non antidotum, ſed venenum, propter quod non tantam imponat, quam ille deſperans,*

*rans, totum dimittat, ſive propter debilitatem bonæ voluntatis, ſive corporis: parvus enim ignis, et ſcintilla una non eſt oneranda multis lignis, ſed paulatim fovenda, ne extinguàtur. Debet etiam conſiderare recidivum, quia aliquando eſt peccatum gravius, ſed minus periculum recidivi, et debilius ſubjectum ad pœnitentiam, ſicut fornicatio ſenis, quam juvenis, ſed propter robur, et concupiſcentiam vigentem in juvene debet major imponi. Igitur conſideratis omnibus circumſtantiis peccati, et peccantis, et corporis, et animæ, et majorem, et minorem debet imponere, ſicut magis credit ſaluti illius expedire. Sed ne eum decipiat, ſi minorem debito imponat propter aliquam juſtam cauſam, debet illi innoteſcere, quod illa non eſt condigna, et quod meruiſſet ſeptennem pro quolibet mortali, et hujuſmodi quod ſi non fecerit hìc, faciet alibi graviorem, niſi propter hoc crederet eum incidere in deſperationem, quia tunc non debet hoc dicere.*

*Secundò conſiderandum eſt, quod multò plus valet modicum pœnitentiæ per Sacerdotem impoſita, quàm major à ſe aſſumpta, quia iſta ſecunda non eſt Sacramentum, nec pars Sacramenti, unde ſolâ virtute aſſumentis habet effectum, illa autem ex virtute Paſſionis Chriſti, qui operatur ſpecialiter in Sacramentis totius Eccleſiæ: unde expedit, ut ſicut confitens aliqua confitetur in generali, et aliqua in ſpeciali, ſic et Confeſſor imponat aliquam pœnitentiam in ſpeciali, et in generali bona, quæ faciet, et mala pœnæ, quæ ſuſtinebit, et quæ etiam facere proponet,*

 *non*

*non ſic ſcilicet, quod obliget eum ad faciendum quidquid proponet facere, vel ſuſtinere, ſed quod etiam ipſummet propoſitum bonum ſit ei ſatisfactorium, & ipſa bona, ſi & quando fient.*

11 Quæſt. 3. ejuſdem diſtin. artic. 3. concl. 4. *Conſulendum eſt divitibus, & nobilibus, quod quærant participium bonorum, quæ in Religionibus fiunt, ubi etiam ſunt plures pœnalitates, quàm alibi, & magis acceptæ Deo, quàm alibi, & quod in pœnitentiam imponatur eis non ſolùm bona, quæ facient per ſe ipſos, ſed quæ per alios, vel ab aliis procurabunt.*

12 Quæſt. 4. ejuſdem diſt. 20. Quærit, *utrum Indulgentiæ tantum valeant, quantum ſonant*: & reſpondet art. 1. concl. 1. *Tantum valent, quantum ſonant etiam in foro Dei hìc, & in Purgatorio: ſic intelligendo, quod qui lucratur Indulgentias* 20. *annorum, tantum ſibi valet ad remiſſionem pœnæ pro peccatis ſuis, quantum valuiſſent illi viginti anni in pœnitentia injuncti, ſi illis* 20. *annis pœnituiſſet, aliter Eccleſia deciperet. Sed ſicut pœnitentia, quando ſit in majori charitate, tantò eſt magis ſatisfactoria, ſic etiam iſti* 20. *anni lucrati tantò ſunt iſti plùs, vel minùs ſatisfactorii, quàm illi, quantò pœnitentia iſtius fuiſſet magis, vel minùs ſatisfactoria, quàm illius. Et propter hoc maximè ſunt utiles Indulgentiæ, & ſecuræ peccatoribus, qui ſæpè recidivant, & non facilè abſtinent per totum annum à mortali, ſicut abſtinent uno die, vel hora, propter quod proſunt eis ſæpè Indulgentiæ, quia illa*

*illa hora ſunt in ſtatu bono , quibus non prodeſt diutina pœnitentia ſæpè per mortale mortificata &c. Quando datur plena , aut plenior , vel pleniſſima Indulgentia peccatorum , tunc omnis pœna injuncta, vel injungenda in foro Dei , & Eccleſiæ remittitur , ideſt ſolvitur & hìc & in futuro.* Quod repetit in fine quæſtionis ſic docens , *Dicendum , quod plena indulgentia liberat ab omni pœna peccatis debita* . Nec diſtinguit , ut nunc faciunt quidam , nempè , ſi pœnitens non omittat opera pœnitentiæ , ſecùs , ſi omittat.

Demum diſt.22. nempè ultima de hoc Sacram. & qu. ult. agit de forma hujus Sacramenti , nempè de abſolutione , & primò de iis , quæ à Sacerdote dicuntur antecedenter . Secundò de verbis eſſentialibus ipſius formæ . Tertiò de his , quæ conſequuntur , quorum unum dicit eſſe *ligare pœnitentem pęnitentia temporali* . Tunc enim imponebatur pœnitentia aliquando ante , aliquando poſt abſolutionem, ut ex multis Doctoribus colligitur , ex quo manifeſtè conjicitur , non conſueviſſe tunc explorari , & conjici diſpoſitionem pœnitentis ex eo quod condignam pœnitentiam acceptaret , vel detrectaret , eamque ei pœnitentiam fuiſſe injunctam , quam non recuſaret : hinc iterum monet , quod *ubi pęnitentia ſpecialis non creditur condigna, injungantur pęnitenti omnia bona , quæ facturus eſt &c.* Hęc Paludanus illius ſæculi oraculum.

*Cler.* Audivi, docere hunc Doctorem, uti Miniſter Sacramentorum , ſi lapſus ſit in mortale , de-



by Google

bet confiteri cùm poteſt, nec ſatis eſſe contritionem. Vere-ne id aſſerit is Doctor ?

*Auct.* Aut aſſerit, aut ſaltem innuit diſp.5.q.2. circa finem.

*Cler.* Miror: nam reliqui Doctores omnes docent, ſufficere contritionem.

*Auct.* Nimirum reliqui omnes Doctores antiqui, aut ferè omnes. Nam inter recentiores, eius doctrinæ,quam hoc opere impugnamus, profeſſores, eſt qui nec eſt Confeſſione contentus, aliamque longè ſeveriorem legem, ac diſciplinam invehere ſatagit.

*Cler.* Doce me, quis ſit is ?

*Auct.* Eſt author ejus libri, qui inſcribitur, *Paſtor bonus, ſeu Idea, Officium, Spiritus, & Praxis Paſtorum.*

*Cler.* Ecquam novam diſciplinam ſtatuit is Author ?

*Auct.* Novam eſſe negat, contenditque eſſe antiquam.

*Cler.* Aut nova ſit, aut antiqua, doce illam quæſo.

*Auct.* Dicit is Author, non ſatis eſſe, quod Sacerdos lapſus conteratur, & confiteatur, ſed prætetea debere diù, aut etiam in perpetuum ceſſare à miniſterio Sacramentorum, quamvis lapſus fuerit occultus, nec ſtatim à Confeſſario abſolvendum, ſed actâ longi temporis pœnitentiâ. Audi illum. In quarta parte prædicti lib. cap. 1. §.5. loquens de Sacerdotibus, *qui vivunt in libidinibus occultis cum per-*

*perſonis alterius, vel etiam ejuſdem ſexus*, non ſolum docet quod dicebam, non ſatis illi eſſe quod conteræt ſe, & confiteatur, ſed addit, *Nec prius abſolutione donandus, quàm vitam re ipſa emendaverit* (quod in pleriſque hujuſmodi hominibus longum tempus expoſcit, ut ipſe fatetur infra) *Acta autem dignâ pœnitentiâ, & abſolutione obtentâ, neque ipſi, neque Eccleſiæ plerumque expedit propter periculum, ut ſuo officio reſtituatur*. Nec hic ejus rigor ſubſiſtit: nam agens poſtea de iis, qui ſecum peccant in corpore ſuo: imò & de illis, qui nec peccant externè, ſed ſolum *in cogitationibus, deſideriis, & delectationibus mortis vitam agunt*, dicit, etiam de his *cum quadam proportione idem cenſendum*. Imò (quod majus eſt) loquens de iis, *qui in alio vitiorum genere, v. g. avaritia, ſuperbia, invidia, gula, aut aliis hujuſmodi verſantur*, dicit his quoque *differendam eſſe abſolutionem, donec vitam emendaverint*: nemo autem non videt, quam longum tempus poſtulet emendatio hujuſmodi vitiorum, & præſertim ſuperbię, quamque difficilè ſit judicium ferrè de ea emendatione, quæ ſatis ſit. Demum loquens §. 7. & 9. de iis, qui carent hujuſmodi vitiis, & vivunt innocenter, ſed caſu & ex vehementi tentatione ſemel labuntur in fornicationem, aut mollitiem, poſt multa, de quibus hos moneri vult, dicit *æquum videri ut cum olim Sacerdos lapſus in perpetuum, nunc ſaltem ad tempus valdè notabile ob officii ſui miniſterio excludatur*. Et quidem loquitur de illis, qui ex lapſu non ſunt facti infames, nec periclitantur de relapſu

lapſu, ſi redeant ad ſacrum miniſterium. **Hos** vult à ſacris diù arceri, & interea manere ſine abſolutione, nec haberi rationem neceſſitatis, quæ multiplex eſſe poteſt, eamque affert §. 10. his verbis.

*Prima neceſſitatis ratio aſſerri ſolet hæc, quod Sacerdotum ſit pro ſe, & pro populo ſacrificium offerre, atqui id facere non poſſunt, niſi prius abſoluti. Igitur debent ſine mora abſolvi.* Reſpondet, Deum à Sacerdote lapſo *pœnitentiam velle, & non ſacrificium &c.*

*Altera neceſſatis ratio* (inquit) *ex eo petitur, quod Sacerdotes plerique ſtrictâ obligatione officii, vel beneficii ſui, aut certè mandato Superioris, ut fit in Monaſteriis, celebrare teneantur.* Reſpondet, *quod nulla lex officii, vel beneficii, aut mandatum Superioris poſſit nos obſtringere ad celebrandum eo tempore, quo debet agi pro crimine pœnitentia: agi autem illam oportere, & quidem dignè, & notabili tempore, jam ance oſtenſum eſt.* At oſtenſum non eſt, debere agi id genus pœnitentiæ in caſu hujus neceſſitatis. At ipſe nihil non oſtenſum, aut non oſtendi putat ex his; quæ dicit. Quare ſtatim progreditur ad tertiam neceſſitatem.

*Tertia ratio neceſſitatis hæc eſſe putatur, quod Sacerdotes multi, niſi celebrando quotidiè ſtipendia mereantur, honeſtè ſuſtentari non poſſint, aut quod amplius eſt, niſi Religioſi omnes quotidiè celebrent, tota communitas detrimentum patietur.* Reſpondet, *quod detrimentum, vel etiam inedia, ad quam redigetur Sacerdos, aut tota communitas multò minus*

*nus malum ſit, quam ſacrilega oblatio Sacrificii, cujus mali periculo ſe exponit Sacerdos mox lapſus.* Sed ſacrilegium committi, aut committendi periculum incurri negatur à Sacerdote lapſo, ſi in tanta neceſſitate celebret, & contritus, imò etiam confeſſus celebret.

Tranſit ad quartam, eamque majorem neceſſitatem. *Quarta*, inquit, *neceſſitatis ratio hæc allegatur, quod Sacerdotes plerumque à celebrando abſtinere non poſſint abſque infamia*: nam *quiſque mirabitur, ſi more ſuo non celebraverint, & notabuntur*, & ſi Paſtores ſint *apud totam Parochiam infamiam incurrent*.

*Cler.* Nec in iſto caſu permittit, ut celebrent poſt contritionem, & confeſſionem?

*Auct.* Nec in iſto: imò nec in quinto caſu, quo multi videntes Parochum vacare à ſui officii muniis ſcandalizentur, & negat id eſſe propriè ſcandalum, objicientique, inde *oriri ſuſpiciones, judicia detractiones*, & ſimilia mala, à quibus videtur eſſe cavendum, reſpondet primò *non omnes ſuſpiciones, & judicia, mala eſſe*. Reſpondet ſecundò, *eſto mala ſint, non ſunt facienda mala, ut non eveniant mala*.

*Cler.* Hic me continere non poſſum.

*Auct.* Contine te pauliſper, & audi ultimam doctrinæ partem. *Supereſt* (inquit) *ſexta ratio neceſſitatis, nimirum hæc: fieri poſſe, ut die Dominico, aut feſto multi ſacrum audire non poſſint, niſi impendatur abſolutio Sacerdoti malo, aut in crimen*

*lapſo*,

*lapſo, qui ſolus ſupereſt v. g. ruri, ut celebret, aut in Monaſterio, ubi ad ultimum ſacrum celebrandum talis Sacerdos deſtinatus eſt, expectantibus interim hominibus adeò ſerò, ut ſacrum nuſquam alibi amplius celebretur. Ubi duo incommoda naſcentur: alterum quod magna admiratio, turbatio ſuſpiciones, & judicia ferè temeraria indè eventura ſint: alterum, quod tot homines præcepto Eccleſiæ de ſacro audiendo ſatisfacturi non ſint.*

*Cler.* Hìc certè non permittet ſolùm Confeſſario, ut Sacerdotum lapſum quidem, ſed contritum jam, & confitentem abſolvat, ſed monebit, ut faciat omninò, ne tam gravia incommoda ſequantur, illudque præſertim ne totus populus die Dominico Miſsâ careat.

*Auct.* Erras, nec iſta incommoda hunc Doctorem abſterrent. Et hoc quod tibi tam grave videtur ſacrificii omiſſi, cum totus Populus eo indiget, ut præcepto ſatisfaciat, leviſſimum ipſi videtur, & dicit eſſe malum materiale, nam populus Miſſam non audiens cùm deeſt, qui celebret, non peccat. Quod autem attinet ad alterum incommodum ingentis admirationis, ac turbationis in populo, dicit, *id plerumque minus eſſe quam illud quod ex impenſa abſolutione ſequetur*. Plerumque, dicit, nam vidit poſſe aliquando eſſe turbationem tantam, ut contemni non poſſit, & tunc eam turbationem bona arte aliqua ſedandam monet, ea autem non ſuccedente pro voto, permittit Confeſſario non quidem abſolvere Sacerdotem, de hac enim abſolutione

ne nihil dicit, ſed *iſti negotio ſe non immiſcere, & quoad hanc vicem ſe habere permiſſivè*, & concludit. *Faceſſant ergo iſti neceſſitatis prætextus, & umbra ſaltem aliqua Diſciplinæ Eccleſiaſticæ circa Sacerdotes lapſos ſervetur.*

*Cler.* Hanc legem, id onus ceſſandi diù ab omni ſacro miniſterio pro lapſu etiam occulto, etiam raro, etiam ſemel tantum commiſſo, ceſſandi inquam, etiam cum infamia, etiam cum defectu ſuſtentationis propriæ, etiam cum turbatione populi pejora ſuſpicantis, temere judicantis, obloquentis coacti carere ſacrificio die Dominico vocat umbram Diſciplinæ Eccleſiaſticæ? Quæ illi vera diſciplina eſt, ſi hæc umbra eſt?

*Auct.* Veram diſciplinam dicit eſſe, ceſſationem non ſolius temporis notabilis, ſed perpetuam.

*Cler.* At ex una ſequitur alia, aut ſequi debet. Non enim audebit Parochus, qui diù ſine apparenti cauſa, adeoque cum magna Populi ſuſpicantis, ſcrutantis, & male judicantis admiratione ceſſavit, redire ad officium ſuum, nec illi Author ſim ut redeat: jam enim nec errantes monere audebit qui magis erraſſe creditur, nec, ſi moneat, audietur. At quænam ſunt hujus horridæ doctrinæ, ne quid pejus dicam, fundamenta?

*Auct.* Nulla ſunt. An iſthęc doctrina fundamentum habeat?

*Cler.* At afferet aliquod quod ipſe fundamentum putet.

2 *Auct.* Affert duo. Primum eſt Authoritas Ritua-

Ritualis Romani, imò lex ipſa naturalis & Divina dictans Sancta ſanctè tractanda.

*Cler.* Nihil de hac diſciplina Rituale, cujus bene memini; hæc enim ſunt ejus verba, ubi agit de iis, quæ in Sacram. Adminiſtr. generaliter ſervanda ſunt, *Sacerdos ergo, ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius (quod abſcit) ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi priùs corde pœniteat: ſed ſi habeat copiam Confeſſarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri.* Hæc tantum docet Rituale, quibus unum tantum injungit, ſeu potius injunctum eſſe monet, nempè pœnitentiam, ſeu contritionem; alterum fieri, nempè Confeſſionem, dicit eſſe conveniens, non autem dicit eſſe neceſſarium: de illa vero ceſſatione perpetua, aut diuturna, ne verbum quidem.

*Auct.* Dicit, hìc Rituale *præſcribere voluiſſe quid eo caſu neceſſariò requireretur, non autem quid ſufficeret, voluiſſe exactè definire.*

*Cler.* Et cur reliqua, quæ neceſſaria ſunt non monuit? Aut noverat quæ illa ſunt, aut ignorabat. Quis ita deſipiat, ut credat ignoraſſe? (Utor argumento quod ipſe initio hujus libri conficiebas.) Non ignoravit ergo, nunc iterum quæro cur non monuit hìc, ubi locus erat, nimirum, ubi profitetur agere ſe de iis, quæ in Sacramentorum adminiſtratione agenda ſunt? Sub hoc titulo quæ recenſentur, omnia ſunt. Unde, rogo, colligimus, ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ eos tres actus ex parte pœnitentis, contritionem, confeſſionem, &

ſatiſ-

ſatisfactionem? Certè ex eo quod Concilia, Doctoreſque non docent aliud requiri, ubi agunt de actibus requiſitis in eo Sacramento ex parte pœnitentis. Quare optima eſt hęc collectio, *Non docent aliud requiri, ubi hac de re agunt. Ergo aliud non requiritur*: alioquin poſſemus ſemper dubitare, ne aliquid aliud requiratur. Ergo optima quoque eſt ea mea collectio, *Rituale & ſimiliter Doctores, ubi agunt de iis, quæ in Adminiſtr. Sacram. ſervanda ſunt, non docent aliud requiri, ut qui eſt lapſus ea miniſtret, quàm contritionem, & ad ſummum, etiam confeſſionem. Ergo aliud non requiritur.*

*Auct.* Dicit, quod, quamvis Rituale hìc non dicat aliud, tamen paulò ante monuit deberi Sacramenti Miniſtrum perpetuò curare, ut integrè, caſtè, pièque vitam agat, idque infert ex ea lege naturali, Divinaque jubente ut ſancta ſanctè tractentur, *integrè autem* (inquit §.2.) *caſte, pieque uitam agere non eſt peccatum mortale committere, & poſt commiſſum conteri, & conſiteri, ſed eſt ſtabiliter, in integritate, caſtitate, ac pietate perſeverare.*

*Cler.* Ita eſt. Sed aliud eſt quod debet abſolutè facere Sacerdos, aliud eſt quod debet facere, poſtquam lapſus eſt, ut Sacramenta miniſtret. Sicuti aliud eſt quod debet abſolutè facere Chriſtianus, aliud eſt quod debet facere ut ſalvetur, ſi lapſus ſit. Utique debet Chriſtianus nunquā peccare, adhuc tamen, ſi lapſus ſit, ſufficit ad ſalutem quod conteratur, & ſi habeat copiam Confeſſarii, confiteatur cum id facere præcipitur. Ergo quamvis Sacerdos de-

debeat agere vitam integram, caſtam, & piam, non inde ſequitur, non ſufficere poſt lapſum ut Sacramenta miniſtret, quod conteratur, & cum poteſt, aut præcipitur, confiteatur: imò ſequitur, hoc ſufficere, attentâ ut ita dicam rei naturâ, ut optimè advertit idem Rituale, quod non docuit utcunque, quod dicebam, nempe eſſe neceſſariam contritionem, ſed docuit inferendo. Poſtquam enim monuit ea quæ dicebas, nempè Sacerdotes ſancta tractare ac debere vitam agere integrè, caſte, pieque, ita ſubdit; *Sacerdos ergo ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius &c.* Igitur non ſolùm docuit hoc tantũ,nempe debere eum pęnitere,priuſquàm miniſtret, ſed hoc docuit inferendo ex eo quod ſancta tractet, & debet vitam agere integram, caſtam, & piam. Ergo non intulit aliud. Ergo ex eo aliud non ſequitur. Nam ſi ex eo aliud ſequitur (iterum quęro) cur non intulit? Cur non intulere aliud Doctores? Num ipſe vidit, in ſinu eorum verborum latere eam ceſſationem perpetuam, aut diuturnam, eam diſciplinam, quam nemo Doctorum vidit? Et quem is Author ſe ipſum facit? Nolim incalere nimis, nec agere magiſtrum & diſputare coram te inſtitutore meo qui fortiùs, & aptiùs iſta refelleres. Sed me diutiùs continere nequivi.

*Auct.* Dixiſti optimè, primumque hujus doctrinæ fundamentum ſic evertiſti, ut nemo melius poſſet; mecumque gaudeo, quod noſtrorum diſputationum exercitatione adeò profeceris, ut non ſolum reſpondere oppugnantibus poſſis, ſed alios aggredi, & expugnare.

Affe-

3 Affero jam alterum prędicti Authoris fundamentum, quod eſt diſciplina veteris Eccleſiæ, quam conſueviſſe dicit §. 8. non ordinare lapſos, & ordinatos deponere nunquam reſtituendos, citatque P. Lupum id aſſerentem, additque, *Neque hęc ſolum de crimine manifeſto, ſed etiam de occulto intelligit idem P. Lupus &c. Idemque confirmat Morinus cap.* 15. *lib.*4.

*Cler.* Sed audivi ex te non ſemel, multa paſſim jactari de veteri Eccleſia, quæ falſa ſunt, & falſa ea eſſe manifeſtis ipſius antiquitatis teſtimoniis demonſtraſti toto libro 1. Clerici Romani, & magna parte lib. 2. hujus Operis, ubi tam multas Synodos allegas, in quibus hujuſmodi lapſus, & quidem ſubinde publicos deflent Patres, nec tamen dicunt aut innuunt, lapſos conſueviſſe gradu dejici, aut ipſi eos dejiciunt: nec ſanè poterant, niſi vellent Eccleſias relinquere ſine miniſtris Sacramentorum: cùm non ita multi Sacerdotes erant, ut uno dejecto, poſſet ſtatim alter integer & purus ſubrogari, imò cum tam pauci erant pro numero Fidelium, ut teſte Gregorio, quem ipſe ſupra allegas, vacarent aliquando Eccleſiæ ex defectu eorum qui mortuis Parochis ſubſtituerentur. Demum novi ex te, imò ex S. Joanne Chryſoſtomo, & S. Gregorio Nazianzeno (quem utrumque allegas lib. 2. hujus Operis cap. 19. num. 7. & 8.) eos tunc initiatos ſubinde, imò infulis decoratos, quorum vita non ea fuerat (ut modeſtiſſimè loquar) quæ eſſe debuit ex diſciplina Lupi, Morinique.

4 *Auct.* At recitant antiqua decreta, quibus Clericus etiam occultè lapſus ceſſare jubetur, & prçcipitur Confeſſario,ut eum nõ abſolvat, niſi promittat abſtinere in perpetuum à ſacro miniſterio.

*Cler.* Memini id à Joanne Jejunatore mandari ſeveriſſimè in ſuo libello Pœnitentiali quem lib. 1. hujus Operis cap. 7. recitaſti, ſed memini quoque, ex tali diſciplina non id factum, ut Sacerdotes non laberentur, aut lapſi ceſſarent, ſed ut omiſerint confiteri antequam celebrarent, ne facerent ſacrilegam confeſſionem, utpotè qui carebant propoſito parendi legi tam ſeveræ. Id ibidem me docuiſti ex Arcudio, quem allegas. Iſque eſſet totus fructus hujus diſciptinæ. Cùm enim virtus Heroica pauciſſimorum ſit, certè non eorum Sacerdotum qui labuntur, cùmque opus ſit Heroicâ virtute, ut quis vincat omnes illas difficultates ac neceſſitates ab eodem Scriptore recenſitas, velitque incurrere infamiam, odium populi, carere ſuſtentatione neceſſaria; cum tota iſta nova lege nullus aut ferè nullus ſe ſubduceret à ſacro miniſterio, & omnes aut ferè omnes ſacrilegè, utpotè legis hujus contemptores, celebrarent, ſacrilegè Sacramenta reliqua miniſtrarent. Et ideo quamvis hçc diſciplina ſeu lex ‘ quæ removet à miniſtrandis Sacramentis etiam Clericos occultè lapſos, verè diceretur fuiſſe non ſolius Eccleſiæ Grçcæ, ſed veteris Eccleſiæ univerſæ, adhuc poſt experientiam tam infelicis eventus, ſuſtinenda non eſſet, ut videtur: hac enim implicita conditione conduntur leges hujuſmodi, ut ſi uſu & expe-

experientiâ longi temporis conſtet,aut eſſe nimis ſeveras, aut alio ex capite non ſatis utiles, abrogentur, ut ex hac ratione ſuam priorem legem abrogavit Gregorius VII. & aliquando Concilia generalia poſteriora emendant, ideſt abrogant priorum pariter Generalium Conciliorum leges, ut docet S. Auguſtinus, cujus, uti etiam prædicti Gregorii verba ipſe allegas lib. 2. hujus Operis cap. 21. num. 7. Sed hac obſervatione, ſeu doctrinâ non eſt opus hìc: nego enim hanc fuiſſe univerſæ veteris Eccleſiæ diſciplinam.

5 *Auct.* At allegant Canones aliquot ab univerſa Eccleſia receptos, & afferunt aliqua facta, vel exempla, quibus probari dicunt, eos Canones fuiſſe verè obſervatos. Canones duo pręcipui ſunt: Primus Apoſtolorum vigeſimus quartus, *Epiſcopus vel Presbyter, vel Diaconus in fornicatione vel perjurio, vel furto deprehenſus deponatur. Similiter & reliqui Clerici eidem conditioni ſubjiciantur.*

*Cler.* At qui deprehenditur non peccat occultò, aut quod occultum erat, jam fit publicum. Non igitur is Canon facit ad rem præſentem: id enim negamus dumtaxat, Sacerdotem clam prolapſum debere ex ſe à ſui officii muniis ceſſare, diùque ceſſare. Cæterum is Canon probaret etiam Clericos inferiores clam peccantes debere nunc ſe gerere tanquam ſuo gradu dejectos, quod (ut reor) non dicent. Sed quis eſt alter Canon?

*Auct.* Eſt nonus Concilii Neocœſarienſis. *Presbyter, ſi cùm priùs corpore peccaſſet, promotus*

*fuerit, & ante ordinationem peccaſſe confeſſus fuerit, ne offerat*. Ergo (inferunt) multo magis offerre non poterat, qui corpore peccarat poſt promotionem.

*Cler.* At hic etiam agitur de convicto, & confeſſo in publico judicio, ubi accuſatur reus, ejuſque delictum ſit publicum. Si enim ageretur de occulto delicto, non prohiberetur offerre, *ſi fuerit confeſſus ſe peccaſſe*, ſed diceretur abſolutè, *Presbyter, ſi poſtquam corpore peccavit, fuerit promotus, ne offerat*, ut modò abſolutè prohibentur offerre qui irregulares cum eſſent, fuerunt promoti, nec dicitur e.g. *Presbyter ſi, cùm priùs homicidium commiſiſſet, promotus fuerit, & ante ordinationem id feciſſe, confeſſus fuerit, ne offerat*. Igitur in dicto Canone eâ pœnâ plectitur Sacerdos, cùm ejus delictum ex confeſſione rei accuſati & convicti, jam publicum erat. Delicta autem Clericorum publicè commiſſa, aut ad forum delata, & probata ſic optimè vindicari non nego, nec negant Doctores, ut ex te didici, id ſolùm negantes, debere eum qui clam peccavit, facto ſuo, nempè ea muneris abdicatione prodere, & publicare aliquo modò delictum ſuum & infamare ſe ipſum.

6 *Auct.* Id autem fecerunt (inquiunt) duo Epiſcopi clariſſimi, nempè Potamius Epiſcopus Bracarenſis, & Genebaldus Laudunenſis Epiſcopus. Primus enim lapſus in fornicationem licet occultam, novem menſium ſpatio à muniis Epiſcopalibus abſtinuit primò, deinde confeſſus publicè peccatum ſuum in epiſtola ſcripta ad Patres Concilii Toleta-

nì

ni 10. anno 656. Epiſcopatu abdicatus eſt à Patribus, relicto illi ſolo nomine honoris, & perpetuæ pœnitentiæ fuit ab iiſdem addictus. Alter, nempè Genebaldus, propter ſimilem lapſum occultum cum uxore ſua, à qua conſentiente, ſe diſiunxerat, ut debebat, cum factus fuit Epiſcopus, imò antea cùm in Monaſterium ſeceſſit, ſuum peccatum S. Remigio confeſſus, fuit ab eodem in arctiſſima manſiuncula, conſtructa in modum ſepulchri, recluſus, ibique manſit toto ſeptennio, donec fuit ab Angelo monitus, ſibi eſſe à Deo peccatum dimiſſum, juſſuſque redire ad munia ſui Epiſcopatus.

*Cler.* Hæc nimirum ſunt illa facta, quibus probant, verè conditos eos Canones pro univerſa Eccleſia fuiſſe.

*Auct.* Hæc duo legi tantùm in recenti Authore diſſertationum ſuper Hiſtor. Eccleſ. ut probet, antiquitùs fuiſſe etiam occulti delicti reos publica pœnitentia caſtigatos.

*Cler.* Hæc duo tantum legiſti: &, ut reor, obſtupuiſti, duobus factis probari velle praxim decem, aut duodecim ſæculorum; duobus factis ſpontaneæ pœnitentiæ velle probari pœnitentiam lege impoſitam, & ex mandato peractam.

*Auct.* At Patres (inquiunt) injunxerunt illam, nec injunxiſſent, niſi Canones injungi voluiſſent.

*Cler.* Injunxerunt quidem: ſed primò non injunxerunt omnem. Num injunxerunt Potamio eam publicam confeſſionem? Cur is non poterat aliquam cauſam prætexere, & ſub eo prætextu ſecedere?

Num S. Remigius injunxit ex Canone eum carcerem, eam ſepulturam Genebaldo?

*Auct.* Saltem eam perpetuam muneris abdicationem injunxere, inquiunt.

*Cler.* Nolo repugnare, ut poſſem; injunxerunt illam, ſed ipſis, qui lapſi erant, petentibus. Injunxerint etiam non petentibus. Sed pro quo delicto injunxerunt? Pro delicto publicato; publicato quidem à lapſis ipſis, ſed publicato. Publicum ergo erat; ergo illi pœnæ obnoxium: non enim negamus lapſum Sacerdotis etiam occultum eſſe dignum eâ pœnâ, ſed inferendâ, ſi ſciatur, ſi publicetur, à quocunque publicetur. Id negamus tantùm reum ipſum debere eam ſibi infligere nempè pœnam publicam pro delicto, nec publicè commiſſo, nec publicato, pœnam quæ ſubinde eſſet infamia Clericorum, ac ſtatus Clericalis, & perturbatio populorum. Pauci enim, imò pauciſſimi (quando eſſet qui legi tam ſeveræ pareret, & ſe abdicaret) eam pœnitentiam tam fervidam, & aſperam peragerent, quæ damnum malo Sacerdotis, aut Paſtoris exemplo illatum, pœnitùs ſarciret, ut ea fuit quam Potamius, & Genebaldus peregere, nempè duo ſoli, aut paulò plures de ſola tam longi temporis antiquitate, quod iterum obſervo cum ſtupore, riſuque. Utrumque enim facio, dum redit in mentem, hæc duo facta ſolùm afferri tanquam firmiſſimum novæ diſciplinæ, quæ vellet invehi, fundamentum.

*Auct.* Quod fundamentũ evertiſti pęnitùs cum

reli-

reliquis quæ attuli. Attuli autē, ut explorarem animū tuum, profectum tuum, fructus laborum meorum, diſſertationum noſtrarum. Video animum eſſe optimum, profectum ingentem, fructus uberrimos, plures mihi gratulandi cauſas; ſed eam potiſſimùm, quod hujuſmodi doctrinarum novitates averſeris, & hanc quam propoſui ſic rejeceris, ut nec rejeciſſem ipſe, aut acriùs, aut validius.

*Cler.* Id pro tua in me benevolentia dicis; pro eâdem rogo, ut dicas, quid ipſe ſentias hac in re, de qua cum iſto Doctore, cujus ipſe partes egiſti, diſputavi.

*Auct.* Veriſſimam propugnaſti ſententiam, eamque tam communem, ut eam tractans Suarius in 3. parte tom.3. diſp.16. ſect.3. quamvis tam fuſus in allegando, ſolum Marſilium citet docentem, & Paludanum, ut dixi, inſinuantem, non ſufficere, ut Sacerdos lapſus & volens Sacramenta miniſtrare, conetur conteri, adeoque requiri etiam ut confiteatur, ſubditque, *Eſſe hoc optimum conſilium, non tamen eſſe ſimpliciter neceſſarium, nec præceptum, ſi ſola ratio miniſtrandi Sacramentum interveniat: hoc enim præceptum non eſt Divinum poſitivum, quia neque ex Scriptura habetur, neque ex traditione: non eſt etiam Eccleſiaſticum, quia nullum eſt de hac re ſcriptum decretum* (& tamen Suarius callebat optimè Canones omnes antiquos, novoſque) *neque etiam ex conſuetudine colligi poteſt, neque etiam eſt naturale, itaut ex ſola inſtitutione Sacramentorum, & miniſtrorum poſſit ſufficienti ratione colligi.*

*Nam moralis diligentia, quam tenetur miniſter præmittere, ut ſe ad gratiam præparet, ſufficienter ſit per contritionem, & quamvis major ſit illa, quæ ſit per confeſſionem ſimul cum contritione, tamen non eſt, cur obligemus illum ad ſummam diligentiam: cum illa prior ſufficiat ad excludendum morale periculum, ſi homo bona fide procedat, & quod in ſe eſt faciat &c.*

Libet jungere Suario Joannem à S. Thoma celeberrimum ſæculi præteriti Theologum, Ordinis Prædic. ex Cathedr. Primario Univerſit. Complutenſis, Catholicæ Majeſtatis Philippi IV. Confeſſarium, qui adeò certam eſſe hanc ſententiam cenſuit, ut eam inſerendam putarit Compendio totius Doctrinæ Chriſtianæ, quod edidit, nempè ei librorum generi, quod exhibet populo Chriſtiano ſolas certiſſimas, tutiſſimaſque ſententias. Ipſe verò adeò laxus non fuit, ut ejus ſeveritatem vindicandam cenſuerit, qui prædictum Compendium, pluries editum, Venetiis recudit anno 1693. In eo autem part. 1. cap. 5. de Sac. in Comm. Diſcipulo interroganti. *Quæ nam diſpoſitio eſt neceſſaria in miniſtro, ut debitè Sacramentum miniſtret?* Reſpondet intrepidè Joannes. *Ut ſit in ſtatu gratię, neſciatque ſe eſſe in peccato mortali: ſi autem exiſtat in ſtatu peccati mortalis, debet conari ad eliciendam contritionem, vel confiteri cum attritione ſalutari. Verùm non eſt determinata obligatio confitendi, niſi ad recipiendam ſacram Euchariſtiam.*

Bene autem monet Suarius, debere hunc *facere*

*quod*

*quod in ſe eſt*, & Joannes *debere conari*. Non enim nego, multos in hoc errare ex ſupina quadam negligentia, ex qua non faciunt quod in ſe eſt, nec conantur verè conteri, &, nec expendentes ea quæ movent ad veram deteſtationem peccatorum, & multò minus quæ movent ad amandum Deum ex corde & ex ſumma ejus bonitate, ac perfectione, dolendumque ex tali motivo, recitant ore vel mente formulam actus contritionis, quam memoriæ mandarunt, qui profectò actum contritionis recitant, ſed non faciunt, & culpabili errore decepti verè delinquunt. Hos monere debuit Author libelli prædicti, hos redarguere, hos docere, non requiri quidem, ut qui eſt lapſus & vult miniſtrare, ita conteratur ut ſit omninò certus de contritione ſua, ſed ut ſaltem probabiliter judicet ſe verè conteri, & affici eo dolore peccati ex offensâ bonitate Divinâ: quod probabile judicium habere non poſſunt, qui nihil ſe colligentes, nihil quæ dixi meditantes, breviſſimè recitant in corde ſuo ea paucula verba, niſi ſint ex innocenti habitu vitæ bene comparati, ac diſpoſiti, & ſanctis hujuſmodi actibus aſſueti, quales eſſe non ſolent Sacerdotes qui celſiſſimæ ſuæ dignitatis immemores, aut contemptores in peccatum præſertim carnale labuntur. Sed ſatis excurrimus. Redeamus in viam.

CA-

# CAPUT IV.

## *Doctrina ſæculi quinti decimi.*

HUjus ſæculi Doctrinam & Praxim nobis exhibent præter alios, aut Doctores, aut Scriptores, quinque viri præclariſſimi, quorum doctrinam ſanctitas confirmavit, & miracula comprobarunt. Quare nemo niſi per ſummam temeritatem dicere queat, praxim ab eis propoſitam non fuiſſe eam, quæ tunc erat ab Eccleſia recepta, & communi calculo approbata. Hi ſunt S. Nicolaus de Tolentino ſanctitate, & miraculis toto Orbe celebratus, S. Vincentius Ferrerius, dictus, *Pater illuminatiſſimus*, *ſacræque Theologiæ Profeſſor acutiſſimus*, quo vix ulla ætas poſt Apoſtolos habuit magis inſignem verbi Dei Præconem, S. Bernardinus Senenſis, & S. Joannes de Capiſtrano, nempè duo fulmina ejus belli, quo poſt S. Vincentii Ferrerii mortem, fuerunt hoc ævo vires Dęmonum maximè attritæ, demum S. Antoninus vir & ipſe inſignis ſanctitatis & doctrinæ, *tantæque dexteritatis in explicandis conſiliis*, *ut communi elogio Antoninus conſiliorum diceretur*. Hos autem ex eo etiam capite libentiùs profero, quòd omnes id munus audiendi confeſſiones obivere; ſuâque experientiâ, quænam ſit optima ratio adminiſtrandi hoc Sacramentum, certò cognoſcere potuerunt. Quis autem neget, eam aliis traditam ab eis fuiſſe adminiſtrandi regulam, quam ipſi optimam cognoviſſent?

§. I.

## §. I.

### *De Synodo Lingonenſi.*

1 ANtequam verò dicam, quid, circa hujus Sacramenti adminiſtrationem, docuerint aut fecerint prædicti quinque Patres Sanctiſſimi, non te pigeat audire quæ hac eâdem ſuper re, initio hujus ſæculi, decreta fuere in Synodo Lingonenſi, quam celebravit Ludovicus, illius Eccleſiæ adminiſtrator, cognatus, ſeu propinquus Caroli 6. Galliarum Regis, creatus Diaconus Cardinalis S. Agathæ in Suburra à Benedicto XII. Antipapa, habito tamen tunc à multis tanquam verò Pontifice, poſtea Presbyter Baſilicæ SS. XII. Apoſtolorum ab Alexandro V. miſſuſque in Galliam, & Germaniam, ut ad obedientiam eas provincias ex ſchiſmate revocaret. Celebrata quidem hæc Synodus fuit (ut hìc notat Odoricus Raynaldus) *ad eam Eccleſiam à magorum corruptelis, & Dæmonum graſſationibus vindicandam*, hac tamen occaſione, aliquot decreta edita fuere circa pœnitentias, in foro ſacramentali injungendas, quæ idem Odoricus hoc anno 1404.num.23. refert. Sunt autem hæc.

2 „ Caveant Curati, aut eorum vicarii, ne im„ ponant pœnitentias ſolemnes, aut publicas. Licet „ pro quolibet peccato mortali eſſet regulariter „ ſeptennis pœnitentia injungenda, quæ deberet „ imponi magis, vel minùs aſpera, prout majori-

„ tas,

„ tas, vel minoritas, & circumſtantiæ eorum ex-
„ poſcunt: tamen hodie omnes pœnitentiæ Sacer-
„ dotis arbitrio ſunt taxandæ, ſive in quantitate
„ temporis, aut rei, vel modi, ſeu conditionis,
„ conſiderando gravitatem peccati, & circumſtan-
„ tias temporis, loci, perſonarum, conditionis,
„ & ſtatus eorum.

„ Sacerdotes debent ſemper injungere pœni-
„ tentiam per contrarium peccatori, puta ſuperbo
„ humilem orationem, avaro eleemoſynarum lar-
„ gitionem, acidioſo peregrinationem, & Eccle-
„ ſiarum frequentationem, guloſo abſtinentiam à
„ cibis & potibus, luxurioſo carnis macerationem,
„ & quandoque loci mutationem, iracundo man-
„ ſuetudinem, & quod in corde reprimat fortiter
„ primum motum iræ, & ſic de ſimilibus.

„ Caveant Sacerdotes, ne gravent Pœniten-
„ tes per difficiles, vel oneroſas pœnitentias; ſed
„ eas imponant, quas putant poſſe, & velle pœni-
„ tentem portare, ne deteriùs contingat peccare,
„ pœnitentiam non adimplendo, etiamſi non de-
„ berent injungere, niſi unum Ave Maria: debet
„ enim ſufficere Sacerdoti, ſi Pœnitentem libera-
„ tum videat ab offenſa,& pro pœna mittat ad Pur-
„ gatorium, licet eundem Pœnitentem liberatum
„ à culpa ad Paradiſum non tranſmittat. ( Videli-
cet ſtatim poſt mortem. )

„ Omninò caveant Sacerdotes, ne Pœniten-
„ tes dimittant recedere deſperatos propter gravi-
„ tatem pœnitentiæ, quantumcunque gravia com-

„ miſe-

„ miſerint peccata. Caveant etiam Sacerdotes, ne „ per pœnitentias, quas injungunt, faciant præjudicia, vel onus alicui alteri, quàm Pœnitenti, „ puta non injungatur marito, quod ſit in onus „ uxoris, vel è contra, & ſic de ſimilibus.

Hæc in Synodo Lingonenſi ſancita fuere.

3 *Cler.* Benigniſſimè quidem. Quod tamen aſſeritur de ſeptenni pœnitentia injungenda, & de recenti arbitrio Sacerdotum in taxandis pęnitentiis, benignitati non favet, iiſque adverſatur quæ tu in ſecundo libro dixiſti de veteris Eccleſiæ praxi. Dum enim dicitur, *tamen hodiè omnes pœnitentiæ Sacerdotis arbitrio ſunt taxandæ*, ſatis ſignificatur, olim non fuiſſe ita factum, ſed impoſitas verè fuiſſe longas illas & aſperas Canonum pœnitentias, quod ipſe negaſti.

*Auct.* Reſpondeo, hæc non pertinere ad praxim hujus ſæculi, quam hìc unicè quærimus, ſed ad eruditionem, & notitiam antiquitatis, circa quam errare potuerunt qui ad hanc Synodum convenere, ut modò etiam permulti errant, putantes, verè fuiſſe in foro interno Canonicas illas pęnitentias impoſitas. Cæterùm id ad ſummum evinci poteſt ex verbis prædictis, olim in aliquibus regionibus, & præſertim in Gallia fuiſſe canonicas, aut ſaltem valdè longas, & aſperas pœnitentias impoſitas, quod ultro conceſſi & concedo. At peto ex te, cur Preſbyteri iſti Lingonenſes eos Canones, quos obſervatos olim fuiſſe aut ſupponunt, aut aſſerunt (ut dicis) non mandant iterum, obſervari? imò cur præcipiunt

cipiunt primò, ne imponantur pœnitentiæ ſolemnes & publicæ, nempè paſſim & facilè, ut olim factum creditur, ſecundò ne imponantur pœnitentiæ difficiles & oneroſæ, quæ probabiliter non impleantur, ſed potiùs leviſſimæ, ut eſt unum Ave Maria, cùm aliæ graviores non implebuntur? Tertiò, ne Pœnitentem cujuſcunque culpæ etiam enormiſſimæ reum ita onerent, ut ille ſpem ſuæ curationis & ſalutis amittat? Cur, inquam, cum tota illa perſuaſione antiqui rigoris, Canones condunt adeò benignos? niſi quia experimento cognoverant, eo rigore non curari Pœnitentes, ſed abſterreri, & fieri, ne ſe curandos ſanandoſque ſuis Paſtoribus præberent. Sed hæc ad præſens inſtitutum non faciunt.

*Cler.* Faciunt tamen ad præcipuum hujus tui Operis inſtitutum, excitantque in mente aliam difficilem quæſtionem, qui videlicet iſthæc Lingonenſia decreta conſonent doctrinæ poſtea traditæ in Tridentino de non imponendis levibus pœnitentiis pro gravibus delictis.

*Auct.* Conſonant optimè, ut oſtendam, ubi Tridentinam de pœnitentia doctrinam expendam. Interea accipe, quæ de doctrina & praxi prædictorum quinque illuſtrium virorum me dicturum promiſi, quibus mirificè confirmantur quæ in Lingonenſi hac Synodo decreta fuere, & reliqua noſtra de Sacramento Pœnitentiæ, curandiſque pœnitentibus diſciplina.

§. II.

## §. II.

### *Praxis S. Nicolai de Tolentino.*

UT autem incipiam à primo eorum quos ſupra nominavi, hæc de eo ante paucos dies ad me tranſmiſit benigniſſimè Reverēdiſſimus Pater Adeodatus Nuzi Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Prior Generalis, vir ex innocentiâ morum, prudentiâ, ac doctrinâ æquè omnium amore, & laude digniſſimus.

„ In Relatione Proceſſus Canonizationis S. Ni-
„ colai de Tolentino facta Papæ Eugenio IV. quæ
„ Relatio mſ. aſſervatur Romæ in Archivio Ordi-
„ nis Eremitarum S. Auguſtini, hæc leguntur p. 19.
„ circa praxim, qua Sanctus vir utebatur in admi-
„ niſtrando Sacramento Pœnitentiæ.

*In Confeſſionibus erat multùm attractivus Peccatorum dicendo, & confortando, ut ulteriùs non peccarent, & offerendo ſe velle pœnitentiam portare pro eis.*

Et pag. 20. *Erat multum humilis, & benignus in audiendo Confeſſiones, & attractivus hominum propter benignitatem ſuam.* Et infra. *Ad hoc ut peccatores non diffiderent de immenſitate miſericordiæ Divinæ, ferebant, quod pro magno delicto parvam pœnitentiam imponebat. Contentabatur namque, ut iidem Peccatores ad cordis contritionem redirent.*

An putas, fuiſſe, in reliquis moroſum, qui erat in

in imponenda pœnitentia tam facilis? Quin ex hac facilitate arguo ejus in reliquis benignitatem. Non enim pœnitentias parvas imponebat magnis peccatoribus, quòd hi ex ſe graves pœnitentias ante ſuſcepiſſent, ſed ex ſua benignitate, qua *ſe offerebat* promptum *pœnitentiam portare pro eis*, contentus eorum contritione. At unde hanc cognoſcebat? Certè non ex operibus pœnitentiæ, quæ præceſſerant, ut dicebam; non ex eo quòd antea per aliquot menſes vel hebdomadas vixiſſent inculpatè, & ſic probaſſent Nicolao pœnitentiam ſuam; nam id certè non exigebat is, qui adeò celebratur ex benignitate, quique *pro magno delicto parvam pœnitentiam imponebat*: non enim ægrè tuliſſent gravem pœnitentiam, qui non ægrè ferrent eam longam dilationem abſolutionis, eamque præviam probationem. Nec eam contritionem cognoſcebat ex revelatione Divina, de qua nihil in Proceſſu dicitur, ſed ex eorum gemitu, aut ſeria atteſtatione. Igitur hæc ſufficit regulariter etiam in magnis peccatoribus, cùm prẹſertim primò ſic monentur, & compunguntur, aut ea ſigna doloris modò dant, quæ aliàs non dedere: nec requiritur antè abſolutionem ea prẹvia, & longa operum probatio, quam modò exigunt aliqui, quamque exigitam ut neceſſariam, vel ut pleriſque utilem, à Sanctis Confeſſariis fuiſſe, legi nunquam.

§. III.

## §. III.

### *Doctrina S. Vincentii Ferrerii.*

QUam Praxim probandam, uſurpandamque cenſuerit S. Vincentius Ferrerius, facilè intelliget quicunque ejus ſermones hyemales, & æſtivales duobus tomis comprehenſos legerit; in illis enim millies agit de ratione, qua id Sacramentum aut adminiſtrari debet, aut ſuſcipi. Seligam præcipua.

1 Et 1. circa contritionem, quam in hoc Sacramento requirit, docet pręcisè neceſſarium eſſe, ut concipiatur cum aliquo reſpectu ad Deum nobis repręſentatum per fidem, vel ut juſtum & comminantem æternam pœnam, vel ut promittentem felicitatem ęternam, vel ut noſtrum benefactorem; ſolùmque monet, non ſatis eſſe, ut quis doleat de peccato propter malum temporale hujus Mundi; & quamvis ſępiſſimè actum contritionis ipſe proponat, aut ejus motiva recenſeat, nunquam meminit veri motivi charitatis, quod eſt ipſe Deus, non ut nobis benefacit, ſed ut eſt in ſe perfectus, & bonus ſibi; & aliquando eam concipi dicit ex conſideratione beneficiorum Divinorum, plerumque autem ex conſideratione gehennæ, aut æternæ felicitatis per peccatum amiſſæ, aut turpitudinis ipſius animæ peccantis, ut oſtendo allegando Sancti Patris verba ex variis ejus ſermonibus excerpta. Serm. 5. Domin. 1. Adventus. *Si dolor vel diſplicentia peccato-*

*rum venit reſpectu Mundi, famæ, vel periculi, nihil valet, totus jacet baſſe in terra, oportet quod diſplicentia ſit reſpectu Dei, tunc eſt contritio*. Serm. 2. Feriæ 5. poſt Invocavit. *Contritio debet eſſe ſurſum per reſpectum ad Deum, quem peccando offendit, aliàs dolor de peccatis propter periculum, vel verecundiam, vel perditionem bonorum, vel famæ nihil valet, quia non eſt contritio*. Vide, ut ſolùm excludit à ratione contritionis, ſeu doloris ſufficientis dolorem de peccatis propter mala temporalia hujus Mundi ſine ullo reſpectu ad Deum, non autem eum, qui concipitur ex fide proponente gehennam intentatam malis, & felicitatem æternam promiſſam bonis, adeoque cum reſpectu ad Deum, aut ultorem, aut remuneratorem ſupernaturalem. Idipſum magis diſertè perſequitur Serm. 1. Feriæ 5. *poſt Reminiſcere*, comparans eum, qui conteritur & ſurgit de peccato, cum eo qui expergiſcitur, aperit oculos, & ſurgit de lecto. *Hoc ſignificat contritionem, quæ in duobus conſiſtit. Unum eſt verſus inferius, ſcilicet dolor de peccatis in hoc Mundo, ſed non eſt contritio, ſed materia contritionis. Nam aliud eſt forma quæ dat eſſe rei ſcilicet contritio, ideſt dolor ille qui eſt de peccatis reſpectu Dei, quem offendit; alias ſi homo haberet tantum dolorem de peccatis quod fleret, ſed non propter Deum, attritio eſt, ſed non contritio, quæ non ſufficit ad ſalvationem, v. g. ſi quis dolet de peccatis propter periculum corporis, vel animæ, vel bonorum quod ſibi imminet, & plorat nihil valet, quia totum jacet inferius, v. g. ſi Religio-*

*ſus*

*ſus dolet quod non ſervavit regulam quia Prælatus vult eum in carcere, non valet, ſed reſpectu Dei. O miſer tantam gratiam fecit mi Deus quod elegit me in ſuo ſervitio in iſta ſancta religione extrahens me de Mundo, & de faucibus Mundi, ubi ſunt tot malæ beſtiæ, & poſuit me in viridario religionis, & ego non ſervavi &c. Hæc eſt contritio.*

Hæc autem beneficia, prẹterquam quod ſunt motiva potiùs gratitudinis, quàm charitatis, commemorantur hìc ad excitandum majorem timorem Divinæ juſtitiæ, & amorem amiſſæ felicitatis, aliorumque bonorum ad eam conducentium, ut patet ex innumeris aliis locis, in quibus Sanctus Pater ſemper exhibet hominem contritum, dicentem *quid erit de me?* totamque contritionem conficit ex ſolis motivis timoris gehennæ & amoris ſuæ ſalutis, æternæque felicitatis.

2 Serm.3.Domin.3. Adventus explicans ea verba Evangelii. *Qui vident. Modò videndum eſt, qualiter iſti cẹci vident. Dico, quod in contritione illuminantur à Deo. Tunc enim Deus aperit oculos animæ, & vident primò, quomodo ſunt in ira Regis Chriſti. Nullus veſtrum, eſſet lætus qui ſciret, ſe eſſe in ira Domini ſui, quanto ergo magis de Chriſto Rege? Secundò uident quomodo ex peccatis perdiderunt omnia bona opera, & merita & virtutes &c. Qualis triſtitia eſt mercatori, quando nuntiatur quod navis, in qua habebat magnum lucrum, & bona ſua eſt ſubmerſa? idem &c. Tertiò vident quod perdiderunt dignitatem, & honorem, quia ſecun-*

*dum præſentem juſtitiam erant ſcripti in libro Dei in Cœlo. Ac ſi Papa haberet aliquem Sacerdotem ſcriptum in libro ſuo pro Cardinali. Sed propter peccatum ſuum ipſum radit, & facit ſimplicem ſcholarem, vel Sacerdotem, qualis dolor, & triſtitia &c. Quartò vident pœnas, & tormenta eis jam parata in Inferno, & timent, & conteruntur, tunc cęci vident*. Hæc ſola commemorat tanquam viſa ab homine contrito, in quibus profectò nullum motivum charitatis, totamque viſionem terminat pœnis Inferni.

*Cler.* Dicent, commemorari ea ſola motiva, ex quibus incipit contritio, non vero ea, ex quibus ipſa abſolvitur.

*Auct.* Sed hoc eſt mirum, & prorsùs incredibile, quod agens de contritione ea ſola motiva commemoret ſemper, unde incipit, nempè ea ſola quæ non ſunt motiva ipſius, ſed actuum pręcedentium. Cur enim agens de contritione, & de motivis eam excitantibus non ea potiùs afferat quæ ſunt motiva propria ipſius? Cur ea ſola quæ non ſunt propria ipſius? Id certè neque nos facimus, quamvis pro certò habeamus, ſufficere attritionem; ſemper enim etiam motiva contritionis attingimus, dum populo exhibemus actum, quo ſe diſponat ad hoc Sacramentum, vel reprę ſentamus peccatorem dolentem de ſuis culpis. Et erit qui credat, Vincentium putaſſe, neceſſariam eſſe contritionem ex charitate conceptam, & tamen nunquam aut ferè nunquam attingere ejus propria motiva, etiam dum fusè &

ex

ex propoſito agit de contritione, eamque aut definit, aut deſcribit, aut facit? Id ergo certe non credam.

*Cler.* Nec ego.

*Auct.* Sed audi reliqua loca.

5 Serm. 5. in Epiphania Domini. *Quando ſenex videt ſe propinquum morti, & cogitat pœnas Inferni, & quid erit de ipſo, tunc ſicut oliva conteritur inter duas molas. Mola ſuperior eſt rigor Divinæ juſtitiæ*, (en reſpectus ad Deum, quem requirit in contritione) *mola inferior eſt pœna Inferni, tunc venit quaſi fluvius violentus, ſcilicet contritio cum lachrymis.*

Serm. 3. Domin. 2. poſt Paſcha enumerans varias triſtitias, *Prima triſtitia hujus Mundi eſt de occupatione temporali &c. Secunda triſtitia hujus Mundi eſt melior, ſcilicet triſtitia de contritione cordiali, quandò homo cogitat de peccatis, & malis quæ fecit, & de tempore quod amiſit, & triſtatur ad inſtar militis qui ex culpa ſua venit in odium, & iram regis, qui cogitat. O miſer, rex occidet me, & perdam omnia bona, & triſtatur. Ita quilibet peccator eſt in ira Regis Chriſti &c. De iſta triſtitia dicit Scriptura* 2. *ad Cor.* 7. *Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam ſtabilem in ſalutem operatur. Nota, quæ ſecundum Deum triſtitia eſt. Quidam triſtatur de peccatis ſed non ſecundum Deum, ſed ſecundum Mundum, vel ſecundum periculum, vel ſecundum pœnam, quæ triſtitia nihil valet, imò dicit, ſæculi triſtitia mortem operatur. Sed triſti-*

*tia quæ eſt ſecundum Deum, quando homo triſtatur, & dicit, ò miſer tantum offendi Deum meum &c. talis pœnitentia in ſalutem operatur.* Hìc nota, uti eam triſtitiam quam concipio cogitans, quod Chriſtus Rex meus me perdet propter commiſſa peccata, quæ eſt triſtitia ex timore gehennæ, vocat *triſtitiam ſecundum Deum*, eamque ipſam quam habeo dicens, *O miſer tantum offendi Deum meum*. Hinc poſtea dicit, quod pœnitens poſt confeſſionem letatur, ſicuti ille cui remiſſum eſt debitum ad quod ſolvendum *obligabatur ſub pœna mortis*. Ecce tota cauſa letitiæ, quam habet is pœnitens, qui ante confeſſionem triſtabatur ſecundùm Deum.

6 Serm. 1. Domin. 15. poſt feſtum Trinit. dicens debere nos crucifigi ad imitationem Chriſti, & exponens quæ ſit lancea qua in latere & in corde, feriamur, *Pœnitentia* (inquit) *dicitur lancea, quia ſicut lancea habet duo, ſcilicet ferrum acutum, & haſtam longam, ita pœnitentia habet ferrum acutum contritionis, quod vulnerat cor timore pœnarum Inferni, ſecundò eſt ibi haſta longa ſpei, quia longam ſpem habere debemus de Dei miſericordia, ſi homo vult à peccatis abſtinere, & pœnitentiam facere &c. Hac lancea debet aperiri latus uſque ad cor per amaram contritionem &c.*

Serm. 8. Domin. 16. poſt feſtum Trinitatis deſcribit quomodo Deus tangit cor peccatoris, & ad ſe convertit. *Debetis ſcire, quod tunc conſcientia noſtra tangitur à Deo, quando immittit nobis remorſum conſcientiæ, & cognitionem peccatorum.*

Cum

*Cum peccator redit ad ſe &, cogitat ſuum ſtatum ſuperbum, & pompoſum quem ducit, & quomodo per ſuperbiam rebellis fuit, & inobediens Deo, & ſuperioribus, & cogitat ulterius lites & injurias, & diffamationes, & blaſphemationes nominis Domini, & Sanctorum, quas ore miſero protulit, & ulterius procedens cogitat furta, uſuras &c. & quod ſi in tali ſtatu decedat, damnatus erit in anima, & conſequenter poſt diem judicii in corpore & anima. Hæc omnia bene cogitans, & revoluens intra ſe exclamat dicens, ò miſer quid facis? & quid cogitas? Quare non avviſas te, ut emendes? alias tu perditus es. O qualis ſtimulus? O qualis punctura ſpinarũ &c. Nunquam punctura calcaris fecit ita currere equum, ſicut aliquando iſta punctura peccatorem facit cito relinquere peccatum.* Et hoc modò dicit, tactum à Deo fuiſſe Saulum, cui apparuiſſe Chriſtum ſub ſpecie Judicis terribilis, alibi dicit. Tandem affert illud 1. Reg. 10. *Abjit cum David pars exercitus quorum Deus tetigerat corda.* Subditque *David interpretatur manu fortis, per quem intelligo hunc ſtimulum, qui eſt ita fortis, quòd converti facit peccatorem, quod eſt difficilius, quam Cœlum & Terram creare, ut dicit D. Aug.*

Nota, uti is ſtimulus timoris gehennæ facit citò relinquere peccatum, & converti peccatorem, quod modò à quibuſdam negatur, contendentibus neminem ſine amore relinquere omnia peccata præſertim interna, & converti ad Deum.

Serm. 4. Domin. 17. poſt feſtum Trinitatis.

*Iſto modo debent in nobis generari lachrymæ contritionis. Quilibet debet videre coram ſe pœnam æternæ damnationis ex peccatis ſibi debitam cogitando, ò miſer quomodo evadam de manibus Dæmonum? Quid dicam, quando ero in judicio? Quando dicetur mihi quid feciſti? Et non feci niſi peccata. Cogitando ſic venit ſudor lachrymarum.*

7 Sed expreſsè Serm. 1. Domin. 21. poſt feſtum Trinitatis, *Magna fuit quæſtio inter Doctores quid eſt contritio propriè. Et dimittendo opiniones, ego dicam vobis determinationem, quod contritio eſt dolor de peccatis præteritis, ſed non ſufficit niſi reſpectu Dei &c. alias non eſſet contritio, ſed attritio*, & allatis exemplis religioſi dolentis timore verecundiæ ex ſuo peccato publicando, vel pœnæ infligendæ à Prelato, & Clerici dolentis quia Prelatus ſciet & incarcerabit, quorum dolorem negat eſſe contritionem, ſubdit, *Idem de muliere cujuſvis ſtatus, quæ ſi dolet de peccato quia gentes loquuntur, & plorat propter periculum nihil valet. Domine tu ordinaſti matrimonium, vel virginitatem, ſeu viduitatem, Domine fregi ſic, vel ſic. O Domine quid erit de me? Iſta eſt contritio, quia reſpectu Dei.* Vide, uti iſte reſpectus ad Deum neceſſariò requiſitus non eſt charitas, cujus hic nullum veſtigium, ſed fides proponens Deum ut Authorem ſupernaturalem legis, & minantem gehennam, unde oritur ille actus. *O Domine quid erit de me?* quem actum timoris & diſplicentiæ de peccato adnexum propoſito, cum quo ſolet ipſum conjungere, vocat contritionem ab

ab attritione illa orta ex malis hujus Mundi diſtinctam.

8 Serm.3. Dom.16. poſt feſtum Trinitatis, dicit contritionem eſſe *quandam locutionem reprehenſivam ſui ipſius de his, quæ malè fecit homo dicens. O miſer quid feci? v. g. ſi aliqua perſona fuit multum vana, & pompoſa, & quando Deus per contritionem tangit cor, loquitur intra ſe dicens, ò miſer quid feciſti? quid tibi profuit tanta vanitas? totum tranſivit, & ego ſum pœnis Inferni obligatus. O miſer quid erit de me?* Inde affert exemplum filii cujuſdam mercatoris dolentis, quod deceptus fuit in emptione lapidum vitreorum pro lapidibus pretioſis, & ab amico in bonam ſpem erecti, *Ille cognoſcens deceptionem & ſuam indiſcretionem cœpit flere amariſſimè quaſi deſperando, ſed ille amicus conſolabatur eum dicendo, non curetis, quia Pater veſter eſt dives &c. & ſub iſta ſpe ille conſolabatur. Ecce hìc oſtenditur propriè quid eſt contritio. Iſte ſtultus mercator eſt homo, vel mulier, qui, quandò facit peccatum, credit ſe inveniſſe margaritas & aurum &c. Sed quando amicus, ſcilicet Angelus bonus, vel prædicator dat vobis intelligere quod emiſtis, ſcilicet lutum & fimum &c. tunc mercator ſcilicet ſpiritus redit ad ſe, & inveniens ſe deceptum incipit flere dicens. O miſer quid emiſti? & deſperaret, niſi quia pater, ſcilicet Deus eſt dives, & ſub iſta ſpe tranſit. Dives eſt in omnes qui invocant illum ad Rom.*10. *Judas habuit diſplicentiam, ſed non ſperavit in divitiis Patris &c.*

Serm.5.

Serm. 5. Dom. 16. poſt feſtum Trinit. proponit hunc actum contritionis, qui totus eſt ex metu inferni, ex quo, & ex fiducia concepta ex paſſione Chriſti Pœnitens recurrit ad Deum. *O miſer de meis peccatis jam factus eſt proceſſus in curia juſtitiæ Dei, & ſententia data. Anima quæ peccaverit, ipſa morietur &c. Verùm eſt quod multa peccata feci, ſed, Domine, filius veſter fuit ſuſpenſus in cruce, ne aliquis ſibi credens, & obediens ſuſpendatur in furca inferni.*

9 Serm. 2. Domin. 14. poſt feſtum Trinit. ſic recenſet motiva contritionis. *Unde hoc quod contritio ſignificetur per tactum manus* ( Chriſti Domini tangentis leproſum eumque mundantis? ) *Reſpondeo, quod niſi Deus tactu ſuæ manus miſericordiæ tangeret cor peccatoris, nunquam haberet contritionem. Iſta manus miſericordiæ Dei habet quinque digitos, ideſt quinque motiva contritionis. Primum motivum eſt cogitatio amiſſionis gratiæ Dei, quia quando peccator cogitat, quod ex ſuis peccatis perdidit gratiam Dei, & eſt in ira Dei: tunc habet motivum & rationem conterendi. Sicut miles, qui prius erat in gratia Regis, ſed quia deliquit, perdidit gratiam, & incurrit iram regis, ita quod Rex non vult eum videre, movetur ad contritionem offenſæ ex cogitatione amiſſionis gratiæ regis. Cogitate qualis dolor maximè ſi non haberet, undè viveret aliundè. Ita de peccatore &c. nec aliundè poteſt habere vitam æternam. Secundum motivum ad contritionem eſt cogitatio amiſſionis lucri, quando cogitat peccator, quod perdidit*

*quid-*

*quidquid lucratus fuerat unquam per opera meritoria, tunc habet motivum, & rationem conterendi O qualis dolor! Ac ſi mercator in mane perderet quidquid lucratus fuerat unquam &c. Tertium quia perdit hæreditatem Paradiſi, quæ ad eum pertinebat. Qualis dolor eſſet primogenito Regis, ſi ex culpa ſua perderet hæreditatem? Idem de peccatore. Quartum quia perdit amicitiam ſanctorum Angelorum, & omnium Beatorum. Jam videtis quantum doletis aliquem amicum cordialem, quantò magis dolere debetis, quando tantos perditis? Quintum motivum ad contritionem eſt cogitare, quia es damnatus ſententialiter ad furcam inferni &c. Iſtis quinque digitis manus miſericordiæ Dei tangit cor peccatoris &c.* Inter hæc autem motiva nullum eſt charitatis in Deum: Nam primum quod videri poterat eſſe tale, verè non eſt, cum ſit cogitatio amiſſionis gratiæ Dei, quatenus Regis, ſine quo *peccator nequit habere vitam æternam*, nec *habet unde vivat aliundè*.

Ex tot locis, aliiſque multis, quæ afferri poſſent, patet manifeſtè, ex mente Sancti Vincentii ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ eam peccatorum deteſtationem, quæ concipitur ex motivo aliquo ſupernaturali, & ex ipſo amore ſalutis ſuæ, vel timore gehennæ, quem timorem quibuſdam hominibus in morte ſufficere, benè negat ſerm. 2 Dom. 20. poſt feſtum Trinitatis, quia non ſolet haberi, ut debet, juxta ea, quæ notavi cum de Scoto ſermo fuit.

10 Unum objici poteſt, nempè S. Patrem multis in locis docere, contritionem non eſſe ſine gratia.

tia. Serm. 1. Dom. 21. poſt feſtum Trinitatis. *Vera contritio non eſt ſine gratia, & ſi non haberet opportunitatem confitendi, ſed propoſitum, contritio ſufficeret*. Serm. 2. Dom. 14. poſt feſtum Trinit. *Quantumcunque peccata ſint gravia, & horribilia tanta eſt virtus contritionis, quæ ſi vera ſit, non eſt ſine gratia, quòd purificat animam ab omnibus culpis mortalibus*. Ergo putavit contritionem eſſe actum, qui ſemper concipitur ex charitate.

Reſpondeo, id verum eſſe loquendo de contritione ſtrictè ſumpta. Cùm autem docet S. Pater, contritionem requiri in hoc Sacramento, utitur hac voce in ampliori ſignificatiooe, ut patet ex ſerm. 7. Dominicæ ſecundæ Adventus, ubi enumerans vias, per quas juſtificamur, *Prima*, inquit, *eſt cordis contritio. Secunda eſt oris confeſſio, quoniam, ſi in contritione CAPIENDO CONTRITIONEM GENERALITER IN QUANTUM SE EXTENDIT AD ATTRITIONEM, quæ eſt diſplicentia de peccatis informis, non habuiſti gratiam habebis in Confeſſione, vel è converſo, niſi ſis terribilis, & obſtinatus in mente*.

Similiter ſerm. 2. Dominicæ 14. poſt feſtum Trinit. dicit, primum modum, quo liberamur lepra peccati eſſe Baptiſmum, ſecundum Contritionem, tertium Confeſſionem, *quæ* (inquit) *eſt tantæ virtutis, ut niſi cor ſit actualiter obſtinatum nolens dimittere peccata, nec remittere injurias (quia in talibus confeſſio non habet effectum, purificat ab omnibus culpis mortalibus*. Is ergo dolor ei ſatis eſt, qui

qui excludit obſtinationem, ſeu voluntatem peccandi, & jungitur cum propoſito dimittendi, ſeu deſerendi peccata, quamvis non ſit contritio ſtrictè ſumpta, quæ etiamſi parva ſit, nempè ex parva, & ſolùm inchoata charitate concepta, ſemper juſtificat ex hoc Doctore, ut oſtendo locis manifeſtis.

11 Serm. 4. Dom. 17. poſt feſtum Trinitatis, *Una gutta, ſive lachryma veræ contritionis curat animam ab omnibus peccatis mortalibus*. Serm. unico feriæ 5. poſt Judica, loquens de S. Maria Magdalena, *Attulit alabaſtrum unguenti. Alabaſtrum eſt cor peccatoris, in quo eſt unguentum pretioſum, & medicinale contritionis ad curandum peccata. Nam gutta hujus unguenti curat omnes culpas peccatorum mortalium; nam concluſio eſt Theologorum, quod vera contritio, quantumcunque minima, non eſt ſine gratia*. Serm. 2. Domin. 24. poſt feſtum Trinitatis dicit tantam eſſe Dei miſericordiam, ut *ſi unus occidiſſet omnes Apoſtolos, & Joſeph Patrem putativum, imò etiam ſi Virginem violaſſet, & ipſum Chriſtum propriis manibus crucifixiſſet, ſi poſt haberet tantam contritionem, ut granum ſynapis, & peteret veniam, in hoc Mundo, Chriſtus ſtatim parceret ſibi*. Igitur ex hoc Doctore quævis contritio ſtrictè talis, quamvis ſit parva & remiſſa, adeòque concepta ex charitate ſolùm inchoatâ, per ſe juſtificat. Atqui contritionem ſic juſtificantem negat eſſe neceſſariam in hoc Sacramento. Ergo negat eſſe neceſſariam contritionem conceptam ex charitate etiam parva, & ſolùm inchoata. Minor ſubſumpta,

quæ

quæ ſola eſſet probanda, patet ex textu paulò ante allato, ubi dicit, ſufficere attritionem informem, & probatur etiam multis aliis locis, ubi idem S. Pater ſupponit non ſemper remitti peccata per contritionem præviam, ſed per ipſam Sacerdotis abſolutionem. Allegabo duo.

12 Serm. 2. Dominicæ 14. poſt feſtum Trinit. ſic habet. *Quando dat abſolutionem Confeſſor, anima purificatur ab omnibus plagis, & maculis.* Serm. 1. Dominicæ in Sexageſ. *Dico 2. quod verbum Dei dicitur gladius in pœnitentiali abſolutione. Et ſi aliqui haberent animam ligatam mille millibus ligaminum, ſeu catenarum, virtute abſolutionis, ſcilicet dicendo, Ego te abſolvo, omnia vincula rumperentur.*

12 Addo videri probabile, hunc S. Doctorem putaſſe, non ſolùm non requiri in dolore neceſſariò ad hoc Sacramentum, quod profluat ex charitate, ſed nec id requiri fortaſsè in dolore, qui extra Sacramentum expellit peccata, & ſufficere ad hunc effectum omnem peccatorum efficacem deteſtationem conceptam aliquo modo propter Deum, ut dixi ſupra cùm agerem de opinione Scoti, & Scotiſtarum! Id autem colligo ex eo, quod in tam multis locis, in quibus agit de contritione, non ſolùm, ut conſtituente hoc Sacramentum, ſed abſolutè, vel ut eſt neceſſaria, aut ſufficiens ad remiſſionem peccatorum, nunquam docet, eſſe neceſſarium, ut profluat ex charitate, quod docere non omiſiſſet, ſi neceſſarium putaſſet; cum præſertim alloquatur ſemper populum rudem, qui de neceſſariis

riis ad ſalutem clarè inſtrui debet: ex quo eodem fine tam ſæpè, ac tam clarè eundem monet, non ſufficere dolorem naturalem, nempè dolorem peccati propter damna hujus mundi (ut ipſe loquitur) quæ ex peccato quis patitur, aut eventura timet. Nec ſanè poteſt ita facilè afferri ratio, propter quam hoc moneat tam ſępè, ac tam clarè, illud autem nunquam, ſi utrumque requiri putavit ad contritionem, quæ per ſe peccatum expellit, nimirum & eſſe ſupernaturalem, & eſſe ex motivo charitatis.

*Cler.* Dicent, notum eſſe omnibus, contritionẽ perfectam debere concipi ex motivo charitatis, & ideò de hac re monitum à S. Vincentio populum non fuiſſe.

*Auct.* At notum quoque erat omnibus, in confeſſione requiri dolorem, & propoſitum, & tamen id tam ſępè monet, & inculcat. Rursùs, quomodo notum erat omnibus, quod à Scoto, aliiſque negabatur? Igitur vera ratio id non monendi ea ſola fuit, quod non cenſuit, eſſe neceſſarium ad remiſſionem peccatorum dolorem, qui prodit ex charitate, vel ſaltem id certum eſſe, non putavit.

13 Illud etiam circa contritionem, & converſionem peccatoris docuit is S. Pater, non ſolùm ex communi ſententia, ſed etiam ex propria experientia, ſępè evenire, nimirum, ut peccatores, dum ſacrum Oratorem audiunt, verè conterantur, & convertantur, quod utrumque negant modò aliqui dicentes contritionem, & converſionem peccatoris eſſe opus longi temporis, & laboris, uti fuſiſſimè

cona-

conatur probare is, cujus aliàs memini, qui præterea putavit eſſe Orbi, & Urbi denunciandam, ut facit, eas meas propoſitiones, quibus dixi in Cler. Rom. ſępè evenire, ut concutiantur peccatores, & convertantur, dum audiunt, aut Concionatorem, aut Confeſſarium aptè proponentem, quę ad pœnitentiam excitant: nec advertit, id aſſeri communiter à Doctoribus, qui proindè denunciandi omnes erunt Urbi, & Orbi, & præſertim S. Vincentius Ferrerius, qui ſerm. 7. Dominicæ 3. Adventus loquens de S. Joanne Baptiſta, qui baptizabat auditores ſuos, dicit, tale aliquid evenire, *quando peccator tactus in prædicatione plorat peccata ſua per contritionem, quoniam illæ lacrymæ baptizant lavant, & purificant animam ab omnibus culpis, & maculis peccatorum mortalium*. Idque ſæpè evenire, docet in ſerm. de converſione S. Pauli, ubi enumerans, & deſcribens varios modos, quibus peccatores convertuntur, *Quintus* (inquit) *eſt inſtructio doctrinalis, ut in prædicatione, ad quam MULTI veniunt peccatores, & in magnis peccatis involuti, & redeunt converſi ad Deum*. Similiter ſerm. 1. Dominicæ infra Octavam Epiph. *Sunt MULTI, qui SUBITO' convertuntur ad Deum, quando aliquam audiunt bonam prædicationem*. Quid hìc afferet in ſui excuſationem Scriptor prædictus?

14 At ſatis de contritione. Oſtendendum nunc eſt quid doceat S. Vincentius circa reliqua. Porrò quod attinet ad Confeſſionem, hortatur quidem S. Pater ad eam non differendam, ſed non obligat.

Ser-

Digitized by Google

Sermone unico Sabbati poſt Oculi, loquens de precepto Confeſſionis, *Si diſpliceat tibi peccaſſe, & proponis confiteri ſuo tempore, ſcilicet Quadrageſimæ, extra peccatum es, & eſt ſtylus curiæ, quod quamvis non ſis confeſſus, ſi intra decem dies confitearis, lucraris Induldentias, & ideò eſt conſilium, & bonum, ut confitearis frequenter, licet non tenearis, niſi in Quadrageſima.*

15 Circa abſolutionem, quando videlicet ea danda ſit vel neganda, aut differenda, hæc præciſè docet, 1. Eam eſſe dandam habenti, negandam non habenti propoſitum. Alium caſum in quo ſit neganda, vel differenda, non affert. 2. Eſſe credendum pœnitenti atteſtanti ſe eſſe diſpoſitum, ſubintellige, regulariter.

Serm. 2. Sabb. poſt Reminiſcere, *Confeſſor debet petere à Pœnitente, Habetis voluntatem, & propoſitum abſtinendi à peccatis? Si dicit non, non eſt abſolvendus.* Ecce unicus caſus negandi abſolutionem ab eo allatus, quamvis de Confeſſione millies, & fusè agat in ſuis Sermonibus. Vide etiam ſerm. unic. feriæ 3. poſt Oculi, & ſerm. unic. Dom. in ramis Palmarum, ubi ſimiliter hunc ſolum caſum affert, in quo videlicet pœnitens non habet propoſitum reſtituendi, vel remittendi injurias.

Serm. 1. Dom. intra Octav. Aſcenſ. *Poſt Confeſſionem Confeſſor debet quærere propoſitum in corde veſtro de cætero cavendi, & emendandi vitam veſtram. Si dicetis quod ſic, tunc Confeſſor radit, & delet peccata de conſcientia, ſcilicet cum lingua.*

*Nullus gladius tantum ſcindit , quantum lingua Confeſſoris , quando elevat manum , & dicit Miſereatur tui Omnipotens Deus, et dimittat tibi omnia &c. Facta abſolutione, omnia peccata , et mala ſunt raſa de libro conſcientiæ &c.* Igitur in hoc foro credendum eſſe ( per ſe loquendo ) pœnitenti teſtanti pro ſe , non ſolum circa ſpecies, & numerum peccatorum , ſed etiam circa diſpoſitionem ſuam , docet S. Vincentius , qui hanc eandem doctrinam indiſtinctè tradit ſerm. unico Sabbati poſt Letare , ubi poſtquam docuit , *in judicio humano non credi homini loquenti pro ſe , ſed benè loquenti contra ſe ,* ſubdit . *Sed in judicio Divino , ſcilicet confeſſione judex , ſcilicet Confeſſor , tenetur credere peccatori loquenti pro ſe , & contra .*

16 4. Circa ultimam partem Sacramenti Pœnitentiæ , quæ eſt ſatisfactio, hortatur quidem ſæpè peccatorem ad ſeveram pœnitentiam , ad jejunia , flagellationes , aliaſque hujuſmodi carnis afflictiones ; inculcat illi ſæpiſſimè præceptum grave ſubeundi ea onera , quæ prudens Confeſſarius imponit: dicit ſępè,uti ex diſciplina Canonum(quod tunc dicebatur à multis ) obeunda cuique eſſet pro quovis peccato lethali ſeptennis pœnitentia , ſi videlicet peccator vellet in hac vita condignè ſatisfacere , adhuc tamen adeò non imponit tantum onus , adeò non putat eſſe hos Canones renovandos , aut executioni mandandos , ut velit circa hoc benigniſſimè cum Pœnitentibus agi , agatque ipſe humaniſſimè , hortans Pœnitentes ad lucrandas Indulgentias , per

quas

quas magna parte debiti exonerentur, & inculcans Confeſſariis, ne Pœnitentes cogant ad ingratas pœnitentias, quarum præcipuam partem docet eſſe ipſam confitendi verecundiam, & Pœnitentis emendationem.

Serm. 2. poſt Reminiſcere loquens de pœnitentia dicit, *non debet dari contra voluntatem, &* *ratio eſt, quia ille, qui dimittit, damnabitur*. Ideſt ille, qui poſtea non peragit pœnitentiam injunctam, damnabitur.

Serm. 2. Feriæ 5. poſt Oculi. *Nota quod triplex eſt gradus pœnitentiæ &c. Quædam ſunt ex lege Dei mandante, quædam ſunt per Eccleſiam ordinatæ, quædam ſunt per Confeſſorem impoſitæ. Pœnitentiæ ex lege Dei mandatæ ſunt, ut qui fecit furtum, reſtituat. Iſta pœnitentia non eſt arbitraria, ſed de lege Dei &c. Secundò quædam pœnitentiæ ſunt ab Eccleſia ordinatæ. Dicunt aliqui Juriſtæ, & etiam Theologi, quod pro quolibet peccato mortali debentur ſeptem anni de pœnitentia. Aliàs complebitur in Purgatorio, ſed per pœnitentiam, & Indulgentias reſecantur. Sed qualitas pœnitendi eſt arbitraria*. Et hæc eſt quam Confeſſarius imponit, quæ dicitur arbitraria, quatenus non eſt ea, quam canones pęnitentiales decernunt, ſed quam Confeſſarius decernit.

17 Serm. unico feriæ 5. poſt Letare, expendens, uti Chriſtus ſuſcitavit ſecretò puellam, at publicè juvenem filium viduæ, *Si quis in corde ſuo ſecretè eſt ſuperbus, præſumptuoſus, elatus &c. &*

*extra nihil oſtendit, tunc puella, ideſt anima ſecretè jacet mortua. Modus reſurgendi eſt ſecretè humiliari per contritionem, confeſſionem, & orationem. Idem de avaro, qui ſecretè fecit furtum, uſuram &c. ſufficit ſecreta pœnitentia, ſcilicet conteri, & confiteri, & reſtituere ſecretè. Idem de luxurioſo, qui ſecretè peccat, ſed ad extra nihil ſcitur, imò reputatur bonus &c. tali ſufficit ſecrera pœnitentia, conteri, confiteri, recedere à mala ſocietate. Idem de invidiâ &c. Sed quia Chriſtus invenit iſtum juvenem mortuum publicè, & notoriè, & ideò publicè coram omnibus ipſum ſuſcitavit. In quo oſtendit Chriſtus, quod peccatores publici, & notorii per publicam, & notoriam pœnitentiam ſunt ſuſcitandi de morte culpæ ad vitam gratiæ, quia talibus notoriè peccatoribus non ſufficit ſecreta pœnitentia &c. Non ſufficit ſuperbo vano, & pompoſo notorio, & publico, quod faciat ſecretam pœnitentiam, ſed notoriam, quod deponat ornamenta vana, cornua, & manicas, caudas, ut illi qui de hoc fuerunt ſcandalizati, benè ædificentur, dicentes, o Benedictus Deus &c. Idem de publicis raptoribus, de notoriis luxurioſis, & concubinariis, non ſufficit ſecretè confiteri, ſed publicè expellere malam ſocietatem de domo &c.* Nota, uti non compellit publicum peccatorem ad aliam publicam pœnitentiam, quàm ad publicam emendationem.

18 Serm. fer. 6. poſt Lætare, expendens ceremonias obſervatas à Chriſto in ſuſcitatione Laxari. *Quarta ceremonia, Chriſtus dixit, ſolvite eum &c. Quinta ceremonia, Sinite eum abire ſic, ſcilicet, ſi*

*Pœni-*

*Pœnitens non poteſt portare magnam pœnitentiam, date ei parvam, quia melius eſt cum parva pœnitentia remittere ad Purgatorium, quàm cum magna ad Infernum.*

Serm. 2. Dom. 9. poſt feſtum Trinit. *Confeſſor in Confeſſione ligat, & ſolvit. Solvunt enim quando abſolvunt peccatorem ligatum vinculis peccatorum. Ligant quando peccatori injungunt pœnitentiam. Et avviſent ſe Confeſſores, & videant, ne dent pœnitentiam peccatori contra ejus voluntatem, & non placentem.*

Serm. 6. Dom. 9. poſt feſtum Trinit. loquens pariter de Confeſſore, *debet dare parvam pœnitentiam, ut poſſint facere, aliter eſſet periculum, quod ſi daretur grandis pœnitentia, fortè non facerent eam.*

Serm. 3. Dom. 16. poſt feſtum Trin. *Aviſet ſe Confeſſor, ne det pœnitentiam ultra voluntatem peccatoris. Ratio, quia ſi dimitteret pœnitentiam, Confeſſor culpam incurreret.*

Serm. 1. Dom. 14. poſt feſtum Trin. *Aviſentur Confeſſores, ne dent pœnitentiam contra voluntatem peccatoris. Si illam* (quam libenter acceptant) *ſervant, liberantur ab Inferno, quando moriuntur, non tamen ſtatim evolant* (in Paradiſum) *quia non fecerunt condignam pœnitentiam, nec deſcendunt ad Infernum, quia pœnituerunt.* Quam diverſa ſunt hæc ab illis, quæ modò docent aliqui circa ſatiſfactiones?

18 *Cler.* Non diverſa ſolum, ſed contraria. Si-

quidem hi docent (ut didici ex tuo Francolino Vindicato cap. 2. ) jus divinum præcipere peccatori pœnitentiam culpis condignam, nec valere Confeſſionem, niſi ea peragatur, non debere Pœnitentem fidere Confeſſariis minorem imponentibus, & Confeſſarium debere aliam majorem imponere, nempè eam quam alter imponere debuiſſet, ac proindè novum judicium inſtituere culparum antiquarum, quas dicunt fuiſſe malè remiſſas, aliaque hujuſmodi plena terroris, ac triſtitiæ.

*Auct.* Quibus nil obtinent aliud, quàm ut illàqueentur Confeſſarii, & Pœnitentes meliores, timidioreſque, qui vix indigent pœnitentiâ, Peccatores verò, qui alliciendi eſſent, abſterreantur magis, & à Sacramentis, nempè à Medicis, & medicinis avocentur, nec unquam è culpis ſuis emergant. Is eſt hujus rigoris fructus, fructus verò benignitatis S. Vincentii fuit converſio populorum. Referunt enim, ejus prædicatione, laboribuſque pluſquam viginti quinque millia Judęorum, octo millia Saracœnorum ad fidem perducta, & pluſquam centum millia hominum perditorum in bonam frugem fuiſſe revocata. Addunt, octoginta hominum millia, nempè oppida, Urbeſque totas eum ab uno loco in alium migrantem ſecutas, ut ejus conciones audirent, ut apud illum, aut ejus ſocios diverſorum Ordinum Confeſſarios confiterentur peccata ſua, ut ab eo per viam ſalutis tutò ducerentur, innumeroſque publicâ ſui corporis flagellatione vias implere conſueviſſe: hinc ubique, aut fundata, aut confirmata

mata publicè ſe cædentium ſodalitia, aliaque hujuſmodi ad pœnitentiæ opera ſtabilienda feliciter inſtituta. Miraberis, Doctorem tam benignum tantum excitaſſe amorem pœnitentiæ. Sed hæc hominum indoles eſt, ut quod præceptis compulſi non facerent unquam, ſpontè faciant, & perficiant, ſi præſertim vehemens Orator, aut blanda charitate flagrans Confeſſarius, quâ hortando, quâ increpando, quâ obſecrando, nunquam cogendo, urgeat, impellat, inflammet, ut ſanctus vir faciebat, qui in eiſdem ſuis ſermonibus, ad pœnitentiam, eamque ſeveram jejuniorum, ciliciorum, & flagellationum hortatur ſpiritu vehementi, fortique, redarguit eos, qui Confeſſarios, aut imperitos, aut nimis benignos adibant (quorum etiam tunc ingens copia erat, & major quam modò) ut inutiles abſolutiones extorquerent. Demum hortabatur quidem ſemper ad ea, quæ ſumma erant, ac tutiſſima; vincula tamen, nec injici facilè ab aliis volebat, nec injiciebat ipſe. Hinc monet aliquando populum quædam non eſſe gravia peccata, imò nec peccata, ne ex conſcientia erronea peccarent.

19 Id facit pluribus in locis, quorum aliqua proferam ſerm.2. Dom.15.poſt feſtum Trinit. agens de pace danda inimicis. *Hìc errant aliqui Confeſſores, quando aliquis injuriatus confitetur, dicentes, quod illi, qui ſunt paſſi injuriam, debent remittere totum &c. hoc non eſt verum, verumtamen odium cordis debet remittere offenſus; ſed ſi vult poteſt proſequi civiliter, vel criminaliter cauſam ſuam juridicè,*

*dicè, ſed requiritur quod habeat propoſitum non nocendi inimico (etiamſi ipſum inveniret dormiendo) ſine ordine juris. Item debet oſtendi pax in ore, ſalutando, loquendo &c.*

Serm. 1. Dom. 11. poſt feſtum Trin. loquens de Oza mortuo ex tactu Arcæ Domini. *Judæi aſſignant rationem ejus mortis, quia illâ nocte dormierat cum uxore ſua. Licet vir cum uxore ſua poſſit dormire ſine peccato, imò etiam meritoriè, non tamen decet poſt talem actum communicare, vel ad communionem Euchariſtiæ accedere, ut habetur de conſecr. diſt. 11. Omnis homo ante ſacram Communionem à propria uxore abſtinere debet tribus, quatuor, quinque, aut ſex, aut ſeptem diebus.* Sed ſubdit id eſſe conſilium, non præceptum, affertque textum S. Gregorii id ſolùm vetantis, cùm maritus *utitur uxore ſolùm ex libidine.*

Sæpè invehitur in vanos mulierum ornatus; ne tamen quis inde ſumeret occaſionem errandi, putandique committi peccatum lethale, etiam cùm non committitur, ſerm. 2. Dom. 15. poſt feſtum Trinitatis, ſic docet agens *de mulieribus, quæ ornantur. Aliquæ peccant mortaliter, aliquæ ſolum venialiter. Venialiter peccant illæ, quæ ſolùm ut placeant viris, & ne deſpiciantur ab eis, ornant ſe aliquantulum. Sed illæ peccant mortaliter nonnunquam, quæ ornant ſe exceſſivè oſtendentes mammillas hominibus &c. Jam videtur, quod vultis eas vendere. Item ſi mulier in veſtitu facit exceſſum, ſed non contra Deum, & præceptum Dei, quia de ſuis reddi-*

*tibus,*

*tibus, vel patrimonio, vel de ſuo officio, veniale eſt. Sed quando de uſura, rapina, vel furto, vel de falſis advocatibus viri mulier vult habere veſtes, tales ad Infernum vadunt &c. Aliqui confitentur negligenter, quia in principio Quadrageſimæ eſſet confitendum, & ipſi expectant ultimam diem. Sed ex quo confitentur, non eſt mortale, ſed ſi non confiterentur, eſſet mortale &c.*

Hæc & alia ibidem S. Vincentius Ferrerius Orator ferventiſſimus idem & Doctor prudens, & cautus, quales fortè non ſunt aliqui nimis fervidi, qui ſic invehuntur in mores populi, ut non ſemel laqueum injiciant rudibus auditoribus, facilè putantibus eſſe lethale quidquid audiunt tam ardenter reprehendi.

## §. IV.

### *Doctrina S. Bernardini Senenſis.*

SAnctus Bernardinus Senenſis floruit circa annum 1430. multoſque ſermones Theologico-morales reliquit, qui quatuor tomis comprehenduntur, continentque permulta, quæ ſpectant ad Sacramentum Pœnitentiæ.

1 Ut autem incipiamus à contritione, ſeu dolore neceſſario in hoc Sacramento, notandum eſt, quod cum negat attritionem ſufficere, loquitur de ea, quę eſt dolor ſolum aliquorum peccatorum non omnium gravium commiſſorum; & rursùs ita contritionem exigit, ut expreſsè doceat, fructuosè ſuſcipi

hoc Sacramentum etiam ab eo, qui ſine illa ad Confeſſionem accedit, dummodò non ponat obicem gratiæ retinens alicujus peccati affectum, ſeu voluntatem, idque tandem exigit ſolum, ut pœnitens deteſtetur omnia peccata ex aliquo ſupernaturali motivo, ut conſtabit ex locis, quæ allegabo.

2 Tom.1. ſerm.12. art.1. cap.4. *Sed magis propriè conſideremus harum differentiam. Et primo videamus de Attritione. Attritione autem cor peccatoris ſolum in aliquas partes frangitur . . . Sic cor hominis in partes frangitur, quando ſolùm de magnis peccatis dolet, ſicut de homicidio, proditione, incendiis, perjuriis, blaſphemiis, ſodomiis &c. de parvis autem culpis licet mortalibus non multum curat, neque de eis dolet, ſicut quod non celebraverit feſta, de menſuris, & ponderibus falſis &c. Cùm autem non ſolum Attritione, ſed veraci contritione cor peccatoris contritum fuerit, dolebit, & veraciter conteretur de omnibus peccatis. Tunc autem cor peccatoris eſt quaſi pulverizzatum.*

Similia habet tom.4.ſerm.35.*Attritio eſt quando peccatori diſplicet malum groſſo modo. Contritio verò eſt quando peccatori diſplicet malum minutum.* Et infra. *Oportet cor noſtrum teri & ſubtilizzari, ideſt de omnibus peccatis dolere tam parvis, ſicut de magnis &c. Contra aliquos dolentes de aliquibus peccatis magnis, & ſquadernatis, & non de parvis &c. & tunc eſt attritio ſed non contritio.*

3 In eodem ſerm. *Si vis cognoſcere*, inquit, *quod tu es bene confeſſus conſidera, ſi te pœnitet de omni*

*omni peccato commiſſo tam verbo, quam opere*. De motivis verò pœnitentiæ, non fuit ſollicitus, dummodo ſupernaturalia eſſent, hinc ubi vult excitare peccatorem ad contritionem, nunc proponit gehennam, quam peccando incurrit, nunc felicitatem æternam, quam amittit, nunc ipſum Deum, ſed potiùs ut benefactorem, & ut bonum nobis, quam ſibi, adeoque non ut motivum charitatis, quam ipſam non accipit ita ſtrictè, ut ſolet accipi à Theologis, dicitque ſermone illo 12. quem initio citavi, in eo ſitam eſſe, qood pro nullo commodo, vel incommodo Deum offendere velimus, qui actus poteſt haberi abſque dubio ex motivis aut gratitudinis, aut religionis, aut juſtitiæ, aut ſpei, aut etiam metus gehennæ. Nec facit, quod in hoc ſermone dicat, eum qui principaliter dolet propter timorem Inferni non eſſe in ſtatu ſalutis: nam poteſt quis principaliter dolere propter metum Inferni duplici modo. Primus eſt, ſi metuat & horreat Infernum ut malum principale & majus ipſo peccato, ut faciunt illi, qui retinent voluntatem peccandi ſi non eſſet gehenna, vel qui nihil aut parùm cogitant, & dolent de peccatis commiſſis, ſed ſolùm metuunt Infernum, vel nihil cogitant de vita emendanda, ut ſupra diximus evenire ut plurimùm, cùm quis diſtulit in mortem pœnitentiam, & moriturus id malum timet quod videt imminere ſibi de proximo. Qui dolet & timet hoc modo certè non eſt in ſtatu ſalutis. Alter modus eſt cum quis principalius & magis movetur metu gehennæ, utpotè mali ſenſibilis,

bilis, quod magis apprehendit, quamvis non pluris æſtimet, quàm peccatum quod verè odit, & is modus culpâ vacat, ut patet. De eo qui dolet primo modò loquitur Bernardinus, non de eo qui dolet ſecundo modo, quamvis & is dici poſſit non eſſe in ſtatu ſalutis, quatenus is dolor ac timor non ſufficit ad ſalutem: imò nec ſufficit cum Sacramento: ſi non ſit conjunctus cum ſpe veniæ, & propoſito efficaci.

Tom. 3. ſerm. de triplici ſtatu animæ art. 3. cap. 2. agens de firmitate propoſiti, *Ne in peccata ruamus, debemus Deum tripliciter providere. 1. ut inſpectorem. 2. ut judicem. 3. ut remuneratorem.* Id putavit ſufficere non ſolum ad concipiendum verum propoſitum efficax affectivè, ſed etiam ad permanendum in eo, habendumque propoſitum efficax re ipſa, & effectu, nec putavit eſſe ſemper opus charitate, aut motivo charitatis, ſine qua tamen negant Adverſarii poſſe concipi verum propoſitum..

Tom. 4. ſerm. 20. part. 1. verſus finem recitat ipſe actum contritionis, & quidem ſufficientis, & juſtificantis, eſt autem is. *Heu miſer quid feci, perdidi Paradiſum, & me poſui in Inferno. Feci tot peccata in conſpectu Dei. Domine revertere ad me, & ego accipiam te,* ſubditque. *Tunc Deus miſerator, & juſtus infundet gratiam ſuam, & recipies de triſtitia tua magnum gaudium.* Hìc autem non videtur relucere motivum charitatis. Feciſſe enim tot peccata eaque in conſpectu Dei, auget malitiam & dolorem, ſed non excitat ad charitatem, niſi aliud adda-

addatur, quod hìc nec additur, nec innuitur.

4 Tom. 1. ſerm. 15. de vera confeſſione art. 2. cap. 2. hortatur Fideles, ut initio Quadrageſimæ confiteantur, & non differant in finem, affertque hanc rationem, *Plus enim valet unum jejunium in gratia, quam centum in culpa*. Subditque, *Si autem objicias, hoc poſſe fieri per contritionem, reſpondemus, quod hoc ſecurius fit per Confeſſionem, in qua fit homo quandoque de Attrito Contritus*. Et hoc docet alibi evenire triplici modò, 1. per ipſam humiliationem confeſſionis, qua movetur Deus ad conferendam gratiam qua Pœnitens excitetur ad actum contritionis, 2. per exhortationem Confeſſarii, qua excitatur & juvatur Pœnitens ad concipiendam veram deteſtationem & propoſitum, aut verum actum charitatis, 3. per ipſam abſolutionem, qua confertur gratia, ut conferretur ſi haberet contritionem. Id conſtabit ex his quæ afferam.

5 Tom. 2. ſerm. 27. de Sacra Confeſſione art. 3. cap. 3. *Confeſſio ſecundum quod in voto Pœnitentis præceſſit à culpa liberavit, poſtea verò in actu confeſſionis, & abſolutionis gratia augetur, & etiam peccata remittuntur, ſi præcedens dolor ad contritionem ſufficiens non fuiſſet, & ipſe tunc obicem gratiæ non præberet*, ut evenit in Baptiſmo adulti, cui hìc comparat Author Sacramentum Pœnitentiæ, & concludit, *& ideò ſicut de Baptiſmo dicitur, quod liberat à morte, ita etiam de confeſſione dici poteſt*. Hìc deſcribitur ultimus modus, quo pœnitens habens dolorem imperfectum qui ſolum ſufficit ad re-

mo-

movendum obicem, nempè ad excludendum per verum propoſitum voluntatem peccandi, virtute Sacramenti recipit gratiam, ut reciperet per contritionem, & ideò fit virtualiter, ſeu æquivalenter contritus: ille enim dolor imperfectus cum Sacramento æquivalet contritioni.

6 Et paulò poſt, *Hujus autem reſurrectionis à culpa per Confeſſionem ſæpiùs ſignum patet, cùm videmus peccantes quaſi mortuos ad Confeſſionem venire, nihil ſentientes vulnera ſcelerum ſuorum, ſed dum confitentur, conceditur eit dolor, qui utique vitæ gratiæ atteſtatur.* Hic deſcribitur primus modus, quo pœnitens fit ex attrito contritus, & quidem magis propriè, Deo largiente in ipſa confeſſione veram contritiooem veramque deteſtationem omnium peccatorum ei qui acceſſerat ad confeſſionem cum ſola attritione, & quidem cum ea aliquando quæ eſt valde imperfecta, & eſt dolor inefficax, aut non de omnibus peccatis commiſſis. Idipſum docet ex Halenſi paulò poſt in eodem art. cap.9. *Secundum Alexandrum de Hales* (inquit) *quadoque accidit, quod homo accedit ad confeſſionem non ſufficienter contritus, & tamen per confeſſionis humilitatem miſericorditer infundit Deus ei gratiam plenæ contritionis.*

7 In Quadrageſimali (quod eſt in fine tomi 3.) feria 3. poſt Dominicam 3. Quadrag. ſerm. 21. part. 2. hortatur ad non differendam confeſſionem, & inter alias confeſſionis utilitates hanc affert alloquens Pęnitentem. *Licet non habeas veram contritionem tamen*

*men non ſtes quin confitearis, quia ſi confitearis, confeſſio diſponit te, licet non habeas veram contritionem, & ille actus humilitatis confeſſionis, & exhortatio boni Confeſſoris inducent te ad veram contritionem, & ideò confitere & ſubitò.* Et paulò poſt. *Secundum dubium movet Albertus Magnus. Quidam luxurioſus confitetur cauſa obediendi, & non cauſa deſerendi luxuriam ſuam, & emendandi ſe. Quæritur, utrum proſit ſibi?* Et reſpondet ſimiliter prodeſſe, videlicet nõ ſolùm ad obediendum (quamvis non plenè) Eccleſiæ, ſed etiam *quia Confeſſor poterit facere quod emendaberis, & ex alia parte Deus dabit tibi gratiam.* Quo utroque textu deſcribit ſecundum modum, quo Pœnitens fit in confeſſione ex attrito contritus, nimirum operâ & ſtudio fervidi Confeſſarii.

8 Hic autem notanda ſunt illa verba Sancti Patris, *ille actus humilitatis confeſſionis, & exhortatio boni Confeſſoris inducent te ad veram contritionem*, non enim dixit *fortè inducent te*, vel *aliquando, licet rarò, accidit, ut Confeſſor inducat ad contritionem*, ſed dixit, *inducet*, quia videlicet id ſolet contingere, ut Confeſſarii aptè exhortantis verba, & humilitas confeſſionis inducant confitentem ad veram pœnitentiam & contritionem, & quidem etiam eum qui accedit ita indiſpoſitus, ut velit permanere in peccato, & nolit deſerere ſaltem omnia peccata, de hoc enim loquitur S. Bernardinus nempè de habente ſolam attritionem ſupra deſcriptam, & expreſſiùs B. Albertus Magnus; nam loquitur de luxu-

luxurioſo qui non accedit cum propoſito deſerendi luxuriam, quem tamen à Confeſſario converti & emendari poſſe dicit, non longis dilationibus, & probationibus, de quibus nulla unquam mentio fit, ſed adhortatione, ut implicitè dicit Albertus, & explicitè Bernardinus.

Circa reliquas Sacramenti partes ea docet, quibus noſtra doctrina confirmatur.

9 Tom. 1. ſerm. 15. *De vera Confeſſione* art. 1. hæc habet. *Cum ad confeſſionem tota vis pœnitentiæ Sacramenti reducatur, valde neceſſarium eſt, ut cum tota mentis prȩparatione conſcientia diſcutiatur*. Similiter ſerm. 19. art. 2. cap. 1. dicit, *partem principalem & formalem Sacramenti eſſe confeſſionem ordinatam ad abſolutionem*. At in Schola rigidiori non tanti fit confeſſio, & longè pluris fit ſatisfactio. Hinc de confeſſione vix agitur in ea, de pœnitentiis verò injungendis, & renovanda Canonum diſciplinâ fuſiſſimè.

10 Serm. 19. ejuſdem tom. 1. art. 1. cap. 2. monet non eſſe abſolvendos, *qui non renunciant partialitatibus univerſis, maximè Gebellinæ, & Guelfæ*. Et tom. 2. ſerm. 27. monet non eſſe abſolvendum eum, *qui non proponit abſtinere à mortali culpa*. In neutro autem loco nec alibi, quamvis ſæpiſſimè de adminiſtratione hujus Sacramenti agat, quidquam dicit de differenda abſolutione relapſis, aut habentibus habitus pravos, aut non probatis diutinâ pœnitentiâ.

Tom. 2. ſerm. 27. de Sacr. Confeſs. art. 2. cap. 2.

quæ-

quærit in quibus caſibus confeſſio iteranda ſit. Et allatis illis quatuor,quos ſupra cum aliis Doctoribus affert Aſteſanus, profert quintum allatum ab aliquibus, ſi videlicet *pœnitens pœnitentiam injunctam non explevit in charitate*, quia antequam compleret, cecidit in mortale, quem caſum ipſe cum reliquis omnibus Doctoribus non admittit, docetque, non teneri hos iterum confiteri, eaſque rationes affert, quæ confirmant noſtram doctrinam. Illas nempè petit ex eo 1. quod is in præterita confeſſione verè fuit abſolutus,& gratiam recepit, 2. quòd pœnitentiæ injunctæ non ſunt de eſſentia Sacramenti, neque ſunt de jure Divino, unde Eccleſia illas relaxat, 3. quòd arbitrariæ ſunt, nec ita taxatæ, ut minui non poſſint, 4. quod non ſunt hujuſmodi, ut ſine illis Deus non indulgeat, 5. quòd *Eccleſia non dicit, quod Pœnitens non eſt abſolutus, niſi pœnitentiam in gratia impleat*. Id enim ſi verum eſſet, deberet Eccleſia docere, ne Fideles contraria perſuaſione decepti damnentur. Quàm bene concordant iſta cum iis, quæ circa ſatisfactionem docemus, quàm diſcordant ab iis, quæ docent Adverſarii? Quod verò dicit ultimo loco de Eccleſia non docente, confeſſionem non valere, cùm non impletur in gratia tota pœnitentia, unde colligit eam valere, valde confirmat argumentum quod ſupra propoſui oſtenditque optimam eſſe eam noſtram collectionem, *Eccleſia non docet non valere confeſſionem factam cum ſola attritione concepta ex metu gehennæ. Ergo valet*.

11 Art. 3. ejuſdem ſerm. cap. 2. enumerat hujus fori *ſuavitates*, ut ipſe dicit. Secundam autem vocat *ſuavitatem credulitatis, quia in hac curia Dei creditur factum ſuum narranti, nec ibi adducitur qui ſuppleat defectum ſuum, nec teſtis, qui probet contrarium*. Tertiam vocat *ſuavitatem libertatis, quia in hoc judicio non feruntur ſententiæ, niſi abſolutionis, licet homo fuerit ſceleratiſſimus peccator*. Cap. 10. ejuſdem art. 3. inter fructus confeſſionis recenſet ſatisfactionem. *Secundus eſt* (inquit) *pro peccatis ſatisfactio. Fit autem hìc ſatisfactio in confeſſione ſecundum Alexand. de Ales maximè propter duo. Primò propter authoritatem Clavium &c. Poteſt enim Sacerdos aliquid pœnæ debitæ relaxare, licet non omnem pœnam. Secundò propter verecundiam peccatoris. Verecundia enim eſt magna pars ſatisfactionis; cùm ſit quaſi pallium pretioſum operiens peccatum. Unde pſal. Confuſio adducens gloriam & gratiam. Unde Aug. lib. de pœn. Qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis. Erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis. Ex miſericordia enim hoc præcepit Dominus, ut nemo pœniteret in occulto. In hoc enim quod per ſe ipſum dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit, timore Domini offenſi, fit venia criminis. Fit enim veniale per confeſſionem quod criminale erat per operationem. Hæc Aug. & idem alibi ait. Multum ſatisfactionis attulit, qui erubeſcentiæ dominans nihil eorum quæ commiſit, nuncio Dei denegavit.* Neſcio an præcipuam hanc ſatisfactionis partem quam Pœnitens confitendo exhibet, magni faciant

illi,

illi, qui toti ſunt in injungendis aliis multis ſatisfactionibus; perinde ac ſi Pœnitens nihil juſtitiæ Divinæ pendat, confitendo. Quamvis autem alibi invehatur in Confeſſarios qui nimis leves pœnitentias injungunt, & in Pœnitentes qui hujuſmodi Confeſſarios quærunt, docet tamen pluribus in locis Confeſſarium debere eſſe diſcretum, innuitque non ſemel, præcipuam partem pœnitentiæ quæ magnis peccatoribus injungebatur, fuiſſe illam reſtituendi aliena, tollendi occaſiones, & emendandi ſuam vitam ( vide tom. 2. ſerm. 39. ubi agit de ſatisfactione quam D. Maria Magdalena exhibuit. ) Et quamvis lucrantibus Indulgentias non relaxaretur tota pœnitentia, ſaltem pars remittebatur, & ideo injungebatur illis inter cætera, ut quærerent indulgentias. Id patet ex ſerm. 27. *de confeſſione peccatorum* tom. 3. In ſexta enim præparatione hæc habet. *Debet ergo Confeſſio eſſe ſatisfactoria, quia quidquid imponit diſcretus Confeſſor loco Domini, debet pœnitens fideliter ſe diſponere adimplere &c. Si enim infirmus conſilio medici multis diebus à vino abſtinet &c. quantò magis debet abſtinere pro ſalute animæ ſuæ, à procacitate quieſcere, aliena reſtituere, indulgentias quærere, & omnes labores, & pœnitentias ſibi impoſitas adimplere.*

Tom. 4. ſerm. 21. de Amore Aviſativo part. 2. iterum quærit, *utrum confeſſus ſemel teneatur iterum confiteri*, & allatis quatuor cauſis alibi recenſitis, ex quibus oritur obligatio iterum confitendi, non ſolùm nihil dicit de iteranda confeſſione pecca-

torum in quæ quis eſt relapſus, & ſine præviis longi temporis probationibus eſt abſolutus, ſed hæc habet, *Si confeſſus fuiſti de aliquo peccato, in quod iterum cecidiſti, non oportet dicere omnia alia, de quibus fuiſti confeſſus, ſed illud tantùm, in quod iterum recidiſti.*

## §. V.

### *Doctrina S. Joannis de Capiſtrano.*

HÆC S. Bernardinus, à quo nihil proſùs diſſentit S. Joannes de Capiſtrano ejus fidiſſimus Socius, totoque Orbe celeberrimus, non ſanctitate ſolùm, & miraculis, ſed etiam doctrinâ, præſertim canonicâ, ut conſtat ex ejus tractatibus dudum vulgatis, & ex longè pluribus vulgandis, prælo paratis ab Reverendiſſimo Patre Joanne Antonio de Panormo Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia Excommiſſario Generali totique Urbi ex probitate, & ſuavitate morum, ac doctrina notiſſimo, qui hujus Sancti Patris tractatum de Pœnitentia mſ. legendum mihi præbuit humaniſſimè, ex quo hæc excerpſi.

1 Diſp. 1. quæſt. 1. art. 3. agens de iis, quæ provocant ad contritionem dicit, *Sciendum eſt, quod ſeptem nos provocant. Primò cogitatio pro peccatis commiſſis. Secundò confuſio vituperii de evitandis. Tertiò vilipenſio de non perpetrandis. Quartò timor de malis formidandis. Quintò dolor de bonis amiſſis. Sextò vigor de bonis ſperandis. Septimò honor*

*de*

*de recuperandis*. De recuperandis videlicet meritis per peccatum mortale mortificatis. Inter hæc autem nullum motivum eſt contritionis benevolæ ſeu profluentis ex vera charitate. Dum ergo contritionem & charitatem exigit in confitente, hæc nomina minùs ſtrictè uſurpat pro dolore & propoſito concepto ex amore recuperandi merita præterita, gratiam Dei & felicitatem æternam, hinc diſp. 10. quæſt. 1. art. 2. affert & approbat eam doctrinam D. Thomæ, nempè *quod ſi ante abſolutionem Sacerdotis aliquis non fuiſſet perfectè diſpoſitus ad gratiam ſuſcipiendam, in ipſa confeſſione, & abſolutione ſacramentali gratiam conſequeretur, ſi obicem non opponeret*, & id quod ſimiliter docet Richardus, quem pariter allegat nempè, *Sacerdos miniſterialiter, diſpoſitivè, & inſtrumentaliter dimittit peccatum illi qui per attritionem removit obſtaculum gratiæ Spiritus Sancti*. Nomine autem attritionis nec à Richardo, nec ab ullo antiquo Doctore ſignificari conſueviſſe dolorem ex charitate conceptum, alibi oſtendi, & latiùs oſtendam.

2 Circa confeſſionem diſp. 4. quæſt. 5. art. 1. num. 8. hæc habet. *Alii dicunt, quod recidivans tenetur iterare confeſſionem, quod tamen non eſt neceſſe, niſi per indirectum, ut ſciatur debitus ſatisfactionis modus, ut ſi frequenter lapſus carnis paſſus eſt ex aliqua occaſione, ad hoc ut illa præcidatur, notificanda eſt Sacerdoti Confeſſori, & ſic ſufficit in genere notificare peccata dimiſſa, niſi opportunum aliquando videatur Confeſſori ad aliqua particularia deſcende-*

 *re*,

*re, ut ſciatur conſuetudo, ingratitudo &c.*

Eadem diſp. 4. quæſt. 7. de acceleratione confeſſionis fusè docet, peccatorem non teneri ſtatim confiteri, licet habeat copiam Confeſſoris, dummodo interea conteratur; imò *poſſe expectare tempus Quadrageſimæ*, & ſolum conſilium ei dat, ut *quantò citius poterit, confiteatur*, additque aliquando teneri, *quando mora trahit ad ſe periculum*.

Diſp. 5. art. 2. num. 5. dicit, ſe mirari magis *humillimam confeſſionem peccatorum, quam ſublimia geſta juſtorum, caſtitatis continentiam, integritatem juſtitiæ, viſcera pietatis*. Reddit rationem. *Valde difficilè eſt, ut peccatorem ſe eſſe quiſque fateatur, cùm nihil ex peccato patitur*. Quæ communis apud antiquos Scriptores perſuaſio efficiebat, ut parùm ſeveri eſſent in injungendis pœnitentiis, ut hunc Sanctum Patrem fuiſſe colliges ex ſequentibus.

Diſp. 8. quæſt. 2. de impoſitione pœnitentiæ art. 2. poſtquam fecit mentionem Canonum pœnitentialium & Gloſſæ cap. *De iis Clericis*, dicentis, *quod Sacerdos circa Canones pœnitentiales habet plenam poteſtatem*, ſubdit. *Quarta* concluſio eſt. *Hodie pœnitentia ſacramentalis reſidet in arbitrio Sacerdotis, qui diſcretè moderari debet juxta quantitatem exceſſus, contritionem Pœnitentis, qualitatem perſonæ, & alias circumſtantias peccatoris, & peccati*. Nec illi venit in mentem cogitatio reſtituendi Canones pœnitentiales; imò ſtatuit hanc ſextam concluſionem. *Pœnitentia debet cautè imponi, citiùs parva, quam magna*, additque. *Ad Confirma-*

*firmationem hujus Concluſionis dicit Chryſoſthomus & Hoſtienſis, quod Confeſſor nullatenus debet peccatorem deſperatum relinquere, & à ſe recedere ſine pœnitentia, etiamſi debuerit ſibi imponere unum Pater Noſter, vel Ave Maria.* Cum autem dabant pœnitentiam, abſolvebant, ut alibi monui. Affert etiam ea verba Chryſoſthomi dicentis *melius eſſe errare per miſericordiam &c.* Et art. 7. ejuſdem quæſt. 2. affert & approbat ea verba S. Thomæ in 4. diſt.20. pleniſſima benignitatis, *Confeſſor non peccat, ſi minorem pœnitentiam injungat; tum quia non poteſt determinatè quantitatem pœnæ cognoſcere; tum quia quantumvis ex induſtria minorem pœnam injungens plus prodeſt pœnitenti, qui fortè magnitudine pœnæ poſſet perpetuò à pœnitentia peragenda ſegniùs reſilire &c.* cum reliquis quæ ibi habet S. Doctor & ego ſupra allegavi, cùm de hoc S. Doctore agerem.

Art.8. ejuſdem quæſt. 2. *Tres ſunt ſpecies pœnitentiæ, videlicet prima ſolemnis, ſecunda publica, tertia privata. Solemnis illa eſt, quæ imponitur alicui invito* (non igitur imponebatur in foro arcano voluntariæ pœnitentiæ) *in cap. Quadrag. &c. Et hæc pœna non debet imponi niſi pro gravi crimine publico, & vulgatiſſimo, quod univerſum & totam commovet Urbem &c. Et quia hæc hodiè non eſt, non curo protelare materiam.* At, ſi tunc non erat, cur non conatus eſt vir tantæ pœnitentiæ & diſciplinæ eam reſtituere? cur non declamavit in eos qui eam ſuſtulerant? cur non deflevit ſui temporis, vel præteriti, quo ea pœnitentia fieri deſierat, infelici-

 tatem?

tatem? Nimirum noverat optimè vir eruditiſſimus, qui veteris illius diſciplinæ fructus fuiſſent, qui præſentis eſſent, nec hos amittendos, eorum deſiderio. Agens poſtea de pœnitentia privata & ſecreta, ſeu auriculari dicit. *Hæc poteſt fieri omni die. Patet per reſponſionem Chriſti factam Petro interroganti, quoties dimitteret peccanti, ſi uſque ſepties, dicit ei Jeſus, non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties, quaſi dicat, quoties paratus ſum dimittere omni die, quoties peccator paratus fuerit ad pœnitentiam.*

At abſolutiones tam frequentes improbant Adverſarii noſtri, qui dicunt, ea verba Chriſti Domini indicere tantum remiſſionem injuriarum, quæ nobis fiunt ab inimicis noſtris, non autem abſolutionem culparum in foro pœnitentiæ. An putas, ab ipſis meliùs intelligi Scripturas, quam à viro Sancto, & illuminatiſſimo Joanne de Capiſtrano? Sed de hujus Sancti viri doctrina ſatis pro noſtro inſtituto. Nunc docendus es, quas inſtructiones tradat S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, qui fuit paulò junior Capiſtrano.

## §. VI.

### *Doctrina Sancti Antonini.*

1 PRænotandum eſt, hunc S. Doctorem nomine *contritionis* ſemper ſignificare actum qui promanat ex charitate, unde in ſumma Sacræ Theologiæ part. 3. tit. 14. cap. 18. §. 4. quærens an contritio

tio poſſit eſſe nimia, reſpondet negativè, ſumptâ contritione non pro dolore ſenſibili, ſed pro dolore rationis. Et reddit hanc rationem ex D. Thoma, *quia charitas, unde procedit, non poteſt eſſe nimia*. Simili modo loquitur in aliis locis, nec diſtinguit unquam charitatem remiſſam ab intenſa, & perfecta, ſignificans præcisè nomine charitatis actum quo diligitur Deus propter ipſum & ſuper omnia; unde ibidem paulò poſt ſubdit. *Debet etiam contritus magis velle pati quantamcunque pœnam, quam peccare mortaliter ſecundum Th. in quodl.* 1. *quæſt.* 5. *art.* 5. *Et ratio eſt quia contritio non poteſt eſſe ſine charitate. Charitas autem dictat, ut homo magis diligat Deum*, nempè magis, quàm reliqua omnia.

2 Loquens autem de hoc dolore, ſeu contritione ſic acceptâ, prout manat ex charitate, & eſt deteſtatio peccati, prout eſt offenſa bonitatis Divinæ, ſemper dicit, ab ea expelli peccatum, ipſam ſufficere etiam extra Sacramentum, & eſſe immediatam diſpoſitionem ad gratiam. Unde in dicto cap. 18. initio dicit, quod ad veram contritionem concurrunt iſta quatuor, *nempè infuſio gratiæ, motus liberi arbitrii in Deum, dilectio ſuper omnia, & remiſſio culpæ*. Ubi vides, fieri mentionem ſolius dilectionis Dei ſuper omnia, non autem dilectionis intenſæ.

§. 4. Ejuſdem capitis loquens pariter de contritione, *qui dolor de peccatis* (inquit) *in quantum ſunt offenſa Dei eſt diſpoſitio immediata ad juſtificationem*. Atqui etiam dolor, qui concipitur ex charita-

ritate remiſſa,eſt dolor de peccatis prout ſunt offenſa Dei, ſeu bonitatis Divinæ dilectæ ſuper omnia. Ergo ex S. Antonino etiam is dolor eſt immediata diſpoſitio ad juſtificationem. Et paulò ante nempè §. 3. loquens pariter de contritione accepta, ut ſemper facit pro ſola deteſtatione peccati, ut offendentis bonitatem Divinam, dicit, eſt *ſufficiens ad delendam culpam cum Dei gratia*, quod repetit in Summula Confeſſionali, ubi part. 2. §.5. diſtinguens dolorem rationis neceſſariò requiſitum in contritione, à dolore ſenſibili non requiſito, ſic habet. *Primus dolor* (nempè rationis) *requiritur de neceſſitate ad remiſſionem peccatorum, & ille etiam ſolus eſt ſufficiens*: & part. 3. §. 6. exponens varios modos, quibus Sacerdos abſolvit, vel ligat, ſemper ſupponit, pœnitentem per contritionem (ſi illam habeat) abſolvi, & quidem antequam abſolvatur à Sacerdote. *Nota tandem ſecundum Raym. quod Sacerdos dicitur ſolvere, vel ligare tripliciter uno modo per oſtenſionem &c. Licet enim ſit peccator per contritionem à Deo abſolutus, tamen in facie Eccleſiæ adhuc manet ligatus &c. Tamen fit ſecundum Petr. abſolutio à peccatis realiter per miniſterium Sacerdotis, non quidem principaliter, & auctoritativè, quia hoc eſt proprium Dei, nec ſolùm oſtenſivè, quia & hoc faciebant Sacramenta veteris legis, nec ſolùm deprecativè, quia ſic magis abſolveret bonus laicus, quàm malus clericus, nec ſolùm per contritionem confitentis, quia tunc nunquam quis efficeretur ibi de attrito contritus. Sed operatur inſtrumentaliter abſolutio ad remiſſionem*

*diſpo-*

*diſponendo ad gratiam , & niſi ponatur obſtaculum , ſit de attrito contritus , & jam contritio adauget gratiam . Hæc Petrus de Pal. cui concordat Th. in* 4. *d.*18. *q.*3. *a.*3. *ad* 1. Addit poſtea alia multa ſemper ſupponens, per prædictam contritionem ex quacunque charitate manantem remitti peccatori culpas ante abſolutionem Sacerdotis.

Ex quibus duo patent . Primum, nomine attritionis nunquam ſignificari ab eo dolorem, qui manat ex charitate etiam remiſſa, ut neque ab ullo alio Doctore ante Bajum ſignificatus fuit, juxta ea, quæ infra dicam. Alterum eſt, ita requiri ab S. Antonino contritionem in hoc Sacramento, ut tamen non putarit,eam eſſe omninò neceſſariam; nam dicit ſufficere etiam attritionem, nempè dolorem non manantem ex charitate, imò etiam inferioris notæ, ut audies.

3 In prædicta Summula part. 2. §. 5. agens de contritione, & attritione. *Dicit Ricard. in* 4. *d.*17. *quod ſi confitens in peccato mortali eſt attritus de ſuo peccato, ut PROBABILITER POSSIT PRÆSUMERE SE ESSE DISPOSITUM non peccat abſolutionem recipiendo, imò frequenter virtute clavium per ſuſceptionem abſolutionis, formatur ſua attritio, & fit contritio .*

4 In eadem Summula, eodemque §. 5. quærit, *an valeat confeſſio ab incontrito facta*, & reſpondet eo prorsùs modo quo reſpondet in prædicta Summa Theologiæ tit. 14. cap. 19. quod eſt de conditionibus bonæ Confeſſionis, ubi §. 5. expendens eam con-

conditionem, quod ſit *lacrymabilis*, ſic habet, *Quærunt Doctores, utrum Confeſſio facta ab eo, qui non eſt contritus, quia ſcilicet non dolet ſufficienter, vel non proponit abſtinere à peccatis, valeat ita quod non teneatur eam iterare &c.* & relatâ ſententiâ Paludani dicentis, hanc Confeſſionem non valere, & aliâ ſententiâ dicentium valere, ſubdit, *Eſt & tertius modus dicendi declarans, & concordans ambos. Aut enim talis non habet intentionem confitendi ſacramentaliter, & abſolvendi, ſed deridendi, aut habet intentionem confitendi. In primo caſu non liberatur à præcepto Divino de Confeſſione, quia ſine intentione non poteſt ſuſcipi eſſentia Sacramenti, quæ conſiſtit in uſu, unde tenetur iterum confiteri. Si autem intendit, tunc diſtinguendum, quia aut intendit implere præceptum, & ſuſcipere verum Sacramentum, quod Eccleſia confert, aut nullam habet de peccato ſuo pœnitentiam, aut aliquam. Si nullam, tunc pœnitentiæ Sacramentum non ſuſcipit, quia pars eſſentialis Sacramenti hujus, quod conſiſtit in actu ſuſcipientis, eſt actus interior, unde ſine eo non eſt, ſicut non eſſet verum matrimonium &c. ſed ſi aliquam pœnitentiam habet de peccatis ſuis, tunc iterum diſtinguendum, quia, aut talem habet pœnitentiam, quæ ſufficit cum Sacramento, putà attritus accedit ad Confeſſionem, ex quo ibi fit contritus, unde fugatur fictio, & ſic non habet dubium, quia & Sacramentum ſuſcipit, & effectum ejus, ſcilicet remiſſionem peccatorum, unde non tenetur iterare. Et ſimiliter, imò & fortiùs ſi accedit contritus. Si verò habet talem pœniten-*

*nitentiam, quæ non ſufficit cum Sacramento ad gratiam, quia nec etiam attritus accedit, tunc eſt vera opinio Thomæ, ſcilicet quod fictione recedente incipit valere Confeſſio, & non tenetur confiteri, niſi fictionem ſuam..*

*Cler.* Hæc doctrina profectò non eſt hominis exigentis in hoc Sacramento dolorem ex charitate manantem, ſed ( ut videtur ) nec exigentis attritionem noſtram, verumque propoſitum.

*Auct.* Id modò non quæro, ſed hæc verba allegavi, ut ſaltem hoc, ut certum, & prorsùs indubitatum, inferatur, ab eo non exigi dolorem ex charitate conceptum. Quare, cùm idem cap. 19. §. 15. expendens eam confeſſionis conditionem, quod ſit *libens*, dicit, *non valeret ad remiſſionem culpæ quòd quis confiteretur principaliter timore pœnæ infernalis, oportet enim ut ait Aug. non ſolum timere Deum judicem, ſed etiam anxiari pro gloria*, loquitur de eo timore inordinato, quo quis ita timet gehennam, ut ſi ea non eſſet, peccare vellet, nec curaret de gloria, ac beatitudine ſupernaturali Paradiſi, vel timet gehennam, ut malum principale, & maximum, nimil amans aliud, quàm eo carere, qualis eſt plerumque timor, & amor eorum, qui poſt vitam peſſimè traductam confitentur in fine vitæ, unde ſubdit, *Et propter hoc à Doctore* Auguſtino *ponitur dubia pœnitentia in extremis*, quod ſupra etiam notavi.

5 Eſt etiam notandum circa contritionem id quod docet capite præcedenti, nempè 18. §. 2. referens opinionem dicentium, quod *quoties* peccator

*reco-*

*recolit de mortali, tenetur dolere, & conteri*, nempè, vel id eſſe verum ſolùm, cum peccator recolit *practicè* de mortali, *non* ſpeculativè, vel *eſſe verum de debito congruitatis*, *non neceſſitatis*, ac proindè peccatorem *teneri* ita conteri, quatenus *congruum* eſt, ut ſic doleat, quo eodem ſenſu loqui Doctores dicendi ſunt, dum docent debere eum, qui pœnitet dolere propter Deum, ſeu ex amore Dei, debere contritum accedere ad Confeſſionem, videlicet debere debito congruitatis, non neceſſitatis, cùm iidem doceant, ſufficere etiam dolorem, qui non eſt contritio, ſed attritio, quo nomine non ſolum non ſignificarunt dolorem, qui eſſet ex vera charitate, ſed non pauci ex ipſis ſignificarunt dolorem valdè imperfectum, eoque imperfectiorem, quem nos modò nomine Attritionis ſignificamus.

6 Nunc videndum quid idem S. Antiſtes doceat circa reliquas hujus Sacramenti partes.

§.5. In fine loquens de Pęnitēte, qui non putat aliquid eſſe mortale quod tale eſt judicio confeſſarii, ſic docet. *De confitente autem, qui non confitetur aliquod mortale, quod novit de eo confeſſor, ex eo quod non reputat illud peccatum, dicit Goff. in quodl.* 9. *quod ſi eſt certum illud eſſe mortale, tunc quicunque Confeſſor debet ei facere conſcientiam de eo, cùm Confeſſor ordinetur ad utilitatem ejus, ſed utilitas ejus eſt, quod ſciat ſtatum ſuum, nec debet eum abſolvere, ſed reputare eum indignum, & indiſpoſitum ad recipiendam abſolutionem. Sed ſi dubium eſt, utrum ſit mortale, & opiniones Doctorum ſunt diverſæ, videli-*

*delicet, utrum ſit licitum emere redditus ad vitam, tunc, aut Confeſſor eſt ordinarius ejus ita quod tenetur Confeſſionem ejus audire, & tunc ſi ſit opinionis illius, quod illud non ſit peccatum, debet eum abſolvere ſimpliciter. Si autem credit quod ſit peccatum, debet ei facere conſcientiam, quod confitens ſe diligenter informet de illo facto, utrum ſit peccatum. Sed dato quod ille non vellet recognoſcere illud eſſe peccatum, nihilominus, ex quo eſt ordinarius tenetur eum abſolvere, nec debet eum reputare inhabilem ad abſolutionem, quia hoc ex errore* (in ſententia Confeſſarii) *non ex proterva opinione procedit &c.*

7 Nota hic 1. uti S. Antoninus, *cùm opiniones Doctorum ſunt diverſæ* circa honeſtatem noſtrarum actionum, non obligat ad eam ſequendam, quæ eſt probabilior, nec ad eam repudiandam, quæ eſt minus probabilis, nec ad indagandum, quæ ſit magis probabilis, ſed permittit pœnitenti ex diverſis, quas Doctores ſuſtinent, & circumferuntur tanquam probabiles, ſequi eam, quæ ſuæ libertati favet.

Nota 2. uti hanc doctrinam reliqui poſtea Doctores communi veluti ſuffragio ſecuti ſunt, ut infra cônſtabit, imò eam limitationem, ac diſtinctionem Confeſſarii Ordinarii, & delegati plerique non admiſerunt, docueruntque, ab omni Confeſſario, vel ordinarius ſit, vel delegatus, eſſe pœnitentem prædictum abſolvendum, quod ipſum videtur docere idem Antoninus in eadem Summula part. 2. §. 3. ſic dicens indiſtinctè. *Caveat autem Confeſſor ne ſit præceps ad dandam ſententiam de mortali, quando non*

*eſt certus, & clarus. Et ubi in aliqua materia variæ opiniones ſunt quamplurium, & ſolemnium Doctorum, utrum ſit licitum, vel illicitum, ſicut de non ſolvendo decimas, ubi non eſt conſuetudo, parati tamen ſunt ad dandum, ſi Eccleſia peteret, quod quidam dicunt eos eſſe in ſtatu damnationis, ut Innocentius, alii verò dicunt, quod non, ut Thomas, Jo: Andreas, Archidiaconus, & de emptione jurium montis Florentiæ, vel impreſtitis Venetorum, quod quidam dicunt eſſe uſuram, alii licitum dicunt, & in multis hujuſmodi, conſulat ſemper quod tutius eſt, ſcilicet à talibus abſtinere, non tamen condemnet contrarium facientes, ſeu contrariam opinionem tenentes, nec propter hoc deneget abſolutionem.* Benè autem ſubdit paulò poſt, *ſed cùm illud tale eſſet contra communem opinionem Doctorum, & communiter ſic ſervatur à ſapientioribus, quamvis aliquem Doctorem audiret contrarium tenere, non debet illi de levi adherere,* quia videlicet non quivis Doctor facit opinionem probabilem.

8 In Summa Theologiæ tit. 14. cap. 19. §. 17. hæc tantum docet circa recidivum. *Secundum Thomam recidivans directè non tenetur confiteri peccata dimiſſa, ſeu ritè confeſſa, nec in generali, nec in ſpeciali, cuicunque confiteatur, ſed indirectè, ſicut illud ſine quo non poteſt ſciri debitus ſatisfaciendi modus. Quantum ergo ſufficit ad hoc, quod ſciatur, quæ ſatisfactio ei congruè poſſit imponi, tantùm recidivans tenetur notificare peccata dimiſſa, ut ſi frequenter lapſus eſt in lapſum carnis ex aliqua occa-*

*ſione,*

*ſione, illa occaſio per ſatisfactionem præcidatur.*

9 In Summula part. 3. Interrogatorii cap. 16. ſine ulla diſtinctione docet, eſſe abſolvendum eum, qui interrogatus, an verè doleat, & proponat, reſpondet ſe dolere, & proponere, quod utique ſano modo intelligendum eſt: nam certè aliquando ſic dicit Pœnitens, ut non mereatur fidem.

Verba S. Doctoris ſunt hæc. *Poſtquam verò pœnitens dixit ex ſe, ſive ex interrogatione Confeſſoris interrogantis peccata ſua, ut debuit, tandem concludat. In iſtis peccavi, & in multis aliis cogitatione, delectatione, locutione, opere, & omiſſione, vel aliquod hujuſmodi, de quibus dico meam culpam. Confeſſor verò interroget eum (niſi ſit talis, de quo in hoc non dubitetur, quia tunc ſuperfluum, & irriſibile) ſi ipſe dolet de omnibus peccatis venialibus, & mortalibus confeſſis, & ſi proponit firmiter in futurum ab illis abſtinere, ſcilicet ab omnibus mortalibus.* (Putat ergo, Pœnitentem eſſe idoneum teſtem etiam ſuæ diſpoſitionis, quod modò negant aliqui Doctores, ut alibi dixi, dicamque) *Item quærat, ſi talis habet aliqua reſtituere &c. & ſi eſt paratus facere quam citiùs poteſt abſque dilatione aliqua &c. Quod ſi dicat, ſe nolle iſtud facere, vel non poſſe, cùm tamen poſſit, non eſt abſolvendus &c. Sed ſi paratus eſt facere omnia ad quæ tenetur, tunc ſi eſſet aliqua excommunicationis ſententia ligatus, ſi non potes eum abſolvere ab illa, remitte eum ad Epiſcopum &c. Vel ſi non eſt aliqua ſententia ligatus, ſi habet aliquos caſus peccatorum Epiſcopo reſerva-*

*ſervatorum*, *de quibus non potes abſolvere*, *nihilominus abſolve eum ab illis*, *à quibus potes*, ſi nempè pœnitens eſt in neceſſitate confitendi, vel ſumendi Euchariſtiam, ut limitat De Lugo diſp. 20. ſect. 6. num. 74. & hìc debet ſubintelligi.

10 In Summa Theologiæ tit. 14. cap. 19. §. 19. ſine ulla diſtinctione, aut limitatione docet, uti *in foro pœnitentiali creditur unicuique pro ſe*, *& contra ſe*, & ſolùm addit, non teneri Parochum credere Parochiano dicenti, ſe eſſe confeſſum alteri, & petenti Euchariſtiam, ſi ſciat *eum habere aliquod impedimentum*, *quod pertinet ad forum judiciale*, *ut excommunicationis*, *niſi conſtet ei de abſolutione*. Hinc ibidem vult ei credi dicenti, ſe non poſſe facere pœnitentiam injunctam, aut eſſe nimis difficilè, ac proindè mutari eam vult in aliam faciliorem, quamvis ſit injuncta ab alio Confeſſario, niſi ſit injuncta pro peccatis reſervatis, imò licet ſit injuncta pro reſervatis, ſi Pœnitens ſit in articulo neceſſitatis, *ſi videlicet impletio illius pœnitentiæ poſſit eſſe illi periculoſa*, *vel cauſa infirmitatis*, *vel ruinæ ſpiritualis*, *& ipſe pœnitens non commodè poſſit habere recurſum ad illum*, *qui primò injunxit*, *tunc enim præſumendum eſt*, *quod eſſet contentus de hujuſmodi permutatione pœnitentiæ*. Addit non teneri pœnitentem, cui permutatur pœnitentia ab alio Confeſſario, iterum confiteri peccata, propter quæ fuit impoſita.

11 Ibidem paulò poſt docet *tripliciter imponi à Confeſſario pœnitentiam*. *Uno modo per modum conſilii*, *& exhortationis*, *ſicut cùm admonet pœnitentem*, *ut*

*ut quotidiè oret, det indigentibus eleemoſynas &c. & ad iſta non tenetur ex neceſſitate. Alio modo per modum declarationis communis obligationis, ſicut declarando, quod reſtituat ablata, communicet in Paſcha, ſatisfaciat læſo, & iſta ſi non obſervat, evacuat ſibi fructum factæ confeſſionis, non tamen propter hæc tenetur iterum confiteri, nec committit peccatum inobedientiæ ſpeciale, non obediendo Sacerdoti. Tertiò modo per ſpecialem ſatisfactionem per commiſſionem, & ad iſtam tenetur ex præcepto, alias eſt tranſgreſſor.* Igitur ex D. Antonino poteſt imponi pœnitentia etiam per modum conſilii, & ſic impoſita verè habebit virtutem ſacramentalis ſatisfactionis, ut ex eodem hanc vim habent omnia bona opera, cùm Confeſſarius abſolvens dicit *quidquid boni feceris &c.* ut monet in Summula Confeſſionali part. 3. Interrogatorii cap. 16. ubi traditâ formâ abſolvendi cum additione prædictorum verborum, *Quidquid boni feceris, vel proponis facere, & mala quæ ſuſtines, & ſuſtinebis, ſint tibi in remiſſionem omnium peccatorum*, ſubdit, *quæ verba non ſunt omittenda, quia ſunt magnæ utilitatis, ut ſcilicet omnia hujuſmodi poſtea habeant vim ſatisfactionis ex virtute clavium, & ſic magis valent.*

12 Sed circa ſatisfactiones, & pœnitentias injungendas pœnitenti, alibi differit, & præſertim part. 3. Summulæ prædictæ *de bonitate Confeſſoris* §. 4. vel 5. *Qualis, & quanta debeat injungi ſatiſfactio &c.* ubi ſic. *Hodiè pœnitentiæ omnes ſunt arbitrio Confeſſoris taxandæ, conſideratis circumſtan-*

 *tiis*

*tiis criminum, & perſonarum &c. Ray. & Gulicl. & ſpecul. in ſuo repertorio hoc tenent, & generalis conſuetudo ſic ſe habet &c.* Et paulò poſt. *Ut Raym. & Hoſt. dicunt, debet Confeſſor talem dare pœnitentiam, quam veriſimiliter credat illum implere, ne ipſam violando, deterius ſibi contingat &c. Itaque, ut dicit Hoſtienſ. Confeſſor nullo modo debet permittere, peccatorem deſperatum à ſe recedere art. 36. q. 6. cap. Presbyter, ſed potius imponat unum pater noſter, aut aliud levè, & alia bona, quæ facit, vel mala quæ tolerabit ſint ad pœnitentiam. Concordat D. Th. in hoc. Hoc autem ſanè intellige, videlicet ſi ipſum aliàs pœnitet, & dicit ſe paratum facere, quod debet, ſed hoc onus pœnitentiæ ſufferre non poſſe, tunc propter hoc, quantumcunque deliquerit, non debet dimitti ſine abſolutione, ne ſe deſperet &c. Item imponenda eſt pœnitentia contraria ad malum quod commiſit ſecundum Ray. videlicet ſuperbo opera humilia, guloſo jejunium &c. cap. 2. Quod intellige, ſi creditur illum velle, & poſſe perficere: hoc enim eſt ad benè eſſe imponere magis iſtam, quam illam &c. Item pro peccato occulto non eſt manifeſta pœnitentia injungenda talis, ut poſſit oriri aliqua ſuſpicio peccati commiſſi. Et nota ſecundùm Joan. And. quod priùs debet Sacerdos imponere pœnitentiam, quàm facere abſolutionem à peccatis &c. ſed de neceſſitate non procedit &c. quomodocunque fiat, vel ante, vel poſt, ſufficit &c. Debet Confeſſor, cùm minorem debito pœnitentiam imponit, innoteſcere ei, quod illa pœnitentia ſibi impoſita non eſt digna, ne decipiatur putans ſufficere, ſed*

*quod deberet pro quolibet mortali ſeptennem agere pœnitentiam, quam ſi hìc non perficit, in Purgatorio luet. Si tamen per illam declarationem crederet eum incidere in deſperationem, non debet hoc dicere.*

13 Ejuſdem doctrinæ veluti Summam tradit in tertia parte Interrogatorii cap. 16. §. *De pœnitentia injungenda pœnitenti*, ubi ſic. *Injungendo verò pœnitentiam pœnitenti hoc MAXIMÈ attendendum eſt ſecundùm OMNES, ut ſcilicet talem des, quod credas, eum omninò perficere, QUANTUMCUNQUE SIT MAGNUS PECCATOR &c. dando etiam libertatem, quod, cùm unâ die omittit, ſcilicet orationem injunctam, vel jejunium, poſſit in alia die ſupplere. Si verò dubitatur de aliquo, ne faciat pœnitentiam, puta jejunium, dicas, quod faciat loco jejunii eleemoſynam, vel aliud. Orationes verò perſonis, quæ de facili ſolent recidivare in mortale rarò dandæ ſunt, vel per paucos dies* (ne videlicet eas peragant in peccato mortali, & ſine fructu. Supponit autem hos recidivantes abſolvi,nec expectari, donec penitùs, & conſtanter ſint emendati ab omni ſuo relapſu &c. *Admone eum ſuper omnia, ut vitet malas ſocietates, FREQUENTET Confeſſionem; audiat ſæpè verbum Dei, quærat orationes, & participationes bonorum, quæ ſiunt in Religionibus, & Indulgentias.*

14 Hæc eſt S. Antonini, nempè Doctoris Sanctiſſimi, doctiſſimique Inſtructio, in qua multa expendenda eſſent; ſed,reliquis, brevitatis gratiâ,omiſſis, id noto tantùm, quàm ſæpè in ea, quàm ſtu-

dioſè S. Doctor Confeſſarium ad benignitatem informet. Sæpè, inquam, nam totus in eo eſſe videtur, nec contentus initio dixiſſe, Hodiè non imponi pœnitentias Canonicas, ſed taxari prudentiâ Confeſſarii, & hanc eſſe generalem conſuetudinem, nec Patres contradicere, addit eam debere eſſe talem, quam Pœnitens libenter acceptet; quod poſtea iterum monet, & adjungit, id eſſe faciendum, quantumcunque Pœnitens deliquerit, nec aſperam pœnitentiam velit, omnemque Confeſſario timorem, & ſcrupulum tollit illis verbis Chriſoſtomi dicentis, minus malum eſſe errare ex nimia benignitate, quàm ex nimia ſeveritate, & exemplo Chriſti, qui nulli gravem pœnitentiam impoſuit.

Sudioſè autem, imò ſtudioſiſſimè id facit; dum vult, ut declaretur, ac permittatur Pœnitenti, quod *ſi aliqua die Pœnitentiam dimiſerit*, quamvis id fecerit *ex negligentia*, *poſſit in alia die remittere*; dum id conſilium dari vult *divitibus*, *& nobilibus*, *quod quærant participationem bonorum*, *quæ fiunt in Religionibus*; dum vult gravi pœnitentiæ, quæ eſſet imponenda, ſubrogari *alia bona*, *quæ Pœnitens facit*, *vel mala*, *quæ tolerat*; dum ſic imponit onera, & obligationes, ut ſemper caveat à periculo injiciendi ſcrupulos: hinc, dum docet debere Pœnitentem dimittere occaſionem peccandi, ſtatim addit, *ſi poteſt*, quod addit etiam, dum docet, eſſe adſtringendum ad *mutationem loci, qui eſt ei ad ſcandalum*. Similiter dum docens, imponēdam eſſe pęnitentiam contrariam delicto commiſſo, videlicet ſuperbo ope-

opera humilia, guloſo jejunium, addit ſtatim, *Quod intellige, ſi creditur illum velle, & poſſe perficere.* Item dum volens,ut Pœnitens,cui pœnitentia minor imponitur, admoneatur de hoc ipſo, quod nempè pœnitentia ei impoſita eſt minor, quodque deberet pro quolibet mortali ſeptennem agere pœnitentiam &c. ſtatim addit, *Si tamen per illam declarationem crederet, eum incidere in deſperationem, non debet ei dicere:* Benignitatem profectò tam ſtudioſam, tam indulgentem minimè profitemur, & tamen traducimur à nonnullis. Quid hoc eſt?

*Cler.* Dicent, ea tempora fluxiſſe tunc, quæ depoſcerent adeò ſuavem medicinam.

*Auct.* Non ſunt igitur pejora præteritis noſtra tempora; quæ patiuntur magis aſperam diſciplinam?

*Cler.* Non ſunt abſque dubio.

*Auct.* At negant, & pernegant.

*Cler.* Negabam ego quoque. At poſtquam audivi te, alia mihi opinio eſt.

*Auct.* Gratulor de tuo profectu, utque proficias magis, audi reliquos Doctores.

## CAPUT V.

*Doctrina ſæculi decimi ſexti uſque ad Concilium Tridentinum.*

DOctrinam, & praxim hujus ſæculi ex Concilio Tridentino hoc tempore celebrato, potiſſimùm petemus. Quia verò hæc Synodus non fuit

initio hujus ſæculi celebrata, ſed circa medium inchoata, nec ante ſæculi annum ſexageſimum quartum à Romano Pontifice cõfirmata, oſtendam priùs, quæ viguerit tota hujus ſęculi parte, quæ prędictum Concilium præceſſit. Eam autem fideliter nobis repręſentant Summæ Caſuiſtarum celebriores, hoc eodem tempore editæ; tùm quia plerique Confeſſarii non alios morales libros, quibus dirigantur, legunt & perlegunt, quam hujuſmodi celebriores Summas, & (quod inde ſequitur) non aliam quam ab ipſis traditam ſequuntur praxim; tùm quia, qui Summas ſcribunt, eduntque, non ſolent ſuas proprias, & ſingulares opiniones, ſed communes & tutas proponere, ſi præſertim de uſu, & adminiſtratione Sacramenti neceſſarii agatur, auctorque Summæ vir ſit ingentis judicii, & probitatis, ut fuere quos afferam, nempè Sylveſter Prieras, qui fuit Magiſter Sacri Palatii, & ejus Summæ auctor, quæ ab ejus nomine dicta fuit Sylveſtrina, & meritò appellatur Summa Summarum, Joannis Tabienſis ejuſdem familiæ Theologus, & Canoniſta, cujus eſt Summa Tabiena, & Cardinalis Cajetanus primus ſui Ævi Theologus, & (utor Card. Bellarmini verbis de Script. Eccl.) *vir ſummi ingenii, nec minoris pietatis*, qua ſola impulſus poſt ſuos Doctiſſimos Commentarios in D, Thomam, alioſque libros ſacra eruditione refertos, & communi bono editos, jam Cardinalis, perfunctuſque inſignibus pro Religione legationibus, ac proindè non peritiâ ſolum diſciplinarum, ſed nationum, morumque, longâque experien-

rientiâ inſtructus, brevem Summam, quam Summulam vocavit, in ſeceſſu à curis, otioque unius anni ſcripſit, *procul ab emulatione*, ut ipſe dicit in epiſtola ei præfixa, *ut opem minus doctis Confeſſoribus ferret*, non ut gratiam, aut plauſum, quem jam abundè obtinuerat, ab Orbe toto, captaret, ſcriptamque perdiligenter, Clementi VII. dedicavit.

## §. I.

### *De Sylveſtro Prierate.*

JAM verò videamus quid circa hoc Sacramentum, præſenteſque noſtras cum quibuſdam Doctoribus controverſias, doceat primus in ſua Summa, nempè Sylveſter.

1 In verbo *Contritio* poſtquam dixit, eam, ut eſt pars Sacramenti, eſſe dolorem voluntariè aſſumptum pro peccatis cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, ac differre ab attritione per hoc quod contritio eſt dolor perfectus, & remittens peccatum, ſecus attritio, hanc praxim ſtatuit. *Secundum Petrum de Palude à Pœnitente requirendum eſt, ſi pœnitet. Et ſi non ſufficienter dolet, an hoc ſibi diſpliceat, & vellet ſufficienter dolere, & hoc, inquit, ſufficit, quod valdè nota.* Non quia dolor de carentia doloris peccatorum ſit verè dolor peccatorum, ſed quia putavit is Author, & alii cum ipſo, ut ſupra notavi, quod qui dolet, quod non doleat de peccatis, & vellet ſufficienter dolere, ſolet verè dolore. Unde, poſtquam dixit, hunc dolorem

rem de carentia doloris ſufficere, ſubdit, *quia ſic diſpoſitus eſt contritus, vel ſaltem attritus*. Hinc ſimiliter in verbo Confeſſio 1. num.24. *Tenemur* (inquit) *confiteri cum interioribus lacrymis, quæ ſunt diſplicentia peccati præteriti cum propoſitio cavendi à futuris, ideſt contritio, vel ſaltem attritio. Imò ſufficit, ſi quis vellet habere diſplicentiam, & à Deo gratiam cavendi in poſterum, quia talis eſt attritus virtualiter, ideſt diſplicentiam habens, cùm nulli placeat diſplicentia rei placitæ; & habet etiam voluntatem cavendi, licet imperfectam*, & utique non conceptam ex charitate. Imò poſtea refert opinionem docentium, ſufficere ad valorem, & ad fructum voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum, quæ eſt quædam virtualis diſplicentia peccatorem; quam opinionem, nec approbat, nec improbat: ipſe autem non agit perſonam purè referentis, ut nos hìc agimus, ſed docentis, & id approbantis, quod non reprobat, ut Summiſtæ faciunt.

2 Sufficere autem, quod quis doleat ſe non dolere, cupiatque dolere, *valdè notari* vult Sylveſter ad conſolationem pœnitentium. Ego verò notatum id volo, ut colligas, non fuiſſe antiquos Doctores moroſos, anxios, & rigidos in exigendo à Pœnitentibus dolore ad hoc Sacramentum neceſſario. Ex qua eâdem causâ monet hìc Author paulò poſt, quod *qui potius vellet mori, quàm Deum offendere mortaliter, eſt contritus*. Id autem propoſitum ex metu gehennæ, aut ex amore beatitudinis, aut ex gratitudine, vel religione concipere certè poſſumus.

Igitur

Igitur non eſt neceſſaria in hoc Sacramento alia nobilior pœnitentia.

3 In verbo *Confeſſio Sacramentalis* 1. num. 1. *Valet* ( inquit ) *Confeſſio ad remiſſionem mortalium oblitorum ſecundùm Doctores, etiamſi quis non eſſet contritus, virtute Clavium &c.* Indè dicit, multò magis valere ad remiſſionem venialium *dummodò quis ſit de eis ſaltem virtualiter contritus, vel attritus. Alioquin* ( ſubdit ) *ſtante voluntate ad illa, in hac vita remitti non poſſunt*. Igitur ex hoc Doctore ſatis eſt, ita atteri, ac dolere, ut excludatur voluntas peccandi, quæ profectò excludi poteſt ex metu pœnarum, ex amore beatitudinis, & ex actibus, aut motivis multarum virtutum præter Charitatem, ut modò dicebam.

4 Circa confeſſionem in eodem verbo *confeſſio* 1. non ſolum docet, poſſe poſt peccatum differri confeſſionem uſque ad articulum neceſſitatis ortæ ex periculo mortis, vel præcepti communicandi &c. ſed præterea id monet ( quod eſt ſemper obſervandum in ſimilibus controverſiis ) nempè quod licet *ſit tutius ſtatim confiteri, quàm differre, non tamen tutius eſt tenere quod ſic obligemur, quia viri timorati haberent maximas occaſiones peccandi*: quatenus hi facilè dubitant, ne mortaliter peccarint, & conſequenter perpetuò dubitarent, ne ſtatim tenerentur confiteri; & quia id, utpotè nimis durum, ſæpè non facerent, jam ex conſcientia erronea, & practicè dubia ſæpè peccarent, aut eſſent in magno periculo peccandi, qui ſolet eſſe fructus multarum

rigi-

rigidiorum opinionum. Quare diſtinguenda eſt ſecuritas actionis à ſecuritate doctrinæ, nec putandum, quod quia tutius eſt ſtatim poſt peccatum *confiteri*, & *accedere* contritum, tutius quoque ſit *docere*, quod tenetur peccator ſtatim confiteri, & accedere cum dolore contritionis, nempè concepti ex vera charitate. Sed de hoc infra.

5 Num. 13. ſub eodem verbo confeſſio dicit, duos fructus percipi ab eo pœnitente qui quærit Confeſſorem idoneum, quos non percipit qui non quærit idoneum. *Dico primo, quod qui quærit idoneum quantum poteſt, ſi erret in aliquo ad conſilium ejus, excuſatur &c. Niſi hoc ipſum quod ei credit, veniret ex lata culpa ſua. Secus de eo qui idoneum non quærit. Secundò* (hoc eſt notandum) *quòd idoneus non ita inducit in diſperationem, quia non aggravat irrationabiliter, ſicut nec contra jura. Unde Judas ideò deſperavit quia non APOSTOLOS, SED PHARISÆOS ADIVIT*, qui proditorem dimiſere illis verbis amariſſimis, *quid ad nos? tu videris*, quæ frequenter ſunt in ore quorundam, cùm videlicet pœnitentes magnis multiſque culpis onerati, nec abſoluti, aut graviorem pœnitentiam ſubire coacti, minantur, ſe non confeſſuros amplius. Horum profectò minæ, ac deſperatio damnabiles ſunt, ſed damnandi quoque, qui ſic minantem deſperantemque, quem ſuavi alloquio placare deberent, aut etiam diſponere ut poſſit abſolvi, dimittunt hac purgatione Phariſaicâ, nec opportunâ monitione, *quid ad nos? tu videris*.

In

6 In verbo *Confeſſor* 3. num. 11. quærit, *utrum Sacerdos poſſit illum abſolvere, qui non vult ab aliquo deſiſtere, quod ipſe Sacerdos credit eſſe mortale*. Et reſpondet, *quod ſi eſt dubium inter Doctores, & diverſa opinio, tunc, ſi eſt ordinarius, cum abſolvere tenetur &c. quia, ex quo ille credit opinionem quam ſequitur, eſſe veram, innixus authoritati probabili, non videtur peccare mortaliter, & ſic debet abſolvi*.

Et num. 13. quærit, quid debeat facere Confeſſarius, cùm dubitatur & controvertitur inter Doctores, utrum quis teneatur *ad aliquid faciendum, vel dandum, vel pœnam ſubeundam*, & reſpondet monens, ut in hoc dubio ſemper eligatur opinio benignior; affertque illud quod dicitur in cap. ſi de tranſact. *In his ſuper quibus jus non invenitur expreſſum, procedas æquitate ſervata, ſemper in humaniorem partem inclinando, ſecundùm quod perſonas, cauſas, loca, & tempora videris poſtulare*.

7 Circa ſatisfactionem in eodem verbo *Confeſſor* 3. num. 15. quærit; *qua prudentia debeat uti Confeſſor, ubi pœnitentem videt nolle ſubire pœnitentiam, aut non expleturum eam, vel aliud quod promiſit*. Et reſpondet. *Dicit Monaldus, quod talem debet imponere, quam velit ſpontè, & ſine murmure ferre, & non aliam propter periculum, & concedat poſſe redimi impoſita jejunia, & remiſſiones Prælatorum illi prodeſſe*, nempè Indulgentias &c. *Nec debet exigere juramentum, aut promiſſionem de abſtinendo in poſterum ab aliquo peccato, aut faciendo*

*do aliquo injunĉto, niſi in caſibus expreſſis à jure: Sed abſolvat eum ſine conditione ſimpliciter, proteſtando tamen, quod ſi non reſtituat, vel faciat debitum ſuum, fructum confeſſionis evacuabit, quamvis ſibi videatur, quod facturus non ſit illud, ad quod tenetur. Cautius tamen eſſet, quando facultas adeſt, inducere eum priùs ad ſatisfactionem, quod tamen, ſi commodè non poteſt, ſufficit ſi ſatisfacere diſponat quàm primùm poterit. Nunquam tamen peccatorem à ſe deſperatum abire permittat. Et his concordat Inn. in cap. omnis de pæn. & remiſs. & Veruec. & Scot. Quod ſi pœnitens confitetur quidem, ſed à peccato abſtinere non vult, nec aliquid facere, ad quod ex neceſſitate tenetur, nullo modò abſolvendus eſt &c.* Hunc unicum caſum, in quo negari, aut differri debeat abſolutio, affert cum reliquis omnibus antiquis Scriptoribus is Doctor in hac ſumma, in qua fuſiſſimè omnes caſus etiam non ita frequenter contingentes expendit.

Tandem in verbo *Pœnitentia* num.2. *Pro gravi autem deliĉto, ſed occulto, etiamſi aliquibus notum eſſet, nec ſolemnis, nec publica pœnitentia debet imponi, unde Raym. reprobat conſuetudinem eorum qui in mulieribus pro oppreſſione puerorum in lecto imponunt pœnitentiam publicam. Vide eum in cap. 1. & in cap. ſtatuimus &c. Non tamen tenetur homo ſecundum Al. pro quolibet peccato manifeſto manifeſtare pœnitentiam ſuam: ſed qui ſcandalizavit in communi, tenetur ad oſtenſionem boni exempli: ita quòd præſumi debeat, eum de peccatis pœnitentiam egiſſe, & ſufficit.* Hanc

Hanc ut praxim tutiſſimam & communem propoſuit univerſo Orbi doctiſſimus Sacri Palatii Magiſter.

## §. II.

### *De Joanne Tabienſe.*

PAulò poſt Sylveſtrum, aut circa idem tempus edidit, & Thomæ de Vio dedicavit Joannis Tabienſis Summam ſuam, ex nomine Authoris dictam Tabienam, ſummo ſtudio elaboratam, ac proindè dignam, quam viri docti, quemadmodum Sylveſtrinam, Summam Summarum nuncuparent.

1 Is in verbo *confeſſio* 2. §. 28. num. 30. dicit confeſſionem non valere ad remiſſionem culpæ, ſi principaliter fiat timore pœnæ infernalis, & non amore Dei; at ſupra monui quo ſenſu id verum ſit, quo falſum etiam in ſententia Adverſariorum. Sed explicat ſe ipſum, dum ibidem dicit, non valere confeſſionem puerorum, qui confitentur *timore verberum, aliàs non facturi*. Nota ly *aliàs non facturi*, qui videlicet ita ſunt animati, ut nollent facere, niſi inde eſſent verberandi. Quare exigit tantùm amorem Dei virtualem & interpretativum conſiſtentem in propoſito excludente voluntatem peccandi, non autem poſtulat charitatem, ſine qua valere Sacramentum, docet in verbo confeſſio 2. §. 39. nam dicit, valere ſuſceptum ſine dolore per ſe expellente peccatum, & introducente gratiam, ergo ſuſceptum ſine contritione procedente ex charitate.

Siqui-

Siquidem in verbo *contritio* §. ult. docet contritionem etiam minimam, dummodò contritio ſit, adeoque charitatem etiam minimam, dummodò verè charitas ſit, delere omnem culpam. Hinc in eodem verbo *contritio* §.8. num. 10. monet Confeſſarium, ut id ſolùm quærat à Confitente circa dolorem, an pœniteat, & an ſaltem vellet pœnitere, doleatque quod non pœniteat; dicitque intrepidè, id ſufficere. Audi ejus verba. *Non debet Confeſſor tendere laqueos tentationis ſimplicibus dicendo, quod debet homo velle excoriari, & alia hujuſmodi, quæ ſenſus horret*, potiùs quam peccare. *Sed hoc à Pœnitente requirat, ſi pœnitet, &, ſi dolor inſufficiens eſt, an vellet dolorem ſufficientem habere, & ſi non hoc ipſum ſibi diſplicet. Et hoc ſufficit.*

Qui ſic docet, certè non exigit charitatem, de qua nullum verbum, & rursùs innuit, credendum eſſe Pœnitenti ſeriò dicenti, quod pœnitet, habendumque (nempè regulariter) ut verè pœnitentem eum qui ſeriò dicit, ſe pœnitere, quamvis non dicat ſe pœnitere ex amore Dei, circa quod nec is Author, nec alii monent, eſſe interrogandum, & ſcrutandum pœnitentem, ut aliàs notavi.

2 Circa confeſſionem expendens eam illius conditionem, quod ſit *frequens*, dicit in verbo *confeſſio* 2. §.12. num. 13. id intelligi duplici modo. Primus eſt, *ut qui frequenter cadit, frequenter reſurgat per confeſſionem*, quod ipſum dicunt reliqui Doctores hanc conditionem expendentes. Non igitur putarunt, relabentibus deberi regulariter abſolutio-

tionem differri; nàm ſi ſolùm confiteantur frequenter & non abſolvantur, non *reſurgent frequenter per confeſſionem*, ut eos debere, omnes monent; imò nec confitebuntur frequenter, qui enim ſciunt, ſe non eſſe abſolvendos, ad confeſſionem non accedunt.

3 Hanc ipſam doctrinam inſinuat in verbo *Abſolutio* 1. §. 7. num. 21. docens, pœnitentiam pro commiſſis peccatis eſſe faciendam poſt abſolutionem, non antea, ac proindè non debere (regulariter ſubintellige) differri abſolutionem, ut Pœnitens interim ſatisfaciat: nec diſtinguit duplex genus ſatisfactionis, unam videlicet, quæ præcedat, alteram, quæ ſequatur, ſed ſupponit, eam ſufficere quæ ſequitur, & ſacramentalis eſt: tradit enim doctrinam generalem per hæc verba. *Satisfactio eſt ad removendam pœnam reſiduam ſecundum omnes doctores, & ideò non debet præcedere. Præterea ſecundum Canones, & Doctores pœnitentia debet imponi ſecundum quantitatem culparum, & qualitatem pœnitentis. Sed quomodo poſſet ſemper ſatisfacere ante abſolutionem? Præterea aliquando, ut infra declarabitur, in ipſa abſolutione infunditur gratia in eo qui antea erat in peccato mortali. Quomodo igitur poterat ſatisfacere ante abſolutionem cum eſſet in peccato? Præterea dum peccator ſatisfacit, pœnitentia aliquo modò plus valet ex vi abſolutionis, vel clavium, quàm antè valeret, cum non participet virtutem clavium ante abſolutionem, ergo melius eſt quod ſatisfaciat poſt, quàm antè*. Hæc autem fuit doctrina omnium veterum Theologorum; hinc

nullum hìc affert (ut ſolet) ſecùs ſentientem, & ſolum meminit aliquorum qui breviſſimam aliquam pœnitentiam imponebant peragendam antè abſolutionem, nempè *unum Pater noſter*, *vel aliquid ſimile*, ut hìc dicit Auctor, ut videlicet certi fierent, quod pœnitentia non omitteretur, vel nimium differretur, quorum *frivolam cautionem* hìc Tabienſis refellit.

4 Circa ſatisfactionem in eodem verbo *Confeſſio* 2. §. ult. monet quidem Confeſſarium, *ut quamvis pœnitentiæ ſint arbitrariæ, tamen, quantùm poteſt, ad utilitatem confitentis ſervet Canones*. Et rursùs docet §. 20. in fine, *Pro certò videtur ſecundum mentem S. Thomæ, quod Pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam, quando eſt diſcreta, & ſibi poſſibilis*. Adhuc tamen §. 19. in fine notat, uti *ſecundum D. Thomam quodl. 3. pœnitens non debet multum onerari in pœnitentia, ne frangatur, & etiam poteſt ſibi imponi per clauſulam, quidquid boni feceris &c. ut totum bonum quod faciet, valeat ſibi ut pœnitentia ſacramentalis*. Et §.ult. quærit, *quid agendum, quando confitens non vult acceptare pœnitentiam.* Et reſpondet, *quod meliori modò quò poteſt, debet eum hortari, & mutare pœnitentiam, & quantum poteſt non permittere, quod deſperatus recedat. Et ſecundum S. Th. det parvam, ut aſſueſiat ad majorem*. Et ſolùm abſolvi prohibet eum, qui nullam vult facere, aut non vult abſtinere à peccato. Inde loquens de eo qui urgetur aliqua obligatione, *cautius eſſet*, inquit, *ut priùs ſatisfaceret*: adhuc tamen

vult

vult abſolvi, dummodo velit ſatisfacere, iterumque monet, *nullo modo dimittat eum deſperatum*, *quantum poſſibile eſt*.

Qui profectò vult imponi parvam pœnitentiam recuſanti etiam diſcretam, ne rejectus deſperet & vult abſolvi ex ſimili timore deſperationis eum qui diſtulit implere quod debet, aut non ſtatim implet, ſed vult implere, is profectò non exigit charitatem in pœnitente; nam, ut alias notavi, qui charitatem habet, quamvis ſolùm inchoatam, leves hujuſmodi difficultates ſuperat, nec ex tam facili in diſcrimen deſperationis adducitur.

## § III.

### *De Cardinali Cajetano.*

VIſæ fuere Cardinali Cajetano prædictæ Summæ Sylveſtri, & Tabienſis nimiùm profuſæ, nec accommodatæ omnibus Confeſſariis, ex quibus ſatis multos copia ipſa inopes facit, & multitudo caſuum obruit. Hac de cauſa concinnavit aliam ſummam longè breviorem, quam Summulam appellari voluit.

1 In hac, circa contritionem, ſeu diſpoſitionem in hoc Sacramento requiſitam, id ſolùm poſtulat in verbo *Confeſſio*, ut ea ſita ſit *in diſplicentia omnium peccatorum mortalium remmiſſorum ſupra omne odibile* (nempè *mortem*, *paupertatem*, & alia hujuſmodi mala temporalia, ut poſtea explicat, quæ ſola efficiunt, ut peccemus) *& in propoſito vitandi omne*

 *mor-*

*mortale ſupra omne vitabile, puta direptionem, occiſionem &c.* ut poſtea pariter explicat, quam profectò diſplicentiam, & propoſitum exigimus omnes. Rursùs ſatis illi eſt, quod peccator habeat hujuſmodi dolorem, & propoſitum, dicatque Deo, *diſplicet mihi quod te offendi, ampliùs te non offendam, parce mihi*, quod ſanè debent omnes dicere ex corde, dicuntque etiam qui ex ſolo metu gehennæ, aut amore æternæ beatitudinis aut ex affectu religionis, vel obedientiæ, vel gratitudinis moventur ad pœnitentiam, & odium Divinæ offenſæ. Cùmque is Doctor varios gradus Pœnitentium diſtinguat, eos ſolos abſolvendos negat, *qui non habent voluntatem deliberatam ad vitandum futura peccata*. Indiſpoſitos autem aut fortè non ſatis diſpoſitos diſponi vult verbis declarantibus gravitatem Divinæ offenſæ, & impellentibus ad charitatem, ad quam hortari ſolemus omnes, quamvis eam eſſe ubique & ſemper neceſſariam minimè judicemus, nec judicet ipſe Cajet. neceſſariam in hoc Sacramento, in quo, docet, attritum fieri contritum non ſolum adhortatione Confeſſarii, ſed virtute clavium, cum præſertim quis putat ſe habere contritionem ſed verè non habet; vel etiam, cùm quis ea ſe carere cognoſcit: explicans enim Confeſſionis octavam conditionem, quod nempè fiat libenter ſic dicit. Octava conditio *libens, hoc eſt, non ex metu pœnæ, ſed ex amore ſanitatis animæ: ſic enim propriè voluntaria eſt confeſſio. Et quia timor introducit charitatem, ſicut ſeta filum, ad minorem*

*norem*

*norem ſpectat devotionem, præparationem, ſeu diſpoſitionem, quod aliquis malè libenter confitetur. Ex quo tamen vincit ſeipſum, & confitetur SUFFICIT AD SALUTEM IMPERFECTORUM*, Igitur, ex hoc eximio Doctore, *ſufficit ad ſalutem imperfectorum*, quod confiteantur ex timore pœnæ, & abſolutè loquendo ſufficit ex eodem Confeſſio facta ex *amore ſanitatis animæ*, qui amor non eſt charitas, & habetur ab omnibus qui confitentur, ut ſalvi fiant.

2 Monet etiam ibidem, uti *non ſunt pœnitentes in tentationem præcipitandi à Confeſſore nimis zelante, & imprudenter inveſtigante, an diſpliceant ſibi commiſſa ſupra omne odibile in particulari, puta mortem, paupertatem &c. aut ſi intendit vitare mortalia ſupra omne vitabile, puta direptionem, occiſionem &c. multos enim hujuſmodi interrogatio induceret in tentationem. Sed ſi dubitet rationabiliter de tenui diſplicentia, vel propoſito vitandi, declaret ſibi quid importet peccum mortale &c.* Hæc eſt vera & optima praxis adminiſtrandi hoc Sacramentum, nimirum diſponere non ſatis diſpoſitos, eoſque excitare ad peccatorum deteſtationem. Hos autem poſſe facilè diſponi paucis Confeſſarii verbis, adeò certum putavit Cajetanus, ut nihil dubius de eventu concludat, *Et ſic accendet cor pœnitentis, & non ponet in periculum tentationis*. Quid hìc dicet meus Impugnator, qui multo tempore, multo labore, longoque conatu opus eſſe dicit, ut indiſpoſiti, aut non ſatis bene diſpoſiti, de quibus ego loquor in

Clerico Romano quem impugnavit, convertantur, diſponanturque?

3 Circa neceſſitatem confeſſionis,non ſolùm negat, obligari peccatorem ad confitendum ſtatim poſt peccatum, ſed etiam docet, non committi ab eo novum peccatum mortale, ſi non ſtatim conteratur, & concludit, *Ratio dictorum eſt, quia præceptum tam de confeſſione, tam de illius propoſito eſt præceptum affirmativum, præcepta autem affirmativa obligant quidem ſemper, ſed non ad ſemper, ſed pro loco, & tempore, hoc eſt tempore neceſſitatis, & propterea ſi articulus neceſſitatis non occurrat, ſufficit ad ſalutem ſemel in anno confiteri juxta Eccleſiæ determinationem &c.* Et in verbo *Contritio* ſic docet. *Ex hoc autem quod peccata memoriæ occurrunt, ſicut non tenetur tunc ad confitendum, ita nec ad tunc conterendum. Utrumque enim eſt præceptum affirmativum obligans tempore neceſſitatis, quod non conſtituit memoria. Sed tenetur ſemper ad non approbandum, ad non complacendum, quia iſta ſunt præcepta negativa, quæ obligant ſemper & ad ſemper. Dies quoque feſtos ſanctificare nova contritione peccatorum ſanctum conſilium, ac omni obſervatione dignum eſt, non tamen præceptum.* Igitur ex Card. Cajetano ſanctiſſimè facient Parochi, reliquique omnes populi inſtitutores, ſi eum perpetuò hortentur, ut nihil differat pœnitentiam poſt lapſum, imò nec differat confiteri, non autem, ſi doceant, eum ad id urgeri gravi præcepto.

4 Agens ibidem de caſibus, in quibus iteranda

eſt

eſt confeſſio, ex parte contritionis hunc ſolum proponit, *Si totaliter deficeret contritio*. Et ideo poſt aliqua ſubdit. *Si contritio ambas partes habeat, ſcilicet diſplicentiam præteritorum, & propoſitum vitandi futura, ſed imperfectè (puta, ſic ſe habet ac ſi hominem offenſum placaret: puta, parcè præteritis, de cætero non te offendam) ex hujuſmodi imperfectionibus non eſt iteranda confeſſio, quia perfecta contritio etſi exigitur ad deletionem peccati apud Deum, non tamen exigitur ad deletionem peccati ad forum pœnitentiale Eccleſiæ &c.* Nunquam autem dicit,aut innuit,regulariter debere haberi ſuſpectam ac dubiam contritionem ſeu diſpoſitionem ejus qui iterum confeſſus iterum lapſus eſt, ac proindè ejus præteritas confeſſiones iterandas.

Unum ſimiliter caſum ex parte confeſſionis affert. *Ex confeſſionis unico tantum defectu* (inquit) redditur *confeſſio neceſſariò iteranda*; *ſcilicet*, *ſi non eſt integra*.

5 Subdit paulò poſt. *Ex ſatisfactionis autem defectu nullum ſcio caſum, quo ritè confeſſus & abſolutus teneatur neceſſariò confeſſionem iterare*, quia videlicet, ut poſtea dicit, ſi pœnitens ſit oblitus pœnitentiæ ſibi impoſitæ, poteſt Confeſſarius imponere aliam, quam probabiliter credit eſſe proportionatam delictis & perſonæ abſque eo quod pœnitentem cogat ea iterum confiteri. Et quidem quàm facilè modò, & frequenter Doctores aliquot adigunt Pœnitentes ad iterandas confeſſiones, tam rarò olim ac difficilè Doctores ad id obligare

conſueverunt, ut legenti eorum Tractatus, eaſque inſtructiones, quas ſupra attuli, patebit.

6 Circa abſolutionem multa notat in verbo *abſolutio*, & alibi. Seligam quæ ſpectant ad præſentes controverſias. Primò monet, quod *ſi Confeſſor dubitat, ſe protuliſſe verba abſolutionis, & dicat, ſi non es abſolutus, ego te abſolvo, hujuſmodi conditionalis abſolutio in caſu dubii ex ſuo genere non eſt illicita, ſicut nec Baptiſmus in dubio ſic datus illicitus eſt*. Et tamen fuit ex noſtris Adverſariis, qui nuperrimè ſcripſit contra id genus abſolutionis conditionatæ tanquam in ritum, vel uſum recentiſſimum, nec niſi poſt ſæculum decimum ſextum temere excogitatum ſeu invectum.

7 Monet ſecundò, uti Eccleſia dicentem, ſe eſſe diſpoſitum, non abſolvit conditionatè, perindè ac ſi ei non credat, ſed abſolutè. *Eccleſia*, inquit, *abſque conditione aliqua credit pœnitenti dicenti ſe contritum, & habere propoſitum ſatisfaciendi, & abſolutionis beneficium impertitur abſque conditionali nota*. Quid hic dicent iiſdem Doctores, qui vix unquam credi volunt Pœnitentibus præſertim relapſis, aut implicitis conſuetudine peccandi. Num Eccleſiam ſæculi decimi ſexti vitioſæ credulitatis damnabunt, aut Cajetanum in re tam clara deceptum, aut in re tanti momenti deceptorem fuiſſe dicent?

8 Monet tertiò in verbo *Confeſſio* expendens eam confeſſionis conditionem *ſit parere parata*, uti abſolvi debet etiam qui recuſat omnem pœniten-

tiam,

tiam. *Si quis autem tam parùm diſpoſitus eſt ad pœnitentiam, ut nullam velit acceptare à ſe agendam in hac vita ſatisfactionem* (nempè gravem, nam levem nemo recuſat, ut poſtea dicit in verbo ſatisfactio) *ſed abſolvi petit remittendus ad pœnam Purgatorii, abſolvi poteſt tanquam parere paratus per ſatisfactionem Purgatorii, ne deſperatus in Infernum ſe præcipitet, à quo non multùm diſtare videtur, qui in hujuſmodi pertinacia perſiſtit.* Is certè non habet contritionem ex charitate conceptam, & tamen non cenſetur à Cajetano indignus abſolutione.

9 Ne tamen inde colligas, eum voluiſſe paſſim id fieri, nam in verbo *ſatisfactio* quamvis eandem doctrinam repetat, monet tamen, uti *regulariter in omni confeſſione ſacramentali imponenda eſt ſatiſfactio aliqua, ut Sacramentum pœnitentiæ omnes materiales ſuas partes habeat*, & vult imponi *commenſuratam peccatori, peccato, & fini, hoc eſt ſanitati animæ, ſicut medicina debet eſſe proportionata primò infirmo, ſecundò infirmitati, tertiò ſanitati*. Imò in verbo Confeſſor. *Nec laudo*, inquit, *imponentes breviſſimam pœnitentiam*, cùm videlicet id juſta ratio non exigit; & quamvis non dicat, negandam aut differendam abſolutionem iis, qui ſolùm leviſſimam pœnitentiam acceptant, cùm facere majorem poſſent, monet tamen, eſſe his differendam communionem, *ut interim in operibus miſericordiæ exerceantur*, additque redarguens Confeſſarios nimiùm benignos. *Non cognoſco hanc prudentiam eſſe, ſed cautelam non ſecundùm virtutem. Non eſt forum*

*pœni-*

*pœnitentiæ foro mercium adſimilandum. Non ſunt Confeſſores ut mercatores, ut diſpendium patiantur, ſi ad forum non concurritur.* Et ideò eundem monet, ut *declaret pœnitenti, quanta peccatis ſuis debetur, imponat fructuoſam, exhortetur ad reliquam per ſe ipſum exolvendam*, & hanc etiam ſpontè factam, ſed impoſitam conſilio ſeu adhortatione Confeſſarii, ſacramentalem eſſe cenſet, ut patet ex iis quæ ſubdit.

His ſe legibus contineri regulariter debet Confeſſarius ex Cajetano non laxo, aut remiſſo, ut vides, ſed docto ac prudente, & ideò aliquando exigente congruam ſatisfactionem, ut audiiſti, aliquando permittente minorem, & valde minorem, ut iterum monet in verbo ſatisfactio, ubi ſic. *Pœnitenti bene præparati, & robuſti animi ſatisfactio quam meretur, imponenda eſt, debiliter autem diſpoſitis detur ſatisfactio parvula juxta debilitatem ſui animi, ut parvulus ignis foveat appoſitam paleam, & non ſuffocetur appoſitis magnis lignis deſuper.* Quod idem (ſi meminiſti) monet S. Thomas.

Habes jam, quæ hoc ſæculo fuerit Eccleſiæ doctrina & praxis in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ, nec video quid opponi ſapienter poſſit.

*Cler.* Nihil quidem ſapienter objici poteſt. Sed tamen objicient aliqui, dicentque, non ſatis certò colligi doctrinam, & praxim Eccleſiæ univerſæ, nimirum communem & receptam, ex tribus Doctoribus ejuſdem Ordinis Prædicatorum, qui fortaſſe doctrinam & praxim ſui Ordinis propoſuere,

re, non autem communem. Id, ut dicebam, non dicetur ſapienter; nam, ut initio benè admonuiſti, profitentur prædicti Doctores, tradere ſe doctrinam communem, & verè tradunt conformem doctrinæ ſæculorum præcedentium, quam ex libris Doctorum diverſorum Ordinum mihi propoſuiſti. Quia verò debitores ſumus ſapientibus, & inſipientibus, operæ pretium feceris fortaſſe, ſi Summam aliquam Doctoris diverſi Ordinis & Inſtituti quæ fuerit hoc eodem ſæculo celebris, in medium afferas, doceaſque, quam ea praxim, ſeu doctrinam contineat.

*Auct.* Nemo alius (quod ſciam) his quinquaginta annis, qui præceſſere Tridentinum, Summam ſcripſit ſaltem ita celebrem, & communi laude doctorum virorum receptam, & ideò eas tres ſolas produxi. Adhuc tamen, ut obſequar tibi eo modò quo poſſum, proferam duas alias Summas Doctorum alterius Ordinis, editas paulò ante quàm prædictæ tres ederentur, nempè ſub finem ſæculi decimi quinti quæ hoc ipſo decimo ſexto ſæculo celebres erant, & manibus Confeſſariorum non minùs, quàm aliæ tres, quas tibi prælegi, terebantur. Scripſit Angelus de Clavaſio primam, inde dictam Angelicam, alteram verò, quæ Roſella dicta fuit, ſcripſit Baptiſta Trovamala, Ordinis Minorum uterque, uterque Theologus præclarus.

*Cler.* Bene eſt. Utrumque enim à Doctoribus moralibus cum magna laude allegari ſcio. Profer ergo quid doceant.

§. IV.

## §. IV.
### *Doctrina Angeli de Clavaſio.*

1 Circa contritionem ſeu dolorem in hoc Sacramento neceſſarium, ſupponit in verbo *Confeſſio* 1. num. 14. poſſe ſuſcipi hoc Sacramentum, vel cum contritione, vel cum attritione, quæ ſine Sacramento non juſtificat: ergo quæ non concipitur ex charitate, quæ ex hoc Doctore ſemper juſtificat, ut ſemper juſtificat contritio ex ea concepta. Hanc enim vim ipſe cum omnibus antiquis Theologis attribuit omni contritioni, & charitati verè tali. Docet autem, ſufficere in hoc Sacramento, ut quis ità doleat ut excludat actuale peccatum, ut colligitur ex eo quod hìc dicit, eſſe iterandam confeſſionem, *quando quis confitetur ſine contritione, vel attritione debita, quæ ſufficiat ad gratiæ ſuſceptionem cum Sacramento*, *puta* (nota) *quia eſt in voluntate peccandi, vel ex mala intentione confitetur*. Id ergo eſt non habere attritionem ſufficientem, tam imperfectè dolere, ut ſimul habeatur voluntas peccandi, ergo qui ex Fide ita dolet, ut hanc voluntatem excludat, ſufficienter dolet ex hoc Doctore, non autem ex me.

2 Circa præceptum ſtatim confitendi poſt mortale, concedit in eodem verbo *Confeſſio* 1. num. 31. communiter negari à Theologis tale præceptum, & poſſe confeſſionem differri uſque ad Quadrageſimam, exceptis caſibus alibi à nobis recenſitis, & ſolùm dicit, ſibi videri tutiorem S. Bonaventuræ id limi-

limitantis, præſertim in Religioſis, & Clericis, ſententiam.

Circa verò præceptum non differendi ſaltem contritionem, ſic habet in verbo *Contritio* num. 5. *Utrum homo teneatur conteri ſtatim commiſſo mortali? Reſpondeo, quod non, quia ſicut præceptum dilectionis Dei, quantum ad actum interiorem, non ſemper obligat, ſed ſolùm quandò materia occurreret practicè, non ſpeculativè, ſcilicet, cùm conſideratur Deus ut diligendus, tenetur homo judicare ut diligendus, & diligere, ſic & peccatum mortale commiſſum, ſi menti occurrit practicè, vel ut materia delectationis, vel deteſtationis, tenetur homo judicare deteſtandum, & deteſtari ſecundum Petr. de Palud. in* 4. Et in verbo *voluntas* num. 6. docet ex Alex. de Al. quod tunc peccator tenetur conteri, quando Deus per gratiam ſuam facit ut ille *cogitet de peccato ſuo, quod eſt tantum malum, & grave, & eum excitat ad convertendum*, vel ut docet Sanctus Bonàvent. *quando Dominus viſitat talem interiori locutione, vel exteriori prædicatione, vel aliquo tali, in quo eſt opportunitas redeundi ad cor, unde tunc ſi negligat, incidit in contemptum, & omiſſionis peccatum.*

3 Circa directionem Pœnitentis in caſibus dubiis, vel diverſis Doctorum ſententiis, docet in verbo *Confeſſio* 4. num. 3. *quod ſi dubium verſetur circa aliquod faciendum, vel pœnam ſubeundam, tunc benignior opinio eſt eligenda &c. Si verò dubium eſſet, ut abſtineat, tunc ſecurior pars eſt eligenda, ſcilicet abſti-*

*abſtinere. Si tamen diverſitas eſſet inter Doctores, & pœnitens ex aliqua rationabili cauſa vult adhærere uni opinioni, non eſt ſibi deneganda abſolutio, ſed ſuæ conſcientiæ relinquendum.*

3 Circa ſatisfactionem in verbo *Confeſſio* 2. num. 36. refert, nec improbat opinionem Scoti dicentis, quod non tenetur pœnitens acceptare pœnitentiam injunctam, *ſed ſufficit ei propoſitum acceptandi à Deo hìc, vel in Purgatorio, ſed ſi acceptat tenetur implere* & poſt aliqua ſubdit, *intelligo de pœnitentia, quam Sacerdos imponit præceptivè, ſecùs, ſi imponeret exhortativè, ſicut faciunt periti Confeſſarii qui aliquam parvam pœnitentiam dant de præcepto, & poſtea aliam majorem de conſilio propter periculum tranſgreſſionis*. Ac proinde id non faciunt regulariter, ſed cùm timent tale periculum. Non eſt igitur novum, quod ſaltem pars pœnitentiæ imponatur conſultivè, ſeu exhortativè.

4 In verbo *Confeſſio* 4. num. 9. *debet Confeſſor habere pietatem in compatiendo peccatori benignè eum conſolando, infundendo vinum & oleum, ut dicitur d. cap. omnis, ut potiùs velit ſalvum in Purgatorio, quam nimiam pœnitentiam imponendo deſperatum in Inferno.*

Sed fuſiùs de hoc in verbo *Confeſſio* 6. nbi ſic. *Tenent communiter Doct. in cap. Deus qui de pœnit. & remiſs. quod pœnitentiæ ſunt hodiè arbitrariæ ita quod Jo: Andr. in cap. ut menſuræ de empt. & ven. tenet quod Canones pœnitentiales hodiè de nihilo ſerviunt, nihilominùs Sacerdos, etſi poſſit recedere à di-*

*ctis*

*ſtis Canonibus in imponendo pœnitentiam quam vult propter fragilitatem hominum, & conſequenter ex cauſa &c. tamen bonum eſt, ut eos Canones ſciat, & ſecundum eos ſciat ſe temperare, & peccatori innoteſcere quid meretur. Sed quid, ſi Sacerdos videt, quod non faciet pœnitentiam, vel non vult ſubire?*

*Reſpondeo* (inquit) *ſecundum Mo. tit. pœnit.6. quod debet Sacerdos talem imponere, quam ſine murmure, & ſpontè velit portare, & non aliam propter periculum, & etiam concedat, quod ipſe poſſit redimere, & non aliam propter periculum, & etiam concedat, quod ipſe poſſit redimere jejunia, quæ ei impoſuit, & quod remiſſiones prælatorum proſint ei &c.*

5 Monet poſtea, quod *quamvis* Confeſſarius non ſit certus, quod pœnitens *ſit facturus id ad quod obligatur, abſolvat eum ſimpliciter, ſine conditione, cum proteſtatione, quod, ſi non reſtituet aliena, vel non faciet debitum, evacuabit fructum confeſſionis.*

5 Poſt hæc quærit num. 3. *Utrum bona opera, quæ Pœnitens faciet, ſint magis efficacia ad expiandam culpam præteritam, quando per Confeſſorem ei injunguntur, ſic dicendo, omnia bona quæ facies, vel intendis facere, injungo tibi in remiſſionem peccatorum.* Et reſpondet *ſecundum D. Th. in quodl. quod ſic, quia ſic valent dupliciter. Primò ex natura operis, ſecundò ex vi Clavium, ideò plus habent expiare culpam præteritam. Et propterea bonum eſt quod Sacerdos hoc ei injungat.*

6 Tandem num. 4. quærit, *Utrum unus Con-*

*feſſor*

*feſſor poſsit ex cauſa relaxare, aut commutare pœnitentiam, quam alter impoſuit.* Et reſpondet *quod ſic, ſi talis habet auctoritatem abſolvendi à tali peccato, propter quod fuit impoſita, etiamſi ille qui impoſuit, eſſet ſuperior. Si verò non habet auctoritatem abſolvendi à tali peccato, non poterit eam nec relaxare, nec commutare, niſi neceſsitas urgeat, vel pietas ſuadeat: pium enim tunc eſſet interpretari, quod ſuperior in hujuſmodi caſibus acceptet ſecundum Rod. &c.*

Hæc Angelus circa quæſtiones modo controverſas. Nunc adeundus alter Summiſta, ut quod promiſi, faciam.

## §. V.

### *Doctrina Baptiſtæ Trovamalæ.*

HUjus Summa dicta olim fuit Baptiſtiniana ex Auctoris nomine, poſtea in editione an. 1515. Roſella nuncupata ab eodem Auctore fuit, *non quod in novum evaſerit opus*, ut ipſe dicit in Præfatiuncula, *ſed quod quamplurium, quæ primæ deerant editioni, ſubtiliſsimorum caſuum, uti ſertum quoddam, obtinuit coacervationem*. Ex hac igitur editione, utpotè diligentiori, uberiorique hujus Doctoris, qui in titulo Operis *Ordinis Minorum Obſervantiæ profeſſor integerrimus* dicitur, doctrinam petam.

1 Circa contritionem, quamvis in verbo *Pœnitentia* num. 7. etiam ipſe recenſeat inter partes pœni-

pœnitentiæ ſacramentalis contritionem & quidem perfectam; nam eâ dimitti peccatum dicit ibidem, & in verbo *Contritio* num. 6. tamen in verbo Confeſſio 1. num. 3. quærens, *utrum confeſſio facta ſine contritione valeat*, poſtquam dixit, non valere, ſi ita fiat ſine contritione, ut fiat etiam ſine propoſito abſtinendi ab omni mortali, affert etiam ipſe, & approbat ſententiam Scoti dicentis, quod *habens voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum Eccleſiæ ſine obice peccati mortalis attualiter ſibi facto, vel in voluntate inhærentis non recipit ex merito, ſed ex pacto Dei aſſiſtentis Sacramento ſuo ad effectum quem inſtituit, remiſſionem & gratiam pœnitentialem*, iterumque dicentis paulò poſt, quod *in confeſſione non requiritur aliud niſi quod homo non ponat obicem gratiæ*.

2 Circa præceptum non differendi confeſſionem vel ſaltem contritionem, & confitendi circumſtantias trahentes ad aliam ſpeciem peccati, & iterandi confeſſionem non ritè factam, convenit cum reliquis quatuor Summiſtis, quos percurrimus.

3 Circa ſatisfactionem non rejicit penitùs ſententiam Scoti dicentis quod poteſt pœnitens malle in Purgatorio, quam hìc ſatisfacere, & ideò recuſare pœnitentiam, ſaltem gravem, ſibi propoſitam à Confeſſario, additque in eodem verbo *Confeſſio* 2. quod *ſi pœnitens Confeſſario nihil dicit, quod velit facere pœnitentiam in Purgatorio, tenetur recipere, & pro viribus explere* dummodò tamen ſit *rationabilis & diſcreta*, ut dicit Ric. quem ſequitur. Ad-

ditque, *quo tamen ad pœnitentiam injungendam cautiùs faciet Confeſſor, quod pœnitenti pœnitentiam injungat, quam ſtatim in ſtatu gratiæ poſſit agere, & poſtea aliam injungere, quam non intendit pro pœnitentia ſacramentali*. Quam cautelam non laudat Cajetanus ſupra relatus.

4 Demum in verbo *Pœnitentia* num. 13. etiam ipſe dicit. *Conſulendum eſt, ut Sacerdos cùm abſolvit pænitentem, addat; quicquid boni feceris ſit tibi in remiſſionem peccatorum. Itemque dicat, quod omnia mala quæ ſuſtinebit ei proficiant ad ſalutem.*

Inſipientibus factum ſatis eſt, ut volebas. Præter eorum trium Scriptorum ejuſdem Ordinis Prædicatorum Inſtructiones, eas quoque, quas alii duo Scriptores circa idem tempus tradidere, breviter quidem, ſed fideliter propoſui. Miratus autem abſque dubio fuiſti doctrinæ ſimilitudinem, magnam in omnibus benignitatem, nec dubitare jam, vel dementiſſimi poſſunt de communi & ab Eccleſia recepta hujus ſæculi praxi, quæ ſi alia fuiſſet, nec tot in ea proponenda tanquam communi conveniſſent, nec defuiſſent, qui obſtreperent, & aliam diverſam proponerent. Defuerunt autem. Non enim facilè reperies ullum eorum temporum Theologum, qui non profiteatur eandem, aut ferè eandem in hac materia, de qua agimus, doctrinæ benignitatem.

Dixi *Theologum*: non enim quæ fuerit doctrina Theologica, qualis hæc eſt, de qua diſputamus, conjici ſapienter poteſt ex concionatoriis adhortationibus, perorationibus, & invectivis.

*Clar.*

*Cler.* Id autem eſt, in quo potiſſimum errant Adverſarii, ut aliàs monuiſtis.

*Auct.* Non eſt igitur, cur hic moneam iterum. Conſultius fuerit ad alia feſtinare.

# CAPUT VI.

## *Doctrina Concilii Tridentini.*

### §. I.

*Quam eam eſſe dicant Adverſarii, præſertim circa dolorem in Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ neceſſarium, quàmque malè ex Hiſtoria Card. Pallavicini verba notiſſima ſeſſionis 6. ejuſdem Concilii interpretentur.*

1 DIcunt Adverſarii, duo abſque dubio à Synodo Tridentina poſtulari, quæ doctrinæ quam defendimus, quamque allegatis ſupra Doctoribus attribuimus, adverſantur, nimirum contritionem, ſeu attritionem non conceptam ex ſolo metu, ſed ex charitate ſaltem inchoata, & remiſsâ, & rursùs majorem in imponendis pœnitentiis ſeveritatem. Verùm enim verò utrumque falſum eſſe facilè colliges ex allegatis trium, & ampliùs ſæculorum Doctoribus, quos erraſſe omnes, & cum ipſis Fideles omnes eorum praxim ſecutos, quis audeat aſſerere? Errarunt autem omnes, ſi poſtea diverſam doctrinam ſtatuit Tridentinum. Quin erraſſent quoque omnes, qui ſcripſere per annos 60. poſt Tridentinum; nam omnes cum Theologis ſupra

allegatis circa contritionem, & ſatisfactionem convenere, ut intelliges ex locis, quæ modò proferam.

*Cler.* Antequam id facere incipias, velim, innuas mihi, quæ ſint iſta loca Tridentini, in quibus contritionem ſeu attritionem ex charitate ſaltem inchoata conceptam exigi in utroque hoc Sacramento, dicunt Adverſarii.

*Auct.* Multa illa ſunt, ſed in nullo eis favent Patres.

*Cler.* Nec in illo ſeſſionis 6. ubi Patres dicunt, eum qui præparat ſe ad juſtificationem, incipere Deum diligere?

*Auct.* Nec in iſto.

*Cler.* At hic nomine dilectionis certè ſignificatur charitas, quod confirmatur etiam ex iis, quæ refert Card. Pallavicinus lib. 8. cap. 13. ſuæ Hiſtoriæ, ea narrans, quæ, occaſione doctrinæ in hac ſeſſione tradendæ, in conventu Theologorum, & Patrum contigerunt.

*Auct.* Nec id ego nego, quamvis negare poſſim, ſed hoc nego tantùm, ibi enumerari actus ad juſtificationem in Sacramento obtinendam prærequiſitos, & aſſero, recenſeri eos, qui debent, aut ſolent haberi, dum adultus extra Sacramentum juſtificatur. Nec aſſero tantùm, ſed probo, nec probo tantùm, ſed argumentis ex eodem Pallavicino petitis, quæ eſſe ineluctabilia, ut arbitror, judicabis.

2 *Cler.* Ecquæ ſunt iſta?

*Auct.* Ea protuli in lib. de Dolore neceſſario in hoc Sacram. ſed quia Scriptor recentiſſimus ea

ener-

enervare, aut eludere conatus eſt, erunt iterum afferenda, & magis illuſtranda, ſeu confirmanda. Primum eſt. Idem Card. lib. 12. cap. 10. agens de iis, quæ à Patribus aut dicta aut facta fuere, antequam doctrina contenta capite 4. ſeſſionis 14. circa attritionem ſtatueretur, refert, quinque ex Theologis congregatis dixiſſe, eſſe neceſſariam in hoc Sacramento dilectionem, nec id refert tantum, ſed affert ipſa eorum verba, & probationes, quibus aliqui ex ipſis id probare conati ſunt. Nunc interrogo, ad quid hoc? Si jam in prædicta ſeſs. 6. ſtatutum fuerat prærequiri charitatem in eo qui vult baptizari?

*Cler.* Ad confirmandam doctrinam ibi traditam.

*Auct.* At nemo petebat iſtam confirmationem, nec eâ hìc opus erat. Præterea ſi intenderunt id ſolum, cur non id dixerunt, ut ſolet, dum tradita doctrina confirmatur? Cur addiderunt probationes, & argumenta tanquam agerent de re controverſa? Cur inter probationes non attulere hanc, quæ præcipua erat, petitam videlicet ex his verbis ſeſſionis ſextæ? Cur eorum nihil meminere? Igitur per illa non ſignificarant Patres, eſſe neceſſariam charitatem, ſeu benevolam dilectionem in eo qui juſtificatur in Sacramento.

*Cler.* Argumentum verè eſt efficax.

3 *Auct.* Æquè efficax, aut efficacius eſt hoc alterum. Refert idem Pallavicinus ibidem, uti, antequam conderetur illud decretum circa Attritionem, quod modò habemus in dicto cap. 4. ſeſs. 14.

præparatum fuerat ab iis, qui decreta hujuſmodi concinnabant, aliud diverſum decretum, quo diſertè dicebatur, Attritionem conceptam *ſolum*, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, ſufficere ad Sacramenti Pœnitentiæ conſtitutionem. Noſſe autem debes, uti ex eodem Pallavicino prædicti Patres, quibus demandata erat horum conficiendorum decretorum cura, ſapientiſſimi erant, ideòque ad id muneris à toto Concilio electi, eamque doctrinam in his decretis Patribus proponebant, quam ab omnibus, aut, ut minimùm, à pleriſque Theologis in præviis congreſſibus, ac diſputationibus propugnari ipſi cum reliquis Patribus audiverant, aut quam aliundè noverant, eſſe communem doctrinam. Ergo hæc erat communis doctrina, aut ſaltem à pleriſque propugnata, ſufficere in hoc Sacramento prædictam attritionem benevolæ dilectionis expertem. Ergo per ea verba ſeſs.6. *Deum diligere incipiunt*, non erat ullo modo traditum requiri hanc dilectionem. Quis enim, niſi deſipiat, aſſerat hos Patres, aut ignaros, & immemores fuiſſe eorum, quæ ipſi in ea ſeſſione poſt multam Theologorum altercationem à Pallavicino relatam, docuerant, aut auſu temerario voluiſſe Patribus proponere ad definiendum, id quod erat doctrinæ ab iiſdem antea traditæ contrarium?

*Cler.* Id certè reſponſionem nullam habet.

4 *Auct.* Eludere tamen hoc argumentum, imò diruere conatus eſt Scriptor prædictus, qui anno præterito, nempè 1707. edidit diſſertationes quatuor

tuor de contritione, & attritione ; ſiquidem pag. 10. negat in eo decreto , in quo dicebatur , attritionem ſufficere , agi de attritione concepta ex ſolo metu : nam dicebatur ſufficere eo quod *ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix queat*. Ergo ( inquit ) *ea attritio ſpectata fuit non ut hærens in ſolo metu , ſed ut alicui amori præterea conjuncta*. Sed conatus hujus Authoris eſt prorsùs irritus ; cùm enim non dicatur , *non poſſe eſſe* ſine aliquo dilectionis in Deum motu , ſed *vix eſſe poſſe* , jam non ſpectata fuit , ut conjuncta neceſſariò alicui amori, ſed ut juncta ferè ſemper ; & ideò ſufficiens , non quia conjungitur , ſed quia ejus perfectionis eſt iſte actus , quo quis ex fide , & auxilio ſupernaturali , metu gehennæ , & pęnarum,efficaciter concuſſus deteſtatur omnia peccata commiſſa , & proponit non peccare amplius , & confiteri , ut ferè ſemper trahat ſecum aliquem actum amorit erga Deum . Igitur eo decreto docebatur,ſufficere actum,qui quamvis non ſoleat carere conjunctione amoris , poteſt tamen , & aliquando caret,ergo jam docebatur,non eſſe neceſſarium hunc amorem . Et confirmatur ex eo,quod,ut dixi, ſermo ibi eſt de attritione, quæ SOLUM concipitur ex gehennæ , & pœnarum metu , & hæc ſufficere dicitur .

5 Hic prædictus Author reſpondet , *à Patribus eam attritionem ſpectatam quoad ſuum exordium , præparationem , & diſpoſitionem , & non quoad ſuum ultimum , & completum ſtatum*, & in hoc ſenſu dici conceptam ex *ſolo* metu , quia ex ſolo metu

incipit, ſed hæc reſponſio eſt prorsùs inefficax, primò, quia etiam perfectiſſima contritio incipit ex ſolo metu, ut per Adverſarium incipit attritio hic deſcripta, nec tamen, qui definire, aut deſcribere vellet contritionem perfectiſſimam, diceret ſic abſolutè, eam eſſe actum, qui concipitur ex ſolo metu gehennæ, & pœnarum. Secundò de ea attritione ibi ſermo eſt, quam Lutherus dicebat facere hominem hypocritam &c. ſed Lutherus de eâ loquebatur, quæ non ſolùm incipit à metu, ſed ſiſtit in metu, & non progreditur ad motivum charitatis; alioquin etiam perfectam contritionem, & charitatem ipſam facere hominem hypocritam dixiſſet, quod certè non eſt auſus aſſerere.

6 Sed accipe totum hoc decretum, quod ex Cardinali Pallavicino fuerat præparatum, quodque reformatum fuit, ut ipſe judices, de qua ibi attritione ſermo ſit.

„ Illam Contritionem, quam Theologi Attri-
„ tionem vocant, quod imperfecta ſit, & SOLUM,
„ vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex
„ gehennæ, & pœnarum metu, qui ſervilis dicitur,
„ concipiatur; ſi voluntatem peccandi excludat, &
„ dolorem qualemcunque de commiſſis delictis ex-
„ primat, ſtatuit hæc ſancta Synodus, & declarat,
„ non ſolùm non facere hominem hypocritam, &
„ magis peccatorem (ut quidam blaſphemare non
„ verentur) verùm etiam SUFFICERE ad Sacra-
„ menti hujus conſtitutionem; ac donum Dei eſſe,
„ ac Spiritus Sancti impulſum veriſſimum, non

„ qui-

„ quidem adhuc inhabitantis, ſed tantum moven-
„ tis, quo pœnitens adjutus ( cùm ſine aliquo dile-
„ ctionis motu eſſe vix quæat ) viam ſibi ad juſti-
„ tiam munit, & per eum ad Dei gratiam faciliùs
„ impetrandam diſponitur.

7 Subdit Hiſtoricus. *Sed laudatus Epiſcopus* ( ſcilicet Tudetanus ) *monuit falsò dici, hujuſmodi dolorem ſine amore vix unquam concipi poſſe. Quod autem hæc Attritio ſatis eſſet Sacramento conſtituendo, itaut homini attrito deleantur peccata abſolutionis ſupervenientis vi, variare Authorum ſententias, adeòque eſſe id tollendum.* Quæ verba magis confirmant, quod dicebam, ſermonem in hoc decreto eſſe de attritione ſiſtente in metu; nam circa attritionem, quæ progreditur ad motivum charitatis, & ex ea concipitur, non variabant authorum ſententiæ, omneſque Doctores concedebant eam ſufficere, ac proindè non fuiſſet, cur ex iſto capite decretum reformaretur.

*Cler.* Ita eſt. Argumentum manet firmum, & inconcuſſum.

8 *Auct.* Accipe tertium quod peto ex iis, quæ dixit prædictus Epiſcopus Tudetanus, ut tollerentur ex decreto ea verba, quibus dicebatur prædicta Attritio ſufficere, & peto, cur hoc ſolum objecit ex prædicto Hiſtorico, quod nempè *variarent Authorum ſententiæ* circa illius attritionis ſufficientiam, & non potius objecit ea verba decreti ſeſſionis ſextæ, *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, quibus jam firmatum erat ( ut dicunt )

cunt) Attritionem ex ſolo metu conceptam non ſufficere in Baptiſmo, & jure potiori, nec ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ? Cur id non attulit, quod erat unicè afferendum? Alia afferri ratio non poteſt, quàm ea, quam dicebam, videlicet per ea verba non aſſeri neceſſitatem dilectionis, cùm adultus in Sacramento juſtificatur.

9 Accipe quartum. Putavit prædictus Epiſcopus Tudetanus, non eſſe definiendum, quod ſufficit noſtra Attritio in Sacramento, quia circa hoc *variabant Authorum ſententiæ*. Idque putat Hiſtoricus moviſſe Patres ad ea verba tollenda. Igitur mens Patrum fuit in hac Synodo non dirimere quęſtiones, in quibus variarent Doctores Catholici, idque idem Hiſtoricus paulò ante confirmat verbis diſertiſſimis. Ergo per ea verba *Deum diligere incipiunt* non docuerunt Patres requiri dilectionem in eo, qui vult baptizari; nam in hoc non conveniebant Doctores Catholici, imò plerique id requiri negabant. Hinc argumentum roboratur. Nam ſi Concilium noluit decidere, ut dicunt, quod erat inter Catholicos controverſum, multò minus voluit docere, quod à pleriſque, & ferè omnibus Catholis negabatur.

9 Quod autem eo tempore plerique, & ferè omnes negarent, hanc dilectionem requiri, docerentque ſufficere in adulto, qui vult baptizari, attritionem expertem charitatis, ſeu dilectionis benevolæ, probare poſſem afferendo eorum temporum Doctores; ſed quia hoc eſſet opus infinitum, aut nimis

nimis longum, faciam per compendium hoc modo. Thomiſtæ ita communiter docebant, ut teſtatur Dominicus Sotus in omnibus fide digniſſimus, ſed in hoc potiſſimum, quia, ut infra conſtabit, hanc quæſtionem fusè, ac diligentiſſimè pertractat. Verba Soti in 4. ſent. diſt. 12. quæſt. 2. art. 4. ſunt hæc. *Obſerva comparationem hanc, qua Baptiſmum cum pœnitentia componit* S. Thomas. *Unde THOMISTÆ INFERUNT, quod ſicut quæſtione præcedenti art. 3. D. Thomas dixit poſſe quempiam accedere cum conſcientia peccati mortalis ad Baptiſmum, ſcilicet cum attritione cognoſcens ſe non eſſe contritum, poſſit pariter & ad pœnitentiam*. Igitur Thomiſtæ tunc non ſolum docebant ſufficere in Baptiſmo attritionem, ſed addebant eam ſufficere, quamvis cognoſcatur. Nomine autem attritionis ſignificari à Soto, & à reliquis ejus præſertim temporis Doctoribus dolorem expertem charitatis, intelliges poſtea, nec intelliges tantum, ſed oculis tuis videbis, & manu tanges. Adde quod quæſitum nunquam fuit, an ſufficeret in Sacramento Baptiſmi, aut pœnitentiæ dolor conceptus ex charitate, ſeu dilectione Dei benevola, cùm hoc concederent omnes, ergo dum dicitur ſufficere attritionem *etiam cognitam*, ſermo eſt de ea, quæ non concipitur ullo modo ex tali dilectione, nam id ſolum vocabatur in controverſiam, & ab aliquibus negabatur. Idem Sotus in loco, quem infra allegabo, dicit eſſe certiſſimum, quod in Sacramento Baptiſmi ſufficit attritio ſaltem putata contritio, quod non dicit de attritione cogni-

ta,

ta, quia videlicet illud à nemine tunc, aut vix ab aliquo negabatur, vel Thomiſta eſſet, vel Scotiſta. Igitur utrique conveniebant, non requiri contritionem, ac dilectionem verè talem. Et quidem Scotiſtas fuiſſe hac in re nihil rigidiores Thomiſtis, imò fuiſſe etiam benigniores conſtat, cum ferretur fuiſſe ipſum Scotum hac in re benigniſſimum, ut dixi, cùm de Scoto agerem, & dicam infra. Demum habebatur tunc, ut certum, nec à D. Thoma, nec à Scoto, nec à Cajetano, nec ab aliis Scholæ Theologicæ principibus requiri charitatem, ſeu benevolam dilectionem in eo, qui vult baptizari, ergo quandoquidem tunc omnes, aut ferè omnes prædictos Doctores ſequebantur, jam omnes, aut ferè omnes ita ſentiebant. Ergo Concilium per ea verba *Deum diligere incipiunt*, non tradidit doctrinam oppoſitam, ac proindè non docuit requiri prædictam dilectionem, ſeu charitatem.

10 *Cler.* Conſequentia eſt indubitata. Sed negabunt antecedens, quod nempè tunc ferretur ea opinio eſſe D. Thomæ, Scoti, Cajetani &c. quorum certè doctrinam noluit ullo modo, nec explicitè, nec implicitè damnare Concilium, quod plenum erat Thomiſtis, Scotiſtiſque.

*Auct.* Ego verò illud antecedens probabo teſtimonio Scriptorum ejus temporis, aut paulò ſuperioris. Paulo ſuperioris fuit Gabriel Biel, & Franciſcus Victoria, nam primus docuit Tubingæ in Germania ſub finem ſæculi 15. aut ſub initium ſæculi 16. Alter docuit Salmanticæ labente jam ſæcu-

lo 16.

lo 16. paulò ante Concilium, tempore verò Concilii Tridentini ſcripſit Dominicus Sotus, eandemque Academiæ Salmanticenſis cathedram poſt Victoriam moderatus fuit. Sunt autem ſinguli non ſolum ſapientiâ præſtantes, ſed probitate & fide in referendis Doctorum ſententiis, eorumque potius intererat trahere Doctores in contrariam ſententiam, cum ipſi in Sacramento Pœnitentiæ requirerent contritionem & charitatem, primus quidem veram, reliqui duo ſaltem putatam.

11 Igitur Biel in 4. ſent. diſt. 14. qu. 2. dicit Scotum pluribus in locis docere, ſufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ ( adeòque, imò multò magis, etiam ad Sacramentum Baptiſmi ) fructuosè ſuſcipiendum, *velle ſuſcipere Sacramentum*, *& non ponere obicem actualis peccati*, quamvis alicubi doceat requiri aliqualem diſplicentiam. Et paulò poſt affert aliam opinionem, quæ docebat non ſufficere prædictam intentionem, & remotionem prædicti obicis non peccando actualiter, ſed requiri poſitivam peccati diſplicentiam, non tamen contritionem, ac proindè ſufficere attritionem, quæ ſine Sacramento non expellit peccatum, nec affert gratiam, & ſubdit, *hæc opinio eſt D. Thomæ*. Loquitur autem evidentiſſimè de attritione non concepta ex charitate, & quidem nec inchoatâ; nam poſtea dicit, quod dolor, qui eſt propter Deum ſuper omnia dilectum, ſufficit, ut Deus ſtatim infundat gratiam, *quantumcunque fuerit remiſſus, & momentaneus*, idque pluribus probat. Eandem ſententiam, quam

dicit

dicit eſſe D. Thomæ, attribuit Biel aliis primariis Doctoribus.

12 Alter, nempè Victoria, Relect. 1. de poteſt. Eccleſiæ, *Nota primò* (inquit) *quod Doctor ſubtilis in* 4. *diſt.* 14. *quæſt. ult. art.* 3. *videtur expreſsè dicere, quod non requiritur alia diſpoſitio, ut aliquis per hoc Sacramentum Pœnitentiæ recipiat gratiam, niſi ſolùm, ut velit recipere, & ſe ſubjicere clavibus. Et idem dicit de Sacramento Baptiſmi. Cajetanus etiam nominatim de Baptiſmo dicit* 3.*p. qu.*36. *art.*2. *ad* 1. *quod ad remiſſionem peccatorum etiam mortalium in Baptiſmo non exigitur aliquis dolor, ſed ſola voluntas recipiendi Baptiſmum in remiſſionem peccatorum. S. Thomas etiam* 3.*p.q.* 97. *art.*3. *ad* 2. *dicit quod Baptiſmus datur per modum abſolutionis, ut eſt generatio, ideſt mutatio de non eſſe ſpirituali ad eſſe ſpirituale, ideò non inconvenit accedere ad Baptiſmum cum conſcientia peccati mortalis.* Ex Victoria autem, imò ex S. Thoma, ut eum intellexere Thomiſtæ, judicio Soti paulò ante allegati, idem eſt accedere cum conſcientia peccati mortalis, ac accedere cum attritione cognita, & quidem cum attritione non concepta ex ulla charitate, cùm in ſententia utriuſque omnis dolor conceptus ex charitate utcunque remiſſa peccatum expellat, & deleat omnem culpam.

13 Dominicus Sotus in 4.diſt.6. art.7.poſtquam definivit Contritionem, & Attritionem, quod millies facit per hæc verba, *Contritio eſt dolor propter Deum, ſeu de offenſa Dei, Attritio verò dolor propter*

*pter Inferni ſupplicia, aut propter aliquod temporale detrimentum*, & poſtquam ſtatuit aliquas Concluſiones, antequam ſtatuat ſextam ſic habet. *Scotus in 4. d.4. qu.5. & Durandus q.2. & Paludanus q.1. & Recentiores dicunt ſufficere attritionem. At quia non diſtinguunt de attritione cognita, aut de illa, quę exiſtimatur contritio, neſcimus quid dicant. Videntur tamen ſentire, quod ſufficiat etiam illa, quæ cognoſcitur eſſe attritio*. Idque erat illud, de quo unicè dubitabatur, an prædicti Authores docuiſſent ſufficere attritionem *cognitam*, an *incognitam*, *& putatam contritionem*: at verò circa D. Thomam dicit, eum docere, quod ſufficit etiam cognita, ut ex eodem ſupra allegato, reliqui Thomiſtæ dicebant, hinc poſtquam eam etiam cognitam ſufficere ipſe docuit, ſubdit, *Et confirmatur Authoritate D. Thomæ ſupra infra qu.80. art. 4. dicentis Baptiſmum poſſe dari infirmis, & d.79. art.3. ad 2. ait convenienter eum accedere ad Baptiſmum, qui habet conſcientiam peccati mortalis*. Et paulò poſt. *Imò verò Cajetanus, ut infra d. 86. art. 2. patebit, affirmare videtur, nullum alium requiri pœnitentiæ actum in eo, qui ad Baptiſmum accedit, quam velle ſuſcipere Baptiſmum in remiſſionem peccatorum. Neque verò forſan à veritate eſt alienus, ſed de hoc illic. Nam hoc fortaſsè intelligit hìc D. Thomas dicens, quod requiritur voluntas amplectendi Baptiſmum*. Ex quibus habes, adeò non putaſſe tunc Doctores ab D. Thoma exigi in eo, qui vult baptizari charitatem, ut primarii ejus Interpretes, vel diſcipuli, qua-
les

les certè fucere Card. Cajetanus, & Dominicus Sotus putarint, ex mente S. Doctoris ſufficere virtualem pœnitentiam conſiſtentem in actu, quo peccator *vult ſuſcipere Baptiſmum in remiſſionem peccatorum*, aut ſaltem de hoc dubitarint.

Ex his confirmatur primò, quod dixi circa D. Thomam, & Scotum, cùm eorum doctrinam expoſui in ſæculo 13. nempè ab ipſis verè non exigi dolorem ex charitate conceptum in eo, qui ad Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ accedit, quod confirmabitur etiam infra teſtimonio Doctorum, qui ſcripſere poſt Tridentinum, & docuerunt expreſsè, ac diſertiſſimè ſufficere ex D. Thoma in utroque Sacramento attritionem ex ſolo metu gehennæ conceptam. Quis enim ſibi arroget majorem, certioremque notitiam ſcriptorum, & mentis S. Doctoris, quam ea ſit, quam habuerunt tot inſignes Scriptores omnium nationum, & Ordinum, qui floruerunt ante Concilium quique potiſſimum, & magis clarè ſcripſere poſt illud, quos infra allegabo?

14 Colligitur ſecundò veriſſimum eſſe illud antecedens argumenti à me ſupra propoſiti, nempè tempore Concilii Tridentini putaſſe Doctores, à S. Thoma, Scoto, aliiſque inſignibus Authoribus doceri, non requiri in eo, qui vult baptizari, dolorem ex charitate, ſeu benevola Dei dilectione conceptum, ac proindè hanc tunc fuiſſe ſententiam communem Theologorum, qui, præſertim in hoc, à tam inſignibus Doctoribus non receſſerunt; unde con-

conficiebam illud ineluctabile argumentum. Concilium Tridentinum, ut ex verbis prælaudati Epiſcopi Tudetani colligitur, & ut notat Cardinalis Pallavicinus in loco allegato, noluit decidere quod erat inter Catholicos controverſum, & multò minùs voluit ullo modo damnare doctrinam communem Thomiſtarum, & Scotiſtarum, quæque habebatur ſententia D. Thomæ, Scoti, Paludani, Cajetani, aliorumque inſignium Doctorum. Ergo per ea verba *Deum diligere incipiunt*, nullo modo, nec explicitè, nec implicitè ſignificavit requiri in eo, qui vult baptizari benevolam dilectionem, nec ſufficere attritionem expertem charitatis, quod, ut audiſti à Soto, negabatur à ſuis Thomiſtis, quodque negabatur à Scotiſtis, & ferebatur tanquam negatum à prædictis tam præclaris authoribus, quorum exiſtimationi honorique idem Concilium ubique conſuluit; hinc, ut refert idem Hiſtoricus prędicto cap. 10. tam cautè condi decretum, quo agitur de partibus pœnitentiæ, voluere Patres, ut non videretur damnata opinio Scoti, & rursùs ſuperſedendum cenſuerunt damnatione cujuſdam propoſitionis, ubi audiverunt, eam eſſe doctrinam Adriani, & Cajetani, quamvis eam damnare antea ſtatuiſſent, ut idem Pallavicinus ibidem refert.

15 *Cler.* Certè, aut falſa ſunt, quæ is Hiſtoricus refert de eo decreto pręparato, de dictis ab Epiſcopo Tudetano, ut hoc decretum reformaretur, de prudenti Patrum reſpectu in tradenda doctrina, quæ illæſam relinqueret doctrinam D. Thomæ, Sco-

ti, aliaſque ſcholaſticas ſententias, aut prorsùs ineluctabilia ſunt argumenta, quæ hactenùs confeciſti. Sed ego ſuſpicor falſa eſſe, quæ hìc refert Hiſtoricus, & præſertim illud quod Patres parcere voluerint Scholaſticis opinionibus, imò aſſerere omninò debemus, id eſſe falſum, alioquin cogemur dicere, Tridentinum non favere noſtræ ſententiæ aſſerenti attritionem expertem charitatis ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ: ſi enim favet noſtræ, jam adverſatur ſententiæ oppoſitæ, ergo non parcit opinionibus Scholaſticis, quarum una tunc erat, & modò eſt opinio exigens in hoc Sacramento charitatem.

*Auct.* Reſpondeo, debere te diſtinguere in Pallavicino ea, quæ narrando refert, ab iis quę ratiocinando colligit. Quod Patres parcere voluerint opinionibus Scholaſticis, non refert, ſed colligit, hæc enim ejus verba ſunt in eo cap. 10. num. 4. *Et revera, QUANTUM EX ACTIS CONJICIO, Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tanquam inhoneſtum improbantium pœnæ timorem, non item, ut ferrent ſententiam de Scholaſtica quæſtione &c.* Similiter ex eo quod Tudetanus dixerit, variare circa ſufficientiam Attritionis authorum ſententias, colligit, Patres motos fuiſſe ad reformandum illud decretum, perindè ac ſi verè noluerint definire quod erat apud aliquos controverſum. In his autem collectionibus, aut conjecturis, facilè decipi potuit, cùm præſertim ipſe tueretur ſententiam illam, quæ aliqualem dilectio-

ctionem exigit in Sacramento Pœnitentiæ, quam proindè illæſam conſervare volebat. In illis autem, quæ refert, ut Hiſtoricus, deceptus non fuit, cum extent Acta, in quibus ea continentur. Quæ autem hactenus argumenta propoſui, confeci præſertim ex jis, quæ refert. Nam refert eorum quinque Theologorum ſuffragia pro neceſſitate contritionis, in quibus nullum verbum hujus decreti ſeſs. 6., nulla mentio eorum verborum, *Deum diligere incipiunt*. Refert pariter decretum quod erat præparatum, quod eo modo condi non potuiſſet, ſi fuiſſet oppoſitum traditum antea per prædicta verba, *Deum diligere incipiunt*. Refert quæ objecit Epiſcopus Tudetanus, inter quę nulla mentio ſeſſionis 6. & prædictorum verborum, quæ erat maximè facienda. Refert tandem caviſſe Patres, ne videretur damnata doctrina Scoti, & ſuperſediſſe eâ damnatione doctrinæ Adriani, & Cajetani; & aliundè conſtat nunquam à Synodis damnari ſententias communes, nec certè voluiſſe Patres Tridentinos damnare doctrinam, quæ, tunc ſaltem, erat doctrina Thomiſtarum. Ex his, quæ certa & indubitata ſunt, conficiuntur argumenta, quæ attuli, & non ex prædicti Authoris fallibilibus conjecturis. Igitur firma illa ſunt, ut firmum eſt eorum fundamentum.

16 Hoc ſolum quod ſubtexo, objici poteſt. Idem Hiſtoricus non conjectando aſſerit, ſed narrando refert, acriter diſceptatum in conventu Patrum fuiſſe, antequam firmaretur doctrina cap. 6. prædictæ ſeſſionis 6. an inter actus ibi recenſitos nu-

merari deberet etiam dilectio, ac proindè addi ea verba *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, ac, fruſtra aliis repugnantibus, eos viciſſe, qui pro eorum verborum additione pugnarant. Non igitur eo loci agitur de actibus requiſitis in illo, qui juſtificatur extra Sacramentum, ad hanc enim juſtificationem prærequiri charitatem, nemo dubitat, ac proindè non poterant Theologi in hoc diſcordare. Reſpondetur tamen, quod, quamvis Patres agant ibi de præparatione ad juſtificationem extraſacramentalem requiſita, ut patet ex toto contextu, & ex argumentis, quæ attuli; & quamvis fortè Patres plerique convenirent in eo, quod charitas requireretur, aliqui tamen id negabant, ut negant etiam modò juxta ea, quæ dixi, cùm Scoti doctrinam propoſui. Certè ſciebant, antiquos aliquot Doctores putaſſe, juſtificari peccatorem eo ipſo, quod concipit verum, & ſupernaturalem dolorem cum verò propoſito, ſi præſertim doleat de peccatis, ut eſt offenſa Dei, vel id faciat ex motivo charitatis, vel religionis, vel obedientiæ, vel juſtitiæ, quorum Doctorum, putabant, habendam eſſe rationem. Rursùs aliqui docebant, juſtificari peccatorem eo ipſo quod dolet de peccatis ex motivo charitatis, quamvis non ex charitate, putantes videlicet poſſe ex verò motivo charitatis, nempè propter Dei bonitatem, concipi deteſtationem peccatorum ſine actu formali charitatis, ſeu dilectionis, quod etiam modò aliqui docent. Aliqui demum docebant, requiri quidem formalem charitatem, ſeu dilectio-

nem,

nem, non tamen neceſſarium eſſe, ut ea præeat ipſam juſtificationem, tanquam diſpoſitio, ſed ſufficere, ut eam comitetur, vel ſequatur, contra quos peroravit Dominicus Sotus, ut mox audies. Non igitur defuere, qui poſſent obſiſtere ei decreto, quo definiebatur, vel ſaltem poterat aliquibus videri, quod definiretur, prærequiri ad juſtificationem actum charitatis. Igitur, & verum eſt quod refert Pallavicinus, nempè diſceptatum hic fuiſſe à Theologis, nolentibus aliquibus, aliis volentibus prædicta verba inſeri decreto, & verùm eſt quod hactenùs ex eodem Pallavicino argumentis ineluctalibus oſtendi, loqui Patres in eâ parte decreti de ſola preparatione neceſſariâ ad juſtificationem, ut ipſa verba decreti, & titulus capitis 5. indicant; non de preparatione neceſſaria ad Baptiſmum.

17 *Cler.* Optimè quidem. Adhuc tamen remanet ſcrupulus. Pallavicinus non ſolùm refert, viciſſe eam partem Patrum, quæ inſeri decreto ea verba voluit, ſed addit, hos Patres motos ea ratione fuiſſe, quod *ſi tota pœnitentia eſſet ex timore juſtitiæ, & ſi dolor eſſet ex ſolo metu pœnæ conceptus, & non propter Dei offenſam, eſſet infructuoſus*. Igitur Theologi contrarii contendebant ſufficere dolorem ex ſolo metu conceptum: nullus autem docuit, hunc ſufficere extra Sacramentum; quamvis aliqui docuerint ſufficere eum, qui concipitur ex motivo juſtitiæ vindicativæ, vel religionis, vel gratitudinis, vel obedientiæ, ut dicebas. Ergo non agebatur de diſpoſitione prærequiſita ad juſtificationem ex-

traſacramentalem, ſed Sacramentalem.

*Auct.* Reſp. non defuiſſe ex antiquis, qui docuerint, ut ſupra innui, ſatis eſſe, etiam extra Sacramentum, dolorem quemcunque ſupernaturalem conjunctum cum vero propoſito, quamvis conciperetur ex ſolo metu gehennæ, & cum hoc juſtificatos fuiſſe Hebræos in ea lege timoris. Saltem videntur non putaſſe certum eſſe, quod is dolor non ſufficeret, & ideò definiviſſe contritionem, etiam quæ ſufficit ad juſtificationem, per ea duo ſola prædicata doloris, & propoſiti, ut dixi cum agerem de Scoto, qui ipſe videtur fuiſſe hac in re dubius, ut colligi poteſt ex ea qu. 2. diſt. 14. Et quia eâdem incertitudine fortè laborabant aliqui ex prædictis Theologis, ideò obſtitere.

## §. II.

### *Idem colligitur ex Dominici Soto Commentariis in 4. ſentent.*

HOC ipſum probare nunc volo alio argumento validiſſimo, nempè authoritate Doctoris omnium judicio præſtantiſſimi, quem tamen fuiſſe omnium dementiſſimum, aut maximè temerarium, neceſſe eſt dicere, ſi verè Patres in hac ſeſs. 6. per ea verba *Deum diligere incipiunt*, ſignificarunt neceſſariam eſſe charitatem in adulto, qui ad Baptiſmum accedit.

1 Is eſt Dominicus Sotus, quem ſupra non ſemel allegavi; hìc autem ex potiori causâ proferendus

dus eſt, utpotè qui hanc controverſiam de neceſſariâ ad Baptiſmum, & Sacramentum Pœnitentiæ diſpoſitione diligentiſſimè, ac diſtinctiſſimè tractavit in Commentariis in quartum ſententiarum, poſtquam interfuit eidem ſeſſioni ſextæ. Primam enim partem horum Commentariorum typis tradidit an. 1557. alteram verò an. 1560. Hæc autem ſeſſio habita fuit an. 1547. ipſo præſente, ut idem Sotus in loco infra allegando teſtatur, & colliges ex Bibliothecâ Altamuræ, & ex hiſtoriâ Card. Pallavicini; ex quibus etiam cognoſces, quis fuerit Dominicus Sotus, quæ ejus doctrina, quæ probitas, nimirum, utrumque decus tam ſingulare in eo fuiſſe, ut ex utroque habitus fuerit, aut primus, aut inter primos ejus ævi Theologos, Scriptoreſque. Doctrina certè, & ſapientia, qua cæteris præſtabat, effecit, ut primas ſui Ordinis, & celeberrimæ Academiæ Cathedras moderaretur, ac Tridentum miſſus, Patribus in condendis decretis præ reliquis Theologis conſilio ſuo, operâ, ac diligentiâ eſſet adjumento. Probitas, quâ abundabat, effecit, ut diù ante mortem, munus Cæſarei Confeſſarii quo fungebatur ſanctiſſimè, abdicaret, & conſtantiſſimè recuſaret Segobientem Epiſcopatum, ad quem ſuis meritis, aliorum precibus, voluntate Principum vocabatur.

An putas, tantum virum ignoraſſe, quæ ante ſuos oculos agebantur in Synodo Tridentina, quæ Theologorum eſſent in congreſſibus, quibus aderat, ſententiæ, quæ magis communis, magis probata do-

ctrina? An putas eum ignoraſſe decreta Concilii, cui Concilium ipſum commiſit, ut refert idem Altamura, latino, facilique ſermone ordinare decreta ſeſſionum? Id certè nemo credet. Non ignoravit igitur illam, quam Pallavicinus refert, Theologorum, inter quos erat ipſe, in diverſas ſententias abeuntium, concertationem, additionem factam verborum, cauſam additionis, ſenſum & mentem Patrum. An putas, tantum virum hæc omnia ſcientem potuiſſe tradere Orbi univerſo, coram toto Concilio, quod nondum ſolutum erat, doctrinam eidem Concilio contrariam, idque facere in his commentariis, in quibus tam ſępè, ac tanta cum reverentia hujus Concilii meminit, quoſque elaboravit ſummo ſtudio, ediditque, mortem ſibi adeſſe præſentiens, ut ipſe dicit in fine Operis per hæc verba, *Opus ergo, quod Dei nutu auſpicatus ſum, ejus tandem ductu abſolutum eſt. Hunc meus mihi præſagit animus, laborum futurum meorum poſtremum. Vitam in chartulis prælegendis, interlineandis, reviſendiſque, & lambendis penè inſumpſi. Exilitatem ingenii mei, pauperiemque prodidi, quare neque ignorantiam excuſo. Fidem autem Domini mei Jeſu Chriſti (teſtis ipſe eſto) quanta cum fide, ſinceritate, & candore, ſervare, elucidare, protegere, tutari, & pro meo exiguo talento magnificare ubique, ſemperque curaverim, cujus (ut ſecundum inſipientiam meam ad Dei laudem loquar) nonnullum in Concilio Tridentino teſtimonium perhibui &c.*

Quis credat, virum tam candidum, tam ſincerum,

rum, tam pium, tam doctum voluiſſe, imò potuiſſe in re tanti momenti, qualis eſt diſpoſitio neceſſaria ad fructum Sacramenti tam neceſſarii, recedere à doctrina Concilii Tridentini, à verò ſenſu eorum verborum, quæ, ipſo præſente, fuerant addita decreto? Id nemo unquam credet.

*Cler.* Niſi deſipiat.

*Auct.* Igitur non receſſit à vero ſenſu eorum verborum, & multò minus doctrinam tradidit ei contrariam?

2 *Cler.* Abſque dubio.

*Auct.* Nunc audi, quid doceat circa hanc præparationem Baptiſmo fructuoſo neceſſariam. Attende, num exigat in ea aliquam veram charitatem & contritionem, vel ſolam attritionem, quidque nomine Contritionis, & Attritionis intelligat.

In prædictis Commentariis in 4. ſent. diſt. 5. quæſt. unica art. 4. in fine poſtquam docuit, uti prima conditio adulti baptizandi eſt, ne obice Sacramento obſiſtat, ſubdit. *Hæc autem conditio aliam excitat dubitationem, videlicet quis nam ſit obex gratiæ? Vtrum ſcilicet ad tollendum obicem requiratur vera contritio, an verò attritio ſufficiat, qui eſt DOLOR PROPTER SVPPLICIA, VEL ALIA TEMPORALIA INCOMMODA. Imò verò, an ſatis ſit, ut accedens, negativè ſe habeat, ut videlicet peccata neque placeant, neque diſpliceant. Hæc autem dubitatio diſt. ſequenti art. 7. quæ eſt de fictè accedentibus ad Baptiſmum, aptiùs diſſolvetur.*

Diſtinctione ſequenti, nempè ſexta, art. 7. pro-

propoſitam dubitationem, ut promiſerat, diſſolvit per plures concluſiones. Sed priùs iterum definit Contritionem, Attritionemque his verbis, *Contritio eſt dolor propter Deum, ſeu de offenſa Dei, Attritio verò dolor propter Inferni ſupplicia, aut propter aliquod detrimentum temporale.* Inde diſtinctâ Attritione cognita à non cognita, ſuas Concluſiones ita ſtatuit. *Sit prima Concluſio. Ad dignè ſuſcipiendum Baptiſmum ſufficit non opponere obicem gratiæ*; qua concluſione probata, ſubdit. *Sed dubium eſt, quid requiratur ad tollendum obicem, utrum ſufficiat quod privativè ſe habeat erga peccata, an verò requiratur aliquis actus poſitivus.* Adeò Doctores non docebant communiter, non requiri charitatem, ut controverterent, ac dubitarent, an requireretur aliquis actus poſitivus, quod infra magis conſtabit.

Hoc dubio ſoluto per hanc ſecundam *Concluſionem. Ad Baptiſmum requiritur in adulto aliquis actus poſitivus pœnitentiæ mortalium*, adductoque in probationem eo textu Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*, deſcendit ad hanc tertiam concluſionem. *Non requiritur deteſtatio peccatorum in particulari &c.* & paulò poſt ad hanc quartam Concluſionem. *Si vera contritio ante Baptiſmum adſit, quæ eſt dolor propter Deum cum voto ipſius Baptiſmi, vel implicito, ubi eſt ignorantia invincibilis Baptiſmi, vel explicito, ſi jam ſit ejus prædicatio audita, per illam tolluntur omnia peccata tam originale, quàm mortalia, ſed tamen Contritio non eſt neceſſaria.*

3 No-

3 Nota hic obiter 1. uti docet aliquando ſufficere votum implicitum Baptiſmi, ut ſufficit votum implicitum reſtituendi rem alienam, obſervandi dies feſtos, aliaque faciendi, quæ ſunt lege præcepta. Quare non abs re dixi in alio meo libro, quod ſi verè diceretur, Sacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ remittere peccata, etiam in caſu, quo remittuntur per præviam contritionem perfectam (ut dicunt, qui eam eſſe in utroque Sacramento neceſſariam docent) quia contritio non remittit peccata, niſi ut includens votum Baptiſmi, aut votum ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, jam eſſet verùm quod etiam reſtitutio rei alienæ, obſervatio diei feſti, & alia hujuſmodi remittunt peccata, ut faciunt prædicta Sacramenta, cùm contritio non remittat peccata, niſi ut includens ſaltem implicitè votum reſtituendi rem alienam, obſervandi dies feſtos &c.

4 Nota 2. principaliter, quod vim tollendi omnia peccata non attribuit ſoli Contritioni, quæ ſit ex charitate perfecta, ſed omni contritioni, *quæ eſt dolor propter Deum*, ſi adſit etiam votum ſaltem implicitum ſuſcipiendi Baptiſmum, nempè propoſitum obſervandi totam legem Dei, adeòque dolor ſit *propter Deum*, & *ſuper omnia*. Dummodò hæc adſint, ex Soto peccata omnia tolluntur, quæ duo certè adſunt quotieſcunque adeſt vera charitas, quamvis non ſit perfecta, ſed ſolùm inchoata. Idque Sotus docet tanquam certum, & communi ſuffragio receptum, quod non facit, dum ſtatuit Concluſiones tunc controverſas.

Hanc

Hanc verò ſuam Concluſionem probat ea ratione, qua probant illi, qui perſuaſum habent, ab omni contritione concepta ex charitate deleri peccata lethalia. Id enim tantùm affert in probationem, *quòd aliàs Baptiſmus, dum adulto confertur, nunquam remitteret peccata, quia SEMPER inveniret ablata, nec faceret ex attrito contritum, atque adeò nec eſſet Sacramentum mortuorum ad ipſos vivificandum inſtitutum: ſanè cum talem effectum nunquam ſortiretur*, nempè per ſe. *SEMPER*, inquit, *inveniret ablata*, quotieſcunque præcedit dolor, propter Deum, junctus cum eo propoſito, adeòque conceptus ex charitate: nec ulli tunc veniebat in mentem ea diſtinctio charitatis inchoatæ à charitate perfecta. Hinc in tota hac quæſtione ſolùm diſtinguit dolorem, qui *eſt propter Deum* cum dicto propoſito, à dolore, qui non eſt propter Deum, ſed ex inferiori motivo, qui poteſt eſſe multiplex, ſed magis communis eſt ille, qui procedit ex ſolo metu, de quo potiſſimum tunc erat quæſtio inter Doctores; & ideò ſtatim ſic tranſit ad hunc.

5 *Quinta Concluſio. Ad Baptiſmum ſufficit Attritio exiſtimata contritio*. Subditque. *Hæc etiam certiſſima eſt*. Sic autem abſolutè nemo ſapiens vocat eam propoſitionem, quæ ſibi ſoli certiſſima eſt, ſed eam, quæ communi ſententiâ habetur pro certiſſima. Igitur Sotus, & reliqui communiter tunc putabant eſſe certiſſimum, per ea verba, *Deum diligere incipiunt*, nec definiri, nec innui ullo modo, quòd eſſet neceſſaria charitas aliqua, nec ſufficeret

dolor

dolor ex metu conceptus. Si enim charitas requiritur, jam nunquam ſufficit iſte dolor, utcunque putetur contritio. Quare mirabile ſit, quod is Doctor recentiſſimus putet, favere ſibi Doctores, qui requirunt contritionem, aut veram, aut putatam, adeòque putant ſufficere attritionem exiſtimatam contritionem; nec videat, jam ruere fundamentum præcipuum ſententiæ ſuæ, petitum ex prædictis verbis ſeſſionis ſextæ. Si enim per ea verba *Deum diligere incipiunt*, ſignificatur charitas, & ibi enumerantur actus neceſſarii, ut omnes noſtri Adverſarii dicunt, jam ſemper requiritur vera charitas, & non ſolum putata, nec unquam ſufficit Attritio expers charitatis, utcunque putetur contritio orta ex charitate, ut ſuprà etiam monui. Quare id nobis ſatis eſſet. Sed ulteriùs progreditur Sotus. Sic enim poſt quintam concluſionem dicere pergit.

6 *Dubium poſtremum ſupereſt, utrum ſufficiat Attritio nota, ita quòd ille qui accedit, benè intelligat, ſe non dolere propter Deum, ſed propter pœnas Inferni, vel propter aliud quidpiam.* Et poſtquam expoſuit, quid circa hoc videantur docuiſſe Doctores antiqui, non diſſimulat hujus dubii ſolvendi difficultatem ſic dicens. *At re vera non eſt debile argumentum, quod hujuſmodi attritio non ſufficiat. Non dico, quando metus Inferni eſt motivum ad inducendum timorem filialem propter Deum, nam illum liquidum eſt ſufficere, ſed quando in SOLO ILLO METU perſiſtitur. Nam dolere ſolum propter Inferni tormenta, aut aliud incommodum temporale non*

*eſt*

*eſt dolere de offenſa Dei. Qui enim ſic affectus eſt, non dolet ſe Deum offendiſſe, ſed illa ſe incurriſſe pericula, & damna. Qui autem non dolet de offenſa Dei, certè non amovet voluntatem ſuam à peccato, quatenus peccatum eſt, ſcilicet quatenus contra Deum. Atque adeò non ſolùm permanere videtur in macula peccati, verum quodammodò in complacentia. Et confirmatur quia jus naturæ admonet, ut qui alium offendit, non antea illi reconcilietur, quàm eum pœniteat, ſe illum offendiſſe. Qui enim Patrem meum occiderit, ſi poſtea eum non propter me pœnitet, ſed propter patibulum, neutiquam eſt mea amicitia dignus.*

Adhuc tamen hanc ſextam concluſionem ſubjicit. *Sufficit ad Baptiſmum hujuſmodi nota attritio &c.* Inde reſpondet argumentis ſic. *Et ad argumentum modò factum reſpondetur, quod licet talis attritio non ſit converſio, eſt tamen amotio voluntatis à peccato, ſi adſit intentio emendandi vitam, ut cum intentione recipiendi Baptiſmum ad recipiendam gratiam in remiſſionem peccatorum ſit ſufficiens diſpoſitio ad ſuſcipiendam gratiam per virtutem Sacramenti.*

Poſtea ſubdit. *Et confirmatur hæc ratio, quia ille, qui in tali diſpoſitione martyrium pateretur, cenſeretur gratiam ſuſcepiſſe. Et tertiò id confirmatur authoritate D. Thomæ ſupra citata. Infra q.80. art. 4. dicentis, Baptiſmum poſſe dari infirmis. Et diſt. 79. art. 3. ad 2. ait, convenienter eum accedere ad Baptiſmum qui habet conſcientiam peccati mortalis.*

*lis. Et per hoc reſpondetur ad argumentum proximè factum. Negatur, ſcilicet, quod iſte attritus maneat in complacentia peccati, quandoquidem ex hoc quod habeat peccati conſcientiam, non ſequitur, eum manere in complacentia, ſed dumtaxat in macula: peccatores autem manentes in ſola macula, dictum eſt diſt. præced. art. 4. eſſe baptizandos. Atque ad aliud de jure naturæ, reſpondetur ſatis eſſe ad reconciliationem, quod homo attritus ſuſcipere velit, recipiatque Baptiſmum, quem Deus ad ſuam reconciliationem inſtituit.* Hactenus Sotus. Quid hìc dicent Adverſarii? Non ſunt hæc pauca verba hinc inde excerpta, ut pleraqne, aut omnia ſunt, quæ allegantur ab ipſis, præferentia ſubindè ſic divulſa à reliquis ſenſum contrarium menti Auctoris, ſed eſt integer hujus noſtræ quæſtionis tractatus, iſque clarè diſtinctus in concluſiones ſic propoſitas, ut proponuntur à nobis, ſic probatas, ut probantur à nobis. Non eſt igitur ambigendi locus de mente Auctoris, non de vera ſignificatione vocum *Attritionis*, & *Contritionis*; nam utrumque dolorem definit. Quid ergo dicent?

*Cler.* Dicent, afferri demum unum Scotum.

7 *Auct.* Unum affero, ſed qui par eſt quingentis. Unum affero, ſed in uno Scholam Thomiſticam, quam idem ſenſiſſe, refert idem Sotus in 4. ſentent. diſt. 12. quæſt. 2. art. 4. ejuſque verba recitavi ſupra, & in tract. de Dolore lib. 1. cap. 5. num. 23. Unum affero, ſed in uno omnes. Si enim ejus opinio fuiſſet contraria Tridentino, fuiſſet abſque dubio id illi

illi objectum, cùm tam multi ei ſeſſioni interfuiſſent, nec ipſe omiſiſſet retractare, aut explicare traditam doctrinam, ut fecit in hoc ipſo volumine, in cujus calce religioſiſſimè retractat ipſe, & corrigit, quæ in omnibus ſuis libris aut non ſatis probata fuerant, aut non ſatis probanda, cognovit. Id autem quod hìc docet, retractavit nunquam, nunquam correxit, aut mutavit, aut correcta ab aliis fuere, quamvis pluries fuerint hi commentarii recuſi. Demum unum affero, ſed ex quo ſolo hoc ineluctabile argumentum conficitur.

Aut Sotus ignoravit quæ ipſo vidente & audiente facta & dicta ſunt à Theologis & Patribus in hac ſeſſione ſexta ejuſque pręparatoriis congreſſibus; aut novit illa quidem, ſed doctrinam ei ſeſſioni oppoſitam diſertiſſimè, & ſumma cum temeritate vulgavit; aut in ea ſeſſione non continetur verè doctrina contraria prędictis Soti concluſionibus. Duo priora ſunt abſque dubio falſa, eaque nemo affirmare audebit.

*Cler.* Niſi demens ſit.

*Auct.* Ergo eſt verum ultimum. Ergo per ea verba *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, non ſignificarunt Patres fructum Baptiſmi non percipi ab adulto, niſi cum actu aliquo charitatis accedat.

Hæc tibi pluſquam ſatis eſſe videri poſſunt, ſed mihi ſatis non ſunt; volo ut iterum, audias Sotum & quidem hanc ipſam doctrinam capitis ſexti ſeſſionis ſextæ explanantem, imò atteſtantem, ſe

Aucto-

Auctorem fuiſſe, ut decretum eo modo, quo nunc habetur, fieret, & exigeretur antè juſtificationem fides, indè ſpes, & charitas, & tamen ex eodem decreto probantem, non requiri charitatem antè Baptiſmum. Tantum abeſt, ut per ea verba, *Deum diligere incipiunt* ſignificarint Patres, requiri in Baptiſmo charitatem. Quid dices, cum hæc audieris?

*Cler.* Dicam, ab Adverſariis lectum minimè fuiſſe Sotum.

*Auct.* Id ſi dices tantùm, modeſtiſſimè dices; non credes tamen. Nam quomodo tibi perſuadeas, lectum non fuiſſe Sotum ab iis, qui Sotum ſæpè allegant, ut facit prædictus recentiſſimus Scriptor, præſertim pag. 50. ubi allato textu in quo Sotus dicit, non eſſe articulum fidei, aut Eccleſiaſticam definitionem, quod Atrritio ſufficiat, ita ſubdit. *Quo teſtimonio viri Actorum Concilii participis, neſcio an deſiderari poſſit quidquam expreſsius, aut in rem noſtram fortius*. Sed ipſe tene memoria hæc verba, ut, cùm audieris Sotum in hoc alio loco quem dicebam, clariſſime differentem, cogas hunc Scriptorem fateri, nihil fortiùs in rem noſtram, & contra ſe afferri poſſe.

## §. III.

### *Idem argumentum alio loco Dominici Soti roboratur*.

1 IS locus eſt in lib. 2. de Natura & gratia, quod opus ex eo etiam in hac noſtra controverſia majorem authoritatem habet, quòd ipſum Triden-

tino Concilio dedicavit. Fuiſſet autem intolerabilis audacia offerre tanto Conſeſſui narrationes falſas eorum quæ in ipſo Conſeſſu evenerant, coram Patribus, qui manifeſtæ falſitatis revincere eum potuiſſent, & revicto pœnam infligere; nec minoris temeritatis fuiſſet Concilio dedicare doctrinam Concilii decretis à ſe optimè perſpectis contrariam.

In hoc autem libro Sotus totus eſt in explananda doctrina hujus ſeſſionis ſextæ Concilii Tridentini circa juſtificationem, hinc cap. 1. ſtatim ponit hanc primam concluſionem. *Nemo ſuæ voluntatis utens arbitrio cum Deo reconciliatur, niſi motione liberi arbitrii diſpoſitus, & præparatus, ut SANCTA MODO SYNODUS definivit*. Hanc autem diſpoſitionem explicatis per decem priora capita terminis controverſiæ, & erroribus Hæreticorum circa fidem juſtificantem, exponere aggreditur cap. 11. quod eſt *de adultorum juſtificatione*, & ſimiliter incipit à Tridentino definiente adverſus Lutheranos, nos pertrahi ad juſtificationem, non vi, ſed ita liberè, ut inſpirationem Dei & abjicere poſſimus, & amplecti, ſtatuitque cum eodem Tridentino primam concluſionem, qua dicit, *primum opus, quod ad noſtram juſtificationem à nobis requiritur, eſt fides*.

2 Capite 12. agit *de juſtificatione adulti à ſolo originali*, & ſimiliter ſtatuit, *in hoc, primùm omnium, eſſe neceſſariam fidem*, inde requiri actus ſpei & charitatis; & quidem hanc requiri tam ſæpè docet,

cet, & probat hìc & infra, tamque abſolutè, ut poſſent Adverſarii ex hoc Doctore valdè locupletari, multiſque ejus textibus nos impetere, niſi aliunde ejus mens conſtaret, & ideò eos afferre conſtitui, tum, ut ex ipſo explanante hanc ſeſſionem ſextam Concilii, & exigente charitatem in eo qni juſtificatur ſine Baptiſmo, eam non exigente in eo qui juſtificatur in Baptiſmo, intelligas ſimiliter exigi in primo caſu, non exigi in ſecundo à Tridentino, tum, ut diſcas parum fidere textibus ſic divulſis à reliquis partibus: habet enim Sotus multos hujuſmodi, quos ſolos ſi attendas, omninò colliges, eſſe ſemper & in omni caſu neceſſariam charitatem, ut adultus juſtificetur. Et tamen id negat Sotus, ut audiiſti, & audies.

Igitur in hoc capite, poſtquam abſolutè docuit, requiri, ut is adultus diſponatur non ſola fide, ſed ſpe & charitate, id probat, quia Deus *fidem exigit maximè, ut ob ſuam ipſius infinitam, quam nobis retegit, bonitatem ipſum deamemus*. Confirmat ex eo, quod ſine amore non habetur converſio ad Deum. *Per hoc*, inquit *quod quis Deo credat, niſi ſpe, & amore feratur in eum, non convertit in ipſum totum animum, qui tamen, antequam convertatur, non poteſt gratia perfundi &c. Quamobrem non ſolum fidei, ſed & ſpei, & charitatis actus debet ſaltem naturâ ipſam antecedere*. Poſtea affert ea loca Scripturæ, quæ ſolent afferri ab Adverſariis, ut probent in omni adultorum juſtificatione prærequiri actum charitatis, illudque Apoſtoli,

*In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur*, ſic explicat, *Quamvis fides abſque charitate fides quidem ſit ſecundum ſubſtantiam, & proprietatem, nunquam tamen juſtificat, niſi per charitatem operetur*. Nota ly *nunquam*. Affert etiam illud Auguſtini, *hujus fidei per charitatem operantis omnes Chriſtiani filii ſumus, ſeu ab illa progeniti*. Quæ quidem videntur ſonare neceſſitatem charitatis in quacunque juſtificatione adulti, cùm Deus ſemper exigat fidem, quam, dicit, exigi propter ſpem & charitatem; ſemper exigat converſionem; cùmque Auguſtinus dicat, *omnes* eſſe progenitos adeoque juſtificatos ex fide per charitatem operante, ergo etiam illos qui juſtificantur per Baptiſmum, de quibus hìc loqui videtur Sotus, nam ſubdit paulò poſt, *quæ quidem diſpoſitio ſufficiens erat in lege naturæ, per quam Deus hominem ab originali mundatum in gratiam ſuam reciperet. Attamen in lege jam nunc Evangelicâ, neceſſarium inſuper eſt votum Baptiſmi, quin & Baptiſmus ipſe, ubi adſit facultas*.

Neceſſariam pariter ſemper eſſe charitatem, videtur docere capite ſequ. nempè 13. quod eſt *de adultorum juſtificatione ab actualibus*, nam docet, requiri ad hanc obtinendam, præter actus fidei, & ſpei, etiam actum pœnitentiæ, quo etiam indigere dicit eos qui relapſi ſunt poſt Baptiſmum, & ſubdit, *eſt tamen ſemper neceſſarius charitatis actus ex auxilio Dei, qui proxima eſt diſpoſitio*. Nota ly *ſemper*.

*Cler.*

*Cler.* Id notavi, & niſi me præmonuiſſes, dicerem certè, hìc Sotum mutaſſe ſententiam, & exigere etiam in Baptiſmo charitatem; qui enim ſic abſolutè dicit, *ſemper* eſſe neceſſarium actum charitatis, ut adultus juſtificetur, dicere videtur eſſe neceſſarium, vel juſtificetur extra Sacramentum, vel in Sacramento.

3 *Auct.* Hinc diſce, quod dicebam antea, quàm nihil probent hujuſmodi textus, quibus libros ſuos infarciunt Adverſarii. Confer illos, vel D. Auguſtini ſint, vel aliorum Patrum, cum his quos hìc attuli ex Soto, & videbis in his magis quam in illis commendari, inculcari, & probari neceſſitatem charitatis, ut adultus juſtificetur, & in utriſque id aſſeri abſolutè, & ſine ulla limitatione. Et tamen certum eſt, in allegatis textibus agere Sotum dumtaxat de diſpoſitione neceſſaria, ut adultus juſtificetur extra Sacramenta, idque ſemper debere intelligi. Ergo id etiam debet ſubintelligi in ſimilibus textibus Patrum, aliorumque multorum Theologorum, vel ſaltem ex illis, colligi nequit, mentem eorum Doctorum fuiſſe, ſignificare neceſſitatem charitatis, etiam dum adultus juſtificatur per Sacramenta.

*Cler.* At unde habes, hìc Sotum agere de ſola diſpoſitione requiſita ad juſtificationem extraſacramentalem, nec propugnaſſe hìc ſententiam contrariam ei, quam alibi defendit. Id enim fecerunt multi Doctores retractantes quod olim docuerant.

*Auct.* Non id fecit Sotus qui ſemper eandem, circa præſentem controverſiam, ſententiam defen-

dit, & mox, ut audies, in hoc ipſo libro, & in ſequentibus capitibus iterum diſertè docet charitatem in accedentibus ad Baptiſmum non eſſe neceſſariam, & ſufficere attritionem etiam cognitam.

*Cler.* Cur ergo in his capitibus quæ percurriſti, ſic abſolutè ſic univerſaliter docet, requiri charitatem ad juſtificationem?

4 *Auct.* Quia in his capitibus non agit de diſpoſitione requiſita ad Sacramentum, nec de diſpoſitione qualicunque, ſed de diſpoſitione ad juſtificationem, quibus ſignificatur certè diſpoſitio non ſolum remota ſed proxima ad juſtificationem, agit igitur de actibus, quibus poſitis neceſſariò ſequitur juſtificatio: ſemper autem inter hos actus debet adeſſe charitas in communi ſententia, aut ſaltem ſolet, adeſſe ut dicunt omnes. Et ideò eam quoque enumerat cum reliquis actibus Concilium Tridentinum, quod in eo cap. 5. & 6. ſeſſionis ſextæ, quam hìc interpretatur Sotus, agit ſimiliter de diſpoſitione ad juſtificationem; hinc titulus cap. 5. non eſt is, *De neceſſitate præparationis ad Baptiſmum*, ſed is, *de neceſſitate præparationis ad juſtificationem*, & titulus capitis ſexti eſt is. *Modus præparationis*, nempè prædictæ, qua diſponimur ad juſtificationum, & ideò incipit. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam &c.* Non autem dixit, *diſponuntur autem ad Baptiſmum*. Et ideò enumerat omnes illos actus: & rursùs docet, non ſolùm eos haberi, ſed ita, ut præeant; ad refellendos videlicet Hæreticos, qui primò docuerunt nos præparari

rari

rari ad juſtificationem per ſolam fidem, deindè addiderunt, Deum infundere etiam pœnitentiam, nec denegarunt, adeſſe etiam ſpem, & charitatem, ſed ita ut hæc duo ſubſequantur juſtificationem, non antecedant tanquam diſpoſitiones. Hanc autem eſſe mentem Soti, & Concilii non aſſero divinando, aut ex levi conjectura, ſed ex iis, quæ in hoc eodem cap. 13. dicit idem Sotus hoc ſextum caput ſextæ ſeſſionis explanans. Poſtquam enim probavit, requiri in adulto peccatore præter fidem, etiam pœnitentiam, dicit, Lutheri diſcipulos deſciviſſe à Luthero dicente pœnitentiam eſſe novam vitam, jamque admittere actum aliquem pœnitentiæ tanquam neceſſarium, vel is actus ſit terror conſcientiæ incuſſus ex prædicatione Evãgelii, ut dicit Melancthon in Apologia; vel deteſtatio peccati excitata à Spiritu Sancto, ut dicit Bucerus, quem citat, quin admitti ab eis in juſtificatione eos actus qui admittuntur à nobis, ſed non eodem modo, additque. *Id denique in calce ex iſta diſputatione colligendum eſt, quod juſſus de hac re dicere in Synodo præfatus ſum. Nempè quod non ſatis Lutheranis contradicitur, ſi pronuncietur, ſpem, & charitatem coire cum fide in articulo juſtificationis. Nam id plus æquò ipſi largiuntur: tantum abeſt, ut negent. Ajunt enim, ut ſæpiſſimè adnotavimus, gratiam, quæ ſola fide apprehenditur, ſubſequi protinus ſpem, & charitatem, & ideò Melancthon in Apologia utrumque dicit, primum, quod fides non ſolum eſt principium, & exordium, ut nos dicimus, ſed quod propriè, ac*

*verè ipsâ ſolâ fide propter Chriſtum juſti reputamur; & paulò poſt, impoſſibile eſt, dilectionem Dei divellere à fide. Punctum verò contradictionis hoc eſt, quod quemadmodum actus fidei informis, ſaltem naturâ antecedit gratiam, ita neceſſe eſt, antecedant actus ſpei, & charitatis. Itaque fides non eſt totus, ſed primus actus, quo convertimur. Id quod perſpicienter in ſua confeſſione ſeſſionis ſextæ confeſſa eſt Sancta modò Synodus Tridentina cap. 6. ubi de illis, qui ab originali ſimul, & actualibus reconciliantur ſic habet. Diſponuntur ad ipſam juſtitiam, dum excitati Divinâ gratiâ & adjuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum &c.* Hic recitat ſextum iſtud caput ſeſſionis ſextæ totamque illam ſeriem actuum ibi deſcriptorum, nempè fidei, timoris, ſpei, fiduciæ in Chriſtum, initialis dilectionis, & propoſiti, iiſdem prorsùs verbis, quibus eam exhibet Concilium in cap.6.

5 Audiiſti jam, uti Sotus non ſolùm ſe contulit aliquando ad Concilium (quod multi fecerunt, qui tamen non interfuere eo tempore quo hæc ſancita fuere) ſed interfuit huic ſeſſioni, præfatus eſt in Synodo, cùm ageretur de doctrinâ eo capite contentâ, auctor fuit, ut decretum eo modò conderetur, quo eſt conditum (adeò non repugnavit volentibus inſeri actum dilectionis) quia videlicet ibi ſoli Hæretici refellebantur, qui agebant de juſtificatione acquiſita per noſtrum actum, nempè per fidem, eoſque terrores, vel ſuſciperetur, vel non ſuſciperetur Sacramentum. Hinc recitatis prædictis verbis

Syno-

Synodi Tridentinæ, abſolutoque hoc ſuo capite 13. incipit tradere ſuam doctrinam de ſufficientia attritionis in Baptiſmo, tamque certò novit, Patres in ea enumeratione actuum non agere de diſpoſitione neceſſaria ad Sacramentum, nec per ea verba *diligere incipiunt* poſtulare charitatem in accedente ad Baptiſmum, ut potiùs ex illis verbis, quæ ſequuntur: *ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet*, colligat, ſufficere in Baptiſmo attritionem. Quare eandem hìc doctrinam tradit circa hanc controverſiam, quam ſupra audiiſti.

6 Et primò, hìc etiam dicit, in hoc diferre contritionem ab attritione quod, *contritio ſit dolor peccatorum propter Deum, attritio verò dolor peccatorum non quia ſunt offenſa Dei, ſed quatenus nobis nocua, nimirum quia cauſa ſunt pœnæ aut in hoc aut in futuro ſæculo*, hæc enim tunc erat utriuſque nominis ſignificatio. Rursùs charitati attribuit eſſe proximam diſpoſitionem ad gratiam, non verò ſoli charitati intenſæ, imò paulò ante rejiciens Scotum dicit expreſsè intenſionem non requiri in contritione qua remittuntur peccata, & *Patres de hujuſmodi gradualibus intenſionibus nihil nos docuiſſe*, ideſt non poſtulaſſe unquam in prædicta contritione hanc intenſionem.

Secundò hìc etiam ſtatuit eam concluſionem, *Ad Baptiſmum non eſt neceſſaria contritio*, quod probat pluribus locis S. Doctoris, ſed eo præſertim,

tim, in quo dicit *Baptiſmum eſſe inſtitutum ad regenerandum hominem, & removendum peccatum*, ex quo S. Doctor infert, quod *ad Baptiſmum nec charitas, nec contritio requiritur, ſed ſufficit attritio.* Hic ſubjungit Sotus. *Quod ſi nos quiſpiam contradictionis redarguat, ex eo quod præfati ſumus, cuicunque reconciliando neceſſarios eſſe motus fidei, ſpei, & charitatis, reſpondetur, quod abſque Sacramento requiritur actus charitatis qui ſit vera contritio: petenti autem Baptiſmum ſatis eſt inchoatio charitatis per attritionem, quæ perficitur ablutione ipsâ, qua velut inſtrumento paſſionis Chriſti, infunditur cum gratia charitas.* Vide, quid Sotus vocet charitatem inchoatam, non actum qui verè ſit charitas, quamvis remiſſa, ſed attritionem ſuam, quam ſupra dixit concipi ex ſolo metu.

7 Tertiò tandem quærit, an ſit baptizandus qui accedit cum attritione cognitâ ideſt *ſciens, ſe non dolore propter Deum, ſed propter timorem Inferni.* & reſpondet. *Crediderim nihilominùs, ſub peritiorum cenſura, baptizandum eſſe hujuſmodi notum attritum propter cauſam prædictam. Nempè quod de ſe Baptiſmus ſit regenerationis Sacramentum ordinatum ad remiſſionem cujuſvis peccati, ubi non reperit complacentiæ obicem. Complacentia verò ſatis tollitur per quemcunque dolorem. Accedit Authoritas S. Thomæ citata 3. p. quæſt. 68. ubi ait, quod ſufficit in baptizando apparere aliquod ſignum interioris converſionis. Loquitur ergo de innoteſcente attritione. Et quæſt. 79. art. 3. ad 2. conſtituens differen-*

*ferentiam inter Euchariſtiam, & Baptiſmum, ait, quod cùm Baptiſmus ſit ſpiritualis regeneratio, ordinatus, ut faciat ex peccatore juſtum, non inconvenienter accedit qui habet conſcientiam peccati mortalis. Secùs de Sacramento Euchariſtiæ in quo porrigitur Chriſtus, tanquam cibus, & alimentum jam viventis per præcedentem gratiam. UNDE SANCTA SYNODUS TRIDENTINA SESS. 6. CAP. 6. ANTE BAPTISMUM SOLUM REQUIRIT MOTUM ADVERSUS PECCATA PER ODIUM, inquit, ALIQUOD, ET DETESTATIONEM, HOC EST PER EAM POENITENTIAM, QUAM ANTE BAPTISMUM AGI OPORTET.*

Et eſt qui nobis obtrudat hanc ſeſſionem ſextam, verba addita, hiſtoriam Card. Pallavicini, & ex his putet confici aliquod argumentum? An Sotus Theologus præſtantiſſimus, Theologus Tridentinus, Theologus bene conſcius omnium, quæ ante hanc ſeſſionem & in ea dicta & geſta ſunt, Theologus auctor hujus decreti aut adiutor eorum qui ipſum condidere, adeò ignoravit mentem Patrum, qui decreto ſubſcripſerunt, ut oppoſitam doctrinam in eo contineri non putet ſolum, ſed aſſerat, ſed ſcribat, ſed orbi toti teſtetur, ſuamque ſam falſam interpretationem offerat ipſi Concilio Tridentino? Quis hoc audeat aſſerere?

*Cler.* Certè non aſſeret is Scriptor recentiſſimus, qui (ut ipſe paulò ante notaſti ejus verba recitans) allato teſtimonio Soti, dixit, tantæ authorita-

ritatis illud eſſe, utpotè *viri Actorum Concilii participis*, ut vix poſſit fortiùs argumentum afferri.

*Auct.* Habes igitur quid in poſterum regeras obtrudentibus hoc ſextum caput ſeſſionis ſextæ, eaque verba millies decantata, *Deum diligere incipiunt*. Affer hæc duo loca Dominici Soti Theologi præſtantiſſimi, religioſiſſimique qui (id repeto, ut ſemper repetas) adfuit Concilio, adfuit huic ſeſſioni, adfuit præviis Theologorum congreſſibus, qui ea verba in decreto, eoſque actus eo ordine poni ſuaſit, qui eorum ſenſum explanat in libro, quem offert ipſis Patribus Tridentinis, qui explicatè, expreſsè, & rotundè ea verba interpretatur, ut nos interpretamur, qui ſententiam quæ docet, in Baptiſmo ſufficere Attritionem conceptam ex ſolo metu, tradit tanquam certiſſimam, tanquam in hoc ipſo capite contentam, quique hanc ſuam ſententiam, nullo reclamante, defendit ſemper, imò in poſtremo ſuo opere quod ſcripſit in 4. ſentent. confidentiùs defendit, & ſine ulla formidine, ut intelliges, comparans utriuſque loci verba ſuperius recitata. His Adverſariorum os oppilabis penitùs.

8 *Cler.* Id me facturum ſperarem, niſi, ut ipſe pro te affers Sotum, ita ipſi pro ſe alios afferrent qui pariter interfuere Tridentino, inter quos afferunt ipſum Sotum.

*Auct.* Ecquid dicunt hi quos afferunt? Quid Sotus?

*Cler.* Sotus dicit non eſſe certum, nec eſſe definitum, quod attritio cognita ſufficiat in Sacramen-

mento. Alii verò dicunt, eſſe neceſſariam charitatem, dicunt, debere eum,qui peccavit,deteſtari peccata, quatenus ſunt offenſa Dei, ſine amore non obtineri veniam, & alia hujuſmodi.

*Auct.* Quæ videlicet ad rem præſentem non faciunt; non ſolùm, quia aut generalia ſunt, aut dicta ab iis, qui agunt de pœnitentia neceſſaria extra Sacramentum, aut ab iis qui non definiunt ſtrictè quod eſt neceſſarium, ſed ſuadent, & inculcant quod eſt optimum; ſed etiam quia non id quærimus modò, an charitas requiratur in ſuſcepturo hoc Sacramentum, vel non requiratur, an ſit vel non ſit certum, ac definitum, quod attritio cognita ſufficiat. Sed hoc tantùm, an Concilium Tridentinum eo loci ſeſſionis ſextæ, illiſque verbis *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, ſignificarit, eſſe neceſſariam charitatem in peccatore adulto, qui accedit ad Baptiſmum. Id nego multis argumentis, & præſertim teſtimonio Soti qui adfuit, & id ibi ſignificatum à Patribus negat, & negat coram Patribus Tridentinis, nimirum in Opere ipſis dedicato, & exponens ſtudioſiſſimè idem decretum. An hoc teſtimonium tam præclarum eliditur quatuor ſententiolis, quibus dicitur neceſſaria charitas, quibus ſuadetur, aut inculcatur dolor peccati prout eſt offenſa Dei, & aliis hujuſmodi, quamvis excerpta ſint ex ſcriptis eorum qui interfuere Tridentino? Afferant ſi poſſunt Theologum Tridentinum, qui dicat, eſſe neceſſariam diſpoſitionem ad Baptiſmum adulti charitatem verè

& ſtri-

& ſtrictè talem, quamvis remiſſam, addatque, id ſignificatum à Patribus in ea ſeſs. 6. per verba prædicta. Afferant pro ſe Theologum Soto æqualem probitate, ac doctrinâ, Theologum profitentem agere ſe interpretem decretorum Tridentini.

*Cler.* Vegam afferunt inſignem utraque laude Theologum, qui Tridentinæ Synodo inter celebriores illius ævi Theologos, prædictæque ſeſſioni interfuit, & doctrinam de Juſtificatione fuſiùs quam Sotus, nempè totis *quindecim libris juxta germanam ſententiam Orthodoxæ veritatis, & ſacri Concilii Tridentini*, ut in prima Voluminis facie legitur, *præclarè defendit*.

*Auct.* Vegam afferunt quidem, & ſententias ex his libris excerptas afferunt, ſed in caput ſuum afferunt, ut mox non audies tantum, ſed videbis. Habeo enim hic ejus, quod laudabas, volumen egregium, nec loca recitabo ſolum auribus tuis, ſed oſtendam oculis, ut ipſe legas, quæ recito, iterumque diſcas, quam parui facere debeas eas tam multas ſententias Doctorum, textuſque malè disjunctos ex toto conteſtu, quos contra nos afferunt Adverſarii.

## §. IV.

### *Noſtram doctrinam confirmat Andreas Vega.*

1 LIb. 7. *qui eſt de præparatione adultorum ad juſtificationem* cap. 12. acturus in ſpecie & ſingulatim de ſex illis diſpoſitionibus, quarum memine-

minere Patres Tridentini in eo cap. de quo agimus, ſic præmonet lectorem. *Non ita Patres harum ſex diſpoſitionum hoc loco meminerunt, ut aſſerere voluerint, eas omnes neceſſarias eſſe, & neminem, vel una earum deficiente, juſtificari*, quod probat & ſubdit. *Propterea verò hæ ſex diſpoſitiones hìc ſunt expreſſæ, & is potiùs, quem videmus, quàm alius ordo eſt expoſitus, quia iſtæ ſunt potiſſimè diſpoſitiones noſtræ, & ut plurimùm impii, & infideles hac viâ, & ordine veniunt ad juſtitiam, & ubi alia peculiaris cauſa non interveniret, hoc quoque ordine à nobis trahendi ad eam ſunt, & inducendi.*

2 Similiter cap. 28. ejuſdem lib. exponens ſingillatim prædicta verba decreti, *Illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, monet, uti Patres, *Ideò dilectionis Dei dumtaxat meminere ſub ea ratione, qua per eam Deum diligimus, ut omnis juſtitiæ fontem, quia UT PLURIMUM ita contingit, ut qui ſe per dilectionem Dei ad juſtitiam diſponunt, eum ut fontem omnis juſtitiæ diligant, & ſic in illum amore ferantur, ut in eum, à quo uno ſe juſtificari poſſe intelligunt, & juſtificandos confidunt. Sed poſſet ad juſtitiam diſponere dilectio Dei ſub aliis etiam rationibus, nempè ſub ratione juſti, vel miſericordis, vel remuneratoris, aut denique ſub ratione ſummi boni &c.* Quod validè confirmat id, quod dixit antea, nempè haud recenſeri hìc à Concilio quæ omninò neceſſaria ſunt, ſed quæ ut plurimùm ſolent evenire, dum quis per contritionem juſtificatur: ſolet enim ſemper aliquo amore benevolo

volo ferri in Deum, ſaltem ut largitorem gratiæ, & veniæ, quam deſiderat obtinere; quamvis poſſet juſtificari (juxta eos Doctores, quorum memini cum agerem de Scoto) per pœnitentiam ex ſolo motivo juſtitiæ, aut gratitudinis, aut religionis conceptam, aut ex motivo quidem charitatis, ſed non excitante ad formalem charitatem, ſed ſolum ad odium peccati ut contrarii majeſtati Divinæ. Igitur ex Vega Patres per illa verba *Deum diligere incipiunt* adeò non ſignificarunt, eſſe neceſſariam charitatem in eo, qui vult ſuſcipere Baptiſmum, vel Sacramentum Pœnitentiæ, ut nec ſignificarint eſſe neceſſarium formalem actum charitatis in eo qui juſtificatur extra Sacramenta.

3 Dixi *formalem actum charitatis*, quo Deus diligatur propter ſe & ſuper omnia. Hunc enim à Concilio non exigi per verba prædicta, clariùs, imò clariſſimè affirmat ibidem Vega poſt verba allegata, ita ſubdens. *Porrò Sancta Synodus non ſtatuit hoc loco, an dilectio Dei, quæ diſponit ad juſtitiam ſit dilectio Dei ſuper omnia. Temperatum prorsùs eſt à verbo ſuper omnia, tantumque eſt definitum, dilectione Dei diſponi peccatores ad juſtitiam. Et in can. 3. tantùm adjectum eſt, ad diligendum Deum, ſicut oportet ad aſſequendum juſtificationis gratiam, opus eſſe præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ipſius adiutorio, qua ex definitione colligi non poteſt, dilectionem Dei ſuper omnia, antecedere juſtificationis gratiam. Poteſt quippè dici & minorem illa ſufficere ad obtinendam gratiam, &*

*ſolùm*

*ſolùm inde colligitur ad quancunque ſufficientem, opus eſſe auxilio Spiritus Sancti ſpeciali.*

Fatetur tamen ipſe poſtea ex communi Scholaſticorum ſententia dilectionem Dei ſuper omnia diſponere ad juſtitiam, & ideò Patres uſos illis verbis, velut ad oſtendendam hanc communem ſententiam (per quæ, prædicta conciliari poſſunt cum iis, quæ dicit, & refert Sotus) quamvis temperaverint verbis, quibus videretur definiri, actualem & formalem charitatem eſſe neceſſariam diſpoſitionem ad juſtificationem.

4 Hinc idem poſtea hunc titulum præfigit capiti 30. *Juſtificari poſſunt homines abſque dilectione Dei ſuper omnia, non tamen abſque dilectione Dei.* Et poſtea in ipſo capite, poſtquam probavit eſſe neceſſariam aliquam dilectionem Dei, ita ſubdit. *Non tamen perinde certum eſt, & incontroverſum, qualis, & quanta debeat eſſe hæc dilectio Dei, quam neceſſariam eſſe affirmamus ad juſtificationem noſtram. Sed cùm Divinæ in nos miſerationis viſcera attentiùs mecum perpendo, tutò, & indubitanter affirmare nos poſſe, crediderim, eam Dei dilectionem ad gratiam neceſſariam eſſe, & SUFFICERE, quæ ſatis eſt, ut de lethalibus ejus offenſis doleamus, & mandata ipſius ſervare proponamus. Et ubi tantum in aliquo affectum in Deum deprehenderimus, illum hac ex parte ad gratiam idoneè ſe præparaſſe, minimè hæſitemus. Neque Sanctos Doctores majus aliquid video requiſiſſe.* Igitur ex hoc Doctore ſufficit ea dilectio, vel affectio, qua quis dolet de offenſis

Dei, & proponit non peccare amplius: ad id autem non requiri charitatem docet manifeſtè eo titulo capitis, *juſtificari poſſunt homines abſque dilectione Dei ſuper omnia*. Præterquam quod indubitatum eſt, poſſe concipi eum dolorem & propoſitum ex ſolo motivo juſtitiæ, vel alterius hujuſmodi virtutis, ut ſupra dictum eſt.

Ex his omnibus conficitur, Patres Tridentinos ex Vega, non docere eo capite 6. ſeſſionis ſextæ, requiri neceſſariò omnes illos actus ibi recenſitos, & rursùs illis verbis, *diligere incipiunt*, non ſignificare dilectionem propriam charitatis, qua diligitur Deus propter ſe & ſuper omnia, ſed aliam inferiorem, vel ibi agant Patres de diſpoſitione neceſſaria in Sacramento, vel de diſpoſitione neceſſaria, & ſufficienti extra Sacramentum, ut docet Sotus, & non obſcurè dicit Vega, dum de prædicta dilectione ſemper agit quatenus eſt neceſſaria & ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, non verò quatenus eſt diſpoſitio ad Sacramentum, cujus non meminit.

5 Et quidem, quod attinet ad Sacramentum, eſt indubitatum ab hoc Doctore non exigi in eo prædictam diſpoſitionem charitatis; ſiquidem, ut fatentur Adverſarii, & colligitur ex dictis, non exigit Vega in Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ contritionem, & charitatem perfectam, quæ per ſe juſtificat. Ergo non exigit ullam charitatem, verè talem, adeòque nec eam, quæ dicitur remiſſa, & ſolùm inchoata, nam cap. 32. ejuſdem lib. 6. dicit,

*Dile-*

*Dilectionem Dei ſuper omnia, quæcunque illa ſit, juſtificare poſſe peccatorem.* Et cap. 24. lib. 13. dicit, *nullam eſſe certam intentionem, nullum certum fervorem, qui neceſſarius ſit, ut deteſtatio peccatorum debitis alioqui circumſtantiis perfecta* (nempè concepta ex gratiæ auxiliis, & propter Deum (*remiſſionem peccatorum obtineat*, & hunc capiti titulum ſtatuit, *Quantumcunque remiſſa deteſtatio peccatorum reparare poteſt lapſos*.

6 Ea verò, quæ poſtea in ipſo capite dicit ad hoc probandum, mirificè confirmant argumentum, quo ſupra probavi, & infra probabo, non eſſe in prædictis Sacramentis neceſſariam charitatem, petitum ex eo, quod id Eccleſia non docet. Hæc enim affert inter alia multa. *ILLUD etiam perſuadere nobis deberet hanc ſententiam* aſſerentem non eſſe neceſſariam in contritione reconciliante ullam intenſionem, *quòd neque ECCLESIA unquam exegit hujuſmodi intenſiones à peccatoribus, neque Sancti Doctores docuerunt id eſſe neceſſarium. Quin Chryſoſtomus in verbis illis mox allegatis, quantulancunque pœnitentiam ſatis eſſe aſſeruit. Et ECCLESIA, nulla tali requiſita intenſione, aut fervore gratiam Sacramenti Baptiſmi pollicetur illis, qui cum Fide Sacramenti, & propoſito illud reverenter ſuſcipiendi, de hac vita deceſſerunt.* Igitur optima eſt ex Vega in hac materia tam neceſſariâ ſcitu, ea noſtra collectio. *Eccleſia non docet id requiri, Ergo non requiritur.* Subdit verò poſtea. *Ubi præterea eſt præceptum de hoc? Ubi Deus tam durum, & difficilem ſe*

 *oſten-*

*oſtendit; redire in ſuam gratiam volentibus? Cur addamus onera oneribus, præcepta præceptis? &c. Si magnus, & vehemens dolor de peccatis neceſſarius eſt, quomodo nunquam expreſſa eſt à Deo certa requiſita intentio? Quomodo item veriſimilè eſt, Deum dediſſe præceptum, de cujus impletione, vel tranſgreſſione nemini noſtrum poſſit conſtare? Quis enim intenſiones ſuorum actuum noverit &c. Angelis quidem, qui gradus ſuorum affectuum diſtinctè poſſunt noſſe, talia ferri præcepta nullum eſſet incommodum: ſed hominibus, qui hæc aſſequi non poſſumus, abſonum eſt, & ſupra omnem planè veriſimilitudinem, Deum ſapientiſſimum, & æquiſſimum legislatorem tale aliquid præcepiſſe. Multòque abſurdius hoc fuiſſet in hoc præcepto, cujus impletio omnibus peccantibus eſt neceſſaria. Unde neque Eccleſia, neque Principes, neque parentes, neque Confeſſores, neque aliqui omninò homines adcò ſtulti, & parum providi fuiſſe probantur, ut vel ſibi, vel aliis hujuſmodi intenſiones impoſuerint in affectibus, ad quos ſe, vel alios voto, vel præcepto adſtrinxerint. Perſuaſum quippè omnes habuerunt, neque ſtatui, neque capacitati hominium talia onera convenire.* Quia verò Hadrianus, quem hic impugnat, dicebat, hanc intenſionem, quamvis neceſſariam, non præcipi, benè reponit Vega. *Abſurdum planè, & minimè ferendum videtur, quod quidam eruditus Doctor aſſeverat, modum certum neceſſarium eſſe in dolore, ut reconciliet nos Deo, verum illum non eſſe in præcepto. Præceptum namque pœnitentiæ indictum eſt, ut nos reconciliet Deo,* ac proindè

indè cum deberemus baptizari, vel confiteri, vel cum volumus miniſtrare Sacramentum, & nolumus confiteri, ea pœnitentia prẹcipitur, quæ reconciliet nos Deo, ergo intenſa, & flagrans, ſi hæc ſola reconciliet. Hanc autem eſſe præceptam, nemo ſibi perſuadet, nec perſuadere debet, dum Eccleſia quẹ deberet id docere, non docet. Hæc eſt doctrina Vegæ, quem ſi pro ſe allegant noſtri Adverſarii, ut dicis, multò magis poterunt allegare nos, qui tam acriter Adverſariorum ſententias non refellimus.

*Cler.* Non allegant hunc Doctorem pro hac parte doctrinæ, in qua nimis manifeſtè ipſis adverſatur, ſed pro ea, qua dicunt eſſe neceſſariam in ſuſcepturo Sacramentum Baptiſmi, vel pœnitentiæ, charitatem ſaltem remiſſam, nec ſufficere dolorem conceptum ex metu geheunæ.

*Auct.* At ex illo ſequitur hoc, ut dicebam, nam ex Vega omnis deteſtatio peccati propter Deum *quantumcunque remiſſa* per ſe reconciliat, ut audiviſti; at docet, non eſſe neceſſariam in hoc Sacramento contritionem per ſe reconciliantem. Ergo docet nec eſſe neceſſariam illam deteſtationem remiſſam, ſeu conceptam ex charitate remiſſa.

*Cler.* Negabunt minorem, nimirum ab eo non exigi in Sacramento contritionem per ſe reconciliantem.

*Auct.* Id ipſi non negant, nec negare poſſunt: nam præterquam quod adverſaretur ipſis, qui non exigunt in Sacramento id genus contritionis, attuli ſupra plures ejus textus in quibus expreſsè dicit juſtifi-

ſtificari poſſe homines,& quidem etiam extra Sacramentum, ad minùs in Sacramento *abſque dilectione Dei ſuper omnia.* Ergo in Sacramẽto eam non exigit.

7 *Cler.* Dicent, ſaltem docere eum, non ſufficere noſtram attritionem, nempè deteſtationem peccatorum conceptam ex ſolo metu gehennæ.

*Auct.* Nec id poſſunt aſſerere, ſi volunt vera dicere, nam hoc eodem cap. 24. lib. 13. ubi docet ſufficere ad reconciliandum Deo peccatorem *deteſtationem peccatorum quantuncunque remiſſam*, Adverſario objicienti, quod ſi id verum eſt, omnes juſtificarentur per ſuum dolorem, antequam à Sacerdote abſolvantur, nec is, qui morienti denegat abſolutionem, diceretur, ei ſalutem adimere, & eſſe cauſa cùr damnetur, cùm omnes habeant ſaltem remiſſam deteſtationem, reſpondet, iterum docens omnes ſalvari, qui antè mortem dolent propter Deum, quamvis dolore remiſſo, ut dixit antea, ſed negat omnes habere hunc dolorem, & dicit aliquos dolere ſolùm ex metu gehennæ, hoſque primò juſtificari per abſolutionem Sacerdotis, qui proindè, niſi eos abſolvat in morte, cauſa eſt, cur damnentur. Audi ejus verba. *Nullus peccatorum perit, qui antè mortem dolet de ſuis peccatis propter Deum. Sed ideò ſalutem hominum adimere dicitur quiſquis mortis tempore pœnitentiam ei denegat, quia plerumque per Sacramentum Pœnitentiæ juſtificantur, qui aliàs perirent. Quia abſolutio poteſt primò juſtificare, videlicet CUM QUIS SINE TALI DOLORE, ET CUM SOLO DOLORE DE PECCATIS PRO-*

*PROPTER GEHENNAM, VEL ALIA MALA EVITANDA, AVT PROPTER ALIAS SIMILES CAVSAS AD CONFESSIONEM ACCEDIT.* Audis, uti illi ſatis eſt dolor ex metu?

8 Imò vereor, ne ſit nobis benignior, iſque dolor ei ſatis ſit, qui nobis ſatis non eſt, nempè dolor ex metu cujuſcunque mali, quem ſatis eſſe hic innuit, & quæcunque pœnitentia, quam ſatis eſſe docet in hoc eodem cap. 24. lib. 13. Sic enim habet paulò ante medium. *Sacerdotes prudentes neque negant, neque negare poſſunt abſolutionem pœnitentibus, quos vident extra ſtatum peccati* (actualis) *& cum quantulacunque pœnitentia ſuorum peccatorum, & propoſito emendandi vitam ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere.* Nec dicas eum loqui de pœnitentia concepta propter Deum: nam id non exprimit. Certè cap. 5. lib. 9. putat, ſe ſatis vindicare Scotum ab omni errore, oſtendens, ab eo exigi in Sacramento Baptiſmi, & pœnitentiæ *aliquem dolorem, aliquam pœnitentiam.* Allegatis enim aliquibus ejus locis concludit. *Hæc Scotus, ex quibus luculenter patet, & rectam fidem, & DOLOREM ALIQVEM de peccatis requiſitum eſſe à Scoto, ne ponatur obex*, & paulò poſt allegatis aliis ejus textibus, ſimiliter ita colligit. *Ex quibus patet, tria requiri ab eo, ut recipiat quis gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ, nempè voluntatem recipiendi Sacramentum, DISPLICENTIAM ALIQVAM de peccatis commiſſis, & non eſſe in aliquo mortali actu, vel voluntate.* Et paulò poſt. *Itaque manifeſtum eſt*

*cum requiſiviſſe* ALIQUAM DISPLICENTIAM.

9 Hac, ex Vega, contentus fuit Scotus, & hac, ut videtur, ipſe Vega, qui fortè adhuc beniguiùs cap. 34. lib. 13. hæc habet relatis aliis diverſis opinionibus, *Verùm nobis multò probabiliùs apparet generaliter fateri per Sacerdotalem abſolutionem primam gratiam conferri, quandocunque peccatores eam ſuſcipientes probabiliter exiſtimant ſe ſufficienter diſpoſuiſſe ad gratiam, neque tamen id fecerunt, & ſemper eos peccare, qui accedunt in peccato abſque hujuſmodi ignorantia probabili*. Et paulò poſt, *Aſſerimus, quod ſive contingat, peccatores in peccato accedere ad Sacramentum hoc, quia non dolent de peccatis ſuis quantum oporteret, ſive quia non dolent de ipſis propter Deum, ſive quia NON HABENT CUM EO DOLORE PROPOSITUM VITANDI OMNIA PECCATA, ſiquidem probabiliter putent, ſe habere quidquid ad ſuam reparationem neceſſarium eſt, conſequentur primam gratiam per hoc Sacramentum*. Certè nos adeò benigni non ſumus, ut hos omnes juſtificari dicamus.

10 Demum, paucis interjectis, confirmat quod antea dixit de ſufficientia attritionis. *Tunc dumtaxat concedendum eſt, primam gratiam conferri in hoc Sacramento, cùm quis dolet de peccatis timore pœnæ imminentis, vel propter mala alia ex eis ſecuta, vel propter turpitudinem ipſorum, vel denique alia quavis ratione, & NON quatenus ſunt offenſa Dei*, quibus colligit totam ſuam doctrinam, quæ eſt, ſuffificere in hoc Sacramẽto dolorem conceptũ ex ſolo metu gehennæ,

hennæ, imò & aliorum malorum, & præterea per omnem dolorem, quo quis dolet de peccatis, quatenus ſunt offenſa Dei, vel remiſſus ſit, vel intenſus, imò vel ſit de peccato, ut eſt oppoſitum bonitati Divinæ, vel ut oppoſitum juri, cultui, aut legi Divinæ ( ſub quibus omnibus rationibus peccatum, in doctrina præſertim Scotiſtarum, eſt offenſa Dei ) remitti peccatum ante abſolutionem Sacerdotis. Hęc docet Vega, nec docet utcunque, ſed vocat aliquando imprudẽtes, aut etiam ſtultos, qui aliter ſentiunt, eoſque præſertim, qui non per omnem deteſtationem peccati, ut eſt offenſa Dei, ſed ſolùm per intenſam juſtificari peccatorem, dicunt, & tamen ab Adverſariis noſtris, nempè ab illis ipſis, qui aliter ſentiunt, allegatur ut dicebas, inter ſuos Doctores. Quid hìc dicis? Admiraris?

*Cler.* Non admiror tantum, ſed obſtupeſco; nec ( pace tua dicam ) tibi crederem, niſi loca quæ recitaſti, vidiſſem oculis meis. Quis enim fieri poſſe credat, ut allegetur ab aliquo tanquam ſuus, is Author, quo nullus poteſt eſſe magis infenſus?

11 *Auct.* Meritò ſtupes. Sed ſtuperes adhuc magis, ſi legeres reliqua, in quibus is Author, aut ab interpretationibus, aut à principiis, & ſententiis prædictorum recedit, ut quod habet cap. 16. lib. 13. agens de ceſſatione à peccatis inclusâ in contritione ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. cujus ceſſationis nomine intelligunt Adverſarii emendationem ſtabilem, ac diù perſeverantem; unde nolunt abſoluere, niſi diù probatos, ſi præſertim relapſi ſint,

imò

imò ſi vel ſemel in lethale lapſi ſint, ut non nemo ex ipſis docet, Vega autem nomine ceſſationis à peccato nihil ſignificatum aliud à Patribus fuiſſe non ſemel dicit, quam *propoſitum cavendi peccata*. Et quod habet cap. 32. ejuſdem lib. 13. loquens de Petro Oſmenſi, à quo, circa dilationem abſolutionis, neſcio, an recedant in praxi aliqui noſtri Adverſarii. Certè non accedunt ad ea, quæ hac occaſione docet is Author circa hanc dilationem, quam nocere recidivis putat non autem abſolutionem ipſam non dilatam. En locum. Lege.

12 Cler. *Secundus error circa abſolutionem Sacerdotalem eſt, quod abſolvere non debeat Sacerdos pœnitentem antè peractam pœnitentiam, & hanc ſententiam tenuit Petrus Oſmenſis. Et damnata eſt, ut hæretica à Sixto IV. Et profectò tanta erat hæc* STULTITIA, *tanta* CRUDELITAS, *& tam aliena doctrina à conſuetudine Eccleſiaſtica, ut, tametſi damnata non fuiſſet, ſicut mera debuiſſet* INSANIA *rejici. Cur enim ſic limitari deberent claves, à Chriſto liberè, & abſolutè voluntati, ac judicio Sacerdotum traditæ? Cur deſpiciendi eſſent, &* TANTO TEMPORE DIFFERENDI PECCATORES, VOLENTES PRO SUIS PECCATIS SATISFACERE? CUR NON POTIUS JUVANDI IPSA ABSOLUTIONE SACRAMENTALI, ET CONSILIO COMMODO AD SATISFACIENDUM, ET CAVENDUM RECIDIVAM? Hęc profectò nihil placebunt illis, qui hunc morem, imò legem non abſolvendi, niſi peractâ pęnitentiâ, quam

Vega

Vega crudelitatem, ſtultitiam, & meram inſaniam vocat, veteri Eccleſiæ tribuunt, & laudi tribuunt, &, quantum fieri poteſt, revocandam, aut imitandam, dicunt.

13 *Auct.* Poſſem alia hujuſmodi, & quidem multa afferre, aut indicare tibi. At ſuperſedeo; cùm Vegam protulerim in hunc finem tantùm, ut confirmarem, quæ dicit Sotus antea allegatus, & ex teſtimonio utriuſque, nempè duorum, qui eam ſeſſionem ſextam Concilii Tridentini interpretati ſunt, manifeſtè probarem, non intendiſſe Patres per ea verba *illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, ſignificare, aut innuere, neceſſarium eſſe in Sacramentis Baptiſmi, & Pœnitentiæ dolorem ex charitate ſaltem inchoata conceptum. Hìc enim volo tantùm eripere Adverſariis telum, quod ex prædictis verbis conficiunt ſemper, ut noſtram doctrinam feriant, quam, ut vidiſti, ne tangunt quidem, ut eam illæſam hìc penitùs reliquere Patres, teſtimonio duorum, qui (iterum dico) interfuerunt Theologorum, & Patrum congreſſibus, qui participes fuere non ſolum decretorum, ſed conſiliorum, quæ habuere prædicti Patres in condendis ipſis decretis, quos proindè (iterum te moneo) obtrude ſemper Adverſariis, ingere in aures, oſtende oculis, ut ipſi videant, & legant, quid ambo tam fusè, tam diſertè doceant, ut proferant, ſi quos habent, quos nobis opponant, pares his duobus, nempè Theologos tam inſignes doctrinâ, & pietate, tam conſcios eorum, quæ non acta ſolùm,

ſed

ſed cogitata in ea Synodo fuere, tam fusè, & ex propoſito illud Concilii decretum explanantes, tam diſertè, tam ſæpè ſuam doctrinam tradentes. Proferebant Card. Pallavicinum (quàm inferior is eſt hac in re Soto, & Vega?) ſed hunc etiam ipſis eripui, protuli ex ipſo, ut audiiſti, argumenta fortiſſima (ut ipſe dicebas) itaut cogantur fateri, aut Patres Tridentinos fuiſſe prorsùs immemores eorum, quæ decreverant paulò ante, aut, inconſtantes, aut præcipuos ex ipſis fuiſſe etiam temerarios, quod profectò dicere non audebunt, aut certè per ea verba nullum præjudicium factum noſtræ ſententiæ fuiſſe.

Hoc autem telo contrito, contrita ſunt reliqua omnia, quæ habent Adverſarii in pharetris benè multis ſuorum librorum, libellorumque, conflata ex aliis locis Tridentini: ſunt enim illa telo prædicto longè infirmiora; imò nec tela ſunt, ſed nomina telorum, argumentorumque, ut intelliges, ſi leges meum primum librum *De Dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè ſuſcipiendum neceſſario*, ubi protuli omnia, quæ ex prædicto Concilio petunt ad refellendam noſtram de ſufficientia Attritionis ſententiam, cum aliis, quæ indè petimus nos, ad eam ſtatuendam.

Ne verò moveant te ea multa, quæ afferuntur contra noſtram ſententiam in libro inſcripto, *De Contritione, & Attritione Diſſertationes quatuor &c.* Romę edito anno proximè elapſo 1707. aliquibus te obſervationibus, ſeu notationibus muniam.

§. V.

## §. V.

*Aliqua notantur, ut enerventur, quæ à recentiſſimo Scriptore afferuntur pro neceſſitate charitatis in Sacramento Pœnitentiæ.*

1 NOto 1. nom eam eſſe modò inter nos, & Adverſarios noſtros controverſiam, utrum ſufficiat in Sacramento Pœnitentiæ attritio expers charitatis, quæ talis eſſe cognoſcitur, an ea ſolùm, quæ non cognoſcitur eſſe talis, ſed putatur contritio: jam enim etiam ipſi concederent, ſufficere ſubindè & re ipsâ Attritionem, nec omninò requiri veram dilectionem, ſeu charitatem, ſed putatam tantùm, quod ipſi negant, exigentes, ut peccator doleat ex verâ charitate ſaltem inchoatâ, & remiſsâ. Et quidem, ut alibi notavi, argumenta, quæ conficiunt ex locis Scripturæ, & Patrum, ſi quid probant, prcbant, requiri veram charitatem; cùm Scriptura, Patreſque, ſi charitatem exigunt in peccatore pœnitente, & confitente, veram exigant, & non ſolum putatam, ſicuti, ubi fidem, ſpem, & pœnitentiam exigunt, ut reconciliari cum Deo quis poſſit, veram fidem, veram ſpem, veramque pœnitentiam poſtuſilant, & non ſolum putatam, quæ aliquando vera eſt, aliquando falſa. Igitur Controverſia præſens inter nos, & ipſos tota ſita eſt in eo, an requiratur in hoc Sacramento dolor conceptus ex verâ dilectione ſeu charitate, ſaltem remiſsâ, quâ tamen Deus verè diligatur propter ſe, & ſuper omnia; an verò

verò ſufficiat attritio aliqua non concepta ex tali dilectione, nec ex motivo charitatis, ſed ex motivo ſupernaturali quidem, ſed inferiori, puta gratitudinis, obedientiæ, juſtitiæ, religionis, aut ex metu gehennæ per fidem propoſito, vel ex amore æternæ beatitatis. Hanc ſufficere dicimus nos, negant illi, nempè Chriſtianus Lupus, Franciſcus Farvacques, Epiſcopus Caſtorienſis, Epiſcopus Vaſionenſis, Bonus Merbeſius, Gaſpar Jveninus, aliique, qui non ſunt contenti charitate putatâ, ſed veram exigunt, & omninò neceſſariam dicunt.

Ex hoc autem præſentis Controverſiæ ſtatu, non ſolum eruitur, teri tempus inutiliter à prædicto Scriptore, dum probare nititur, non ſufficere in hoc Sacramento attritionem cognitam, nec id eſſe ullo modò definitum à Tridentino, perindè ac ſi id modò controverteretur; ſed illud etiam colligitur, & colligi potiſſimùm volo, Doctores qui poſtularunt in hoc Sacramento contritionem ſolum putatam, eſſe pro nobis, non autem contra nos, cùm conveniant nobiſcum in excludendâ neceſſitate veræ charitatis etiàm inchoatæ, ac proindè conveniant in eo, circa quod, ut dicebam, verſatur præſens controverſia. Igitur abs re allegat is Auctor ſæpiſſimè prædictos Doctores, nempè Victoriam, Dominicum Sotum, Cordubam, Vegam, alioſque multos, tanquam ſuos, vel tanquam nobis in præſenti controverſiâ contrarios. Sunt igitur ab ejus Cathalogo expungendi, & noſtro reſtituendi. Id ſi feceris, auferes ſanè permultos. Sed plures auferes

feres

ſeres ex alio capite, quod ſubjicio.

2 Noto 2. hanc vocem *Attritio* ſignificaſſe ſemper dolorem imperfectum, olim quidem ſignificabat dolorem, qui eſſet imperfectus, aut *ex parte extenſionis*, ut eſt ille, qui dolet de uno peccato, non de aliis, aut *ex parte intenſionis*, ut eſt ille qui dolet quidem de peccatis propter Deum, ſed non efficaciter, & ſuper omnia, unde non proponit verè vitare omnia, ſed vellet ea vitare; aut ex parte motivi, ut eſt ille qui non dolet de peccatis propter bonitatem Divinam, ſed ex aliis motivis, aut humanis, & naturalibus;, aut ſupernaturalibus quidem, ſed non ita ſublimibus, ut ſunt motiva prædictarum virtutum, metus gehennæ, amor ſuæ ſalutis &c. At verò paulò ante Tridentinum cœperat eadem vox ſignificare communiter dolorem conceptum ex turpitudine peccati auferente gratiam ab anima, & præſertim ex metu gehennæ. Iſt oſtendi in prædicto meo Tract. de *Dolore &c.* & colligi poteſt ex ejus temporis Scriptoribus, & præſertim ex Tridentino quod cap.4. ſeſs. 14. Attritionem definit, ſeu deſcribit per reſpectum adhæc duo ſola motiva, quia ea voce is tantum dolor ſignificari ſolebat, qui ex alterutro aut ex utroque prædicto motivo concipitur, idque diſertè etiam expreſſit. Sic enim dicit, *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur &c.* Si attritio *dicebatur, quia communiter concipitur* ex illis motivis,

jam

jam illud communiter intelligebatur nomine attritionis, nempè dolor conceptus ex illis motivis, & quidem ex illis tantùm, & non etiam ex charitate ſaltem inchoatâ; tum quia hujus non meminit ullo modo, ſed illorum tantùm; tum quia ſubdit, *ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ*. Ergo non loquitur de dolore concepto ex charitate, quæ, quamvis ſit remiſſa, & ſolum inchoata, ſemper, & eſſentialiter excludit voluntatem peccandi, ſemperque in peccatore conjungitur cum ſpe veniæ, adeoque inutilis & inſipida eſſet ea additio, *ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ*, tum quia demum loquitur de eo dolore, quem poſtea definit contra Lutherum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, Lutherus autem, ut oſtendi ex ejus verbis, quæ allegavi in prædicto Tract. de dolore, & ut millies probatum eſt, eum ſolum dolorem dicebat reddere hominem hypocritam, qui ex illis tantum motivis, & præſertim ex pœnæ timore concipitur.

3 Noto 3. hanc fuiſſe ſemper, & eſſe communem Theologorum & Fidelium perſuaſionem, quod omnis dilectio Dei, quæ pertingit ad rationem charitatis, qua videlicet diligitur Deus, ut diligi meretur, nempè propter ſe & ſuper omnia, vel ſolùm inchoata ſit vel perfecta, & intenſa, expellit ab anima lethale peccatum, ac proindè hanc prærogativam non eſſe ſolius charitatis quæ foris mittit timorem, quæ robuſta eſt, & fortis re ipſa & effectu contra omnes tentationes, quæ eſt charitas ma-

gna

gna & ferventiſſima deſcripta ab Auguſtino, & ex eo ab hoc recenti Scriptore diſſert.4.cap.3. §.3. quæ tandem, ut iidem dicunt, & probare ſe credunt ex Catechiſmo Romano, eſt in pauciſſimis.

Quod probo 1. quia ſi à ſola charitate perfectâ, & hìc deſcriptâ id fieri putaſſent Theologi, jam Magiſter ſententiarum, aliique non pauci, qui docuerunt, eſſe neceſſariam in hoc Sacramento contritionem, quæ per ſe juſtificat, antequam Sacerdos abſolvat, docuiſſent, eſſe neceſſariam in hoc Sacramento contritionem, quæ eſt in pauciſſimis, quâ proindè carent omnes, aut ferè omnes peccatores qui ad confeſſionem accedunt, ac proinde vix ullum eſſe abſolvendum. Quis autem niſi deſipiat penitùs, ſibi perſuadeat, eos tam egregios cæteroqui Doctores in tantum errorem fuiſſe prolapſos?

Probo 2. Nullus Theologus prædictam ſententiam rejecit ex eo capite, quod ex eâ prædictum abſurdum ſequeretur, quod nempè vix ullus eſſet abſolvendus. Ergo nullus Theologus putavit, eſſe idem exigere contritionem per ſe reconciliantem, & exigere charitatem ſic robuſtam, magnam, incenſam, perfectam, & perraram. Ergo nec illi Theologi, qui hanc ſententiam, exigentem contritionem per ſe juſtificantem docuerunt, nec illi, qui eam rejecerunt, putarunt ſoli contritioni, & charitati intenſæ & robuſtæ hanc vim ineſſe expellendi peccata.

Probo 3. Nullus Theologus monuit unquam fideles, ut, cùm volunt confiteri, excitent in ſe con-

tritionem conceptam ex charitate expellente timorem, ferventiſſimâ, magnâ, & robuſtâ, nec ſufficere, quod verè doleant de omnibus peccatis propter Deum dilectum ſuper omnia. Et tamen multi, ut idem Scriptor dicit, multos allegans, docuerunt eſſe neceſſariam contritionem ſe ſolâ juſtificantem. Ergo putarunt hujuſmodi non eſſe eam ſolam quæ concipitur ex charitate magnâ, & robuſtâ, ſed omnem quæ deteſtatur peccata propter Deum ſuper omnia dilectum, alioquin monere id debuiſſent, ut ſi non omnis aqua naturalis ſufficeret in Sacramento Baptiſmi, ſed eſſet neceſſaria aqua pluvialis, utique de hoc monendi eſſent Fideles.

Probo 4. Unica aut potiſſima ratio, ut patet ex Soto, quem alibi allegavi, propterquam rejecta communiter fuit ſententia putata Adriani, exigens in contritione reconciliante intenſionem; & ea putata Scoti, exigens aliquam extenſionem, & continuationem, ea fuit, quod in Scripturis omni pœnitenti propter Deum promittitur venia, omni diligenti vita, & ſalus. Ergo hæc fuit omnium perſuaſio, id obtineri per omnem charitatem.

Probo 5. Quamvis omnes Theologi doceant, deberè nos aliquando, ſi ſimus conſcii peccati lethalis, procurare reconciliationem per contritionem, ſi e. g. velimus miniſtrare Sacramentum aliquod, vel urgeat neceſſitas celebrandi Miſſam, nec adſit copia Confeſſarii, nullus tamen monet, debere hujuſmodi contritionem concipi ex charitate valde vehementi, & incensâ, aut expellente timorem,

ſed

ſed præciſe monent omnes, ut in his caſibus conteramus nos, dolendo de peccatis propter Deum, quod utique fit ex charitate etiam inchoata, ergo putant omnes, quacunque vera charitate hanc reconciliationem obtineri, nec requiri vehementem, incenſam & expellentem ab anima timorem. Quod ſi audeant dicere, monere in his caſibus Theologos, ut procuremus contritionem perfectam, redargue illos manifeſtæ falſitatis ex Theologorum libris, & Summis, quas allegavi ſupra, in quibus monemur præcisè procurare contritionem, quo nomine non fuiſſe ſignificatam èam ſolam, quæ prodit ex charitate expellente timorem, quam habent ſolæ animæ perfectiores, eſt certum, & concedit Adverſarius, alioquin omnes illi qui docent, requiri in Sacramento Pœnitentiæ contritionem, docuiſſent, requiri contritionem, quæ concipitur ex charitate perfectâ, quod negabit. Sed eſto, moneant aliqui, debere nos in dictis caſibus procurare contritionem perfectam, quis neſcit contritionem perfectam appellari ſubindè eam quæ manat ex charitate quacunque, ut diſtinguatur ab attritione charitatis experte, quæ dicitur contritio imperfecta, ut ait Trident. eo cap.4. ſeſs.14. Igitur adhuc non monuerunt hi Theologi, ut debuiſſent, debere nos in his caſibus procurare contritionem illam celſiſſimam, quæ miſceri cum timore pœnarum non patitur. Hinc communiter fideles hanc obligationem ignorant, imò putant eam non adeſſe. Et ideò.

Probo 6. ſic. In his caſibus curamus quidem

dolere propter Deum, at non curamus excitare in nobis charitatem illam ſic perfectam, ſic incenſam, ſic robuſtam ſic ferventem, cui ſoli hanc vim juſtificandi ineſſe docet is Auctor, qui eam fusè deſcribit in dicta diſſ.4. c.3. §.3. à p.447. Nec ullus, quamvis conſcientiæ timoratæ, accuſat ſe in confeſſione, tanquam de gravi delicto, quòd in prædictis caſibus non procurarit contritionem ab hoc Auctore deſcriptam, nempè vehementiſſimam, ferventiſſimam, magnam, robuſtam &c. Cur hoc? niſi quia perſuaſi omnes ſumus, hanc vim reconciliandi per ſe peccatorem non ineſſe ſoli contritioni ferventiſſimæ robuſtæ, & expellenti timorem, ſed cuivis contritioni, per quam verè deteſtamur peccata propter Deum ſuper omnia appretiatum. Quis autem tam facilè credat ſic decipi omnes? Hinc.

Probo 7. ex abſurdo. Nam ſi contritio reconcilians eſſet ea ſola, quæ eſt ita vehemens, intenſa, & perfecta, cùm ignoremus gradum illum intenſionis, cui Deus alligavit noſtram reconciliationem, jam teneremur in prædictis caſibus procurare eam ſummam intenſionem quam ſaltem moraliter poſſumus, ac proindè jam vera eſſet duplex ſententia ab omnibus rejecta, nimirum ea, quæ tribuitur Adriano, & quæ tribuitur Scoto. Adrianus enim, dum poſtulavit in contritione juſtificante ſummam intenſionem, cenſendus eſt poſtulaſſe ſimiliter ſummam moraliter: Scotus verò, ſi voluit aliquam extenſionem durationis in contritione juſtificante, eam voluit, quia putavit eſſe neceſſariam in ea aliquam

inten-

intenſionem, quæ non ſolet haberi in uno inſtanti; quod non negabit Adverſarius. Et experientia conſtat, non perveniri regulariter ſtatim ad iſtam charitatem ſic perfectam, imò vix poſt vitam diù piè, innocenterque traductam. Quin ipſi noſtri Adverſarii negant, ad hanc perveniſſe Saulum eo triduo quod Baptiſmum præceſſit, & D. Auguſtinum toto illo tempore, quod interceſſit inter ejus converſionem, & Baptiſmum, quod paucorum menſium non fuit, quamvis utrique fuerint ad ingentem charitatem tam extraordinariæ vocationis beneficio provocati, tamque uberi gratiâ inſtructi; hinc docent in Baptiſmo, non verò antea fuiſſe utriſque peccata dimiſſa. Ergo à fortiori non contingit unquam, quod alii unico inſtanti ad hanc contritionem & charitatem juſtificantem perveniant. Ergo jam vera eſſet, ut dicebam ſententia Scoti, qui non negavit, poſſe per divinam omnipotentiam concipi in uno inſtanti contritionem juſtificantem, ſed negavit, ita contingere, & ideò aliquam in ea continuationem, & extenſionem temporis requiſivit, quod tamen ipſum falſum eſſe putarunt reliqui omnes Doctores. Ergo reliqui omnes Doctores negarunt, contritionem reconciliantem, eam ſolam eſſe, quæ profluit ex charitate intensâ, & perfecta: & rursùs ſententia Adverſariorum eſt ipſa Adriani, & Scoti ſententia. Aut ſi non eſt, quære ab illis, ut diſcrimen aſſignent, & manu tanges, nullum verum diſcrimen ab eis afferri, quamvis afferre ſibi fortè videantur. Certè, ut ex ſententiâ Adriani & Scoti, innumeri

ſcrupuli injiciebantur Fidelibus, quoties tenentur procurare contritionem juſtificantem: ſemper enim dubitaſſent, & meritò, an ſatis conarentur eum actum elicere, qui debitam intenſionem, quam cognoſcere nullo modo poterant, haberet; ſic oriuntur ex prædictâ ſententiâ exigente in actu qui per ſe reconciliat, non qualiſcunque charitatis influxum, aut nexum, ſed charitatis perfectæ, magnæ, robuſtæ, ferventiſſimæ, qualem nemo ſapiens credere debet ineſſe ſibi. Quis enim, ex iis præſertim, qui graviter peccarunt, & poſtea conantur ſe conterere, vel probabiliter credant ex majori ſe charitate dolere de culpis ſuis, quàm doluerit Paulus eo triduo poſt mirabilem illam ipſius Chriſti Domini vocationem, quàmque doluerit Auguſtinus ante Baptiſmum, cùm, ipſo teſtante, totus inardeſceret igne charitatis? Hinc autem ſequeretur hoc alterum abſurdum, quod videlicet nullus deberet eſſe vel probabiliter tutus de ſuæ contritionis effectu, ac proindè quicunque conſcius culpæ lethalis vult e. g. Sacramentum aliquod miniſtrare vel ſuſcipere Sacramentum Confirmationis, aut Ordinis, aut extremæ Unctionis, aut Matrimonii, teneretur contra communem ſententiam præmittere confeſſionem ſacramentalem. Nam is debet adhibere medium, quo probabiliter credat, ſe reſtitui in ſtatum gratiæ, ſed hoc non eſt niſi confeſſio ſacramentalis, cùm, ut probavi, nemo ex prædictis ſapienter & probabiliter credere poſſit, ſuam contritionem eſſe eam quæ juſtificat, nempè magnam, robuſtam, & eâ Sauli

con-

converſi, & Auguſtini æſtuantis majorem. Ergo is debet confiteri, nec ſufficit, quod conetur conteri.

Confirmo argumentum. Nam afferunt, ut ſupra dicebam, eum textum Catechiſmi Romani part.2. cap.5. de Sacramento Pœnit. num.37.& 38. ubi dicitur, contritionem, quâ peccata delentur, eſſe tam ſublimem, ut *pauci admodum* ad eam perveniant, & *à pauciſſimis hac viâ peccatorum veniam ſperandam eſſe*, quod ſine ulla exaggeratione dictum, putant. Ergo peccatores, demptis pauciſſimis, non debent hac viâ ſperare veniam. Ergo in prædictis caſibus debent veniam quærere per confeſſionem. Nam, ut paulò ante monui, debent ſe reſtituere in ſtatum gratiæ, adhibendo medium, quo ſaltem probabiliter credant, & verè ſperent, ſe in ſtatum gratiæ reſtitui.

Unde etiam ſequitur, in lege veteri, non debuiſſe omnes peccatores ſperare veniam, & pauciſſimos ſperare eam potuiſſe, cùm carerent Sacramento Confeſſionis, & ſoli pauciſſimi ſperare veniam per contritionem poſſent. Et cùm etiam modò ſint aliqui caſus, in quibus, confiteri non poſſumus, & tamen obligamur nos reſtituere in ſtatum gratiæ, ſequitur quòd Deus obliget omnes ad id quod ſoli pauciſſimi ſperare poſſunt, quodque omnibus, exceptis pauciſſimis, eſt impoſſibile. Quære nunc ab Adverſario, an hæc propoſitio, in quam deſinere videtur hæc ſua ſententia, illi arrideat? Certè antiquitati non arriſit unquam nec debet arridere Adverſariis noſtris, qui proindè fateri tandem

debent, hanc ſuam ſententiam ſuſtineri non poſſe, & ideò ab omnibus antiquis Doctoribus, reliquiſque ferè omnibus, qui uſque ad Bajum ſcripſere, fuiſſe rejectam.

4 Ex dictis colliges primò, debere te prædicto Scriptori recenti eripere omnes Doctores antiquos, qui præceſſere Tridentinum, & ferè omnes qui ſecuti ſunt uſque ad Janſenium, quos ille pro ſuâ ſententiâ profert. Nam, ut probavi, omnes, excepto Adriano, Scoto, & fortaſſe etiam Cajetano (cujus hac in re ſententia parùm abfuit, quin in Concilio Tridentino damnaretur, ut refert Card. Pallavic. lib. 12. cap. 10.) putarunt, quavis contritione veræ charitatis reconciliari peccatorem. Ergo omnes vel docuerunt eſſe neceſſariam in hoc Sacramento contritionem quæ concipitur quidem ex charitate, ſed quæ reconciliat, vel docuerunt ſufficere in hoc Sacramento Attritionem, quæ non reconciliat, adeoque non concipitur ex charitate. Primi non favent prædicto Scriptori, qui non exigit in hoc Sacramento Contritionem reconciliantem. Non favent ſecundi, cùm ipſe poſtulet contritionem ſeu attritionem, quæ concipitur ex charitate ſaltem inchoatâ, ſed verâ, eâque non reconciliante. Ergo nullus favet. Ergo illi demendi ſunt omnes, relictis pauciſſimis, qui noſtra ætate, aut paulò antè ſcripſere.

5 Collige 2. non abs re textā à me fuiſſe in prędicto meo Opere *De Dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè ſuſcipiendum neceſſario*, ſententiæ, quam impugno, Genealogiam. Docuerun quidem aliqui lon-

longè ante quàm Bajus,& Janſenius ſuam doctrinam propagarent, requiri in hoc Sacramento contritionem conceptam ex charitate, docuerunt alii ſimiliter antea, non omnem contritionem conceptam ex charitate, vel ex dilectione Dei ſuper omnia reconciliare, & aliquam intenſionem, ſeu prærogativam ſpecialem in eo poſtularunt, ut id faceret: at nemo docuit hoc utrumque, nempè requiri contritionem ex verâ charitate ſaltem inchoatâ conceptam; & hanc charitatem inchoatam, quamvis ſit veriſſima charitas, quâ ſupernaturaliter diligitur Deus propter ſe, & ſuper omnia ( ut calor inchoatus, nempè primi gradus, eſt veriſſimus calor ) non reconciliare peccatorem, & poſſe in eadem animâ cum peccato lethali manere. In hoc autem complexo ſita eſt ſententia, quam in lib. de dolore impugnavi, & hic iterum impugno, cujus proindè primos parentes, vel ſatores feci eos potiſſimum duos, doctrinæ, toties poſtea ab Eccleſiâ damnatæ, magiſtros.

Colliges 3. hanc à dictâ ſententiâ invidiam non depelli per aliam ejus genealogiam à dicto Scriptore recentiſſimo propoſitam, cùm nunquam oſtendat hoc complexum, in quo ea ſententia ſita eſt, fuiſſe ab ullo Doctore ante id tempus propugnatum.

6 At, inquiet, id à ſe oſtendi, dum oſtendit, à ferè omnibus Theologis, præſertim antiquis, diſtingui Contritionem ab Attritione penès *magis, & minus, penès intenſum, & remiſſum*, & aſſeri communiter eundem actum Attritionis poſſe fieri Contritionem. Ex hoc enim ſequitur, quod putarint,

attri-

attritionem prodire, aut ſemper, aut ſaltem ſubindè ex motivo charitatis, ex quo prodit ipſa Contritio, quia aliàs Attritio non differret à Contritione per ſolam remiſſionem, & hæc ab illa per ſolam intenſionem, ſed etiam ſpecie, nempè ex objecto, & motivo. Igitur putarunt, utramque prodire ex motivo charitatis, ergo putarunt, utramque prodire ex charitate, ſeu utramque involuere, aut habere conjunctum actum charitatis, illam quidem charitatem remiſſam, & ſolùm inchoatam, hanc charitatem intenſam, magnam & perfectam: cumque innumeri, ut concedimus, putarint, hanc attritionem ſubindè ſufficere, & hanc ad minùs requiri in hoc Sacramento, eamque non ſufficere per ſe ad reconciliandum peccatorem, ſequitur quod innumeri Theologi longè, antequam Bajus naſceretur, prædictum complexum docuerint, nempè requiri in hoc Sacramento dolorem verę charitatis, quâ tamen extra Sacramentum minimè reconcilietur peccator, qui proindè ſimul habere poteſt, & peccatum lethale, & prædictam attritionem ex remiſſa, & inchoata charitate manantem.

7 Sed is diſcurſus innititur falſæ ſuppoſitioni. Supponit enim, omnem actum remiſſum, qui prodit ex eodem motivo, ex quo prodit charitas, eſſe etiam ipſum actum charitatis, quod eſt falſum; nam aliquando eſt ita remiſſus, ut deſit illi unum ex prædicatis propriis charitatis, quæ duo ſunt, nempe dilectio Dei *propter ſe*, & præterea dilectio Dei *ſuper omnia*. Aliquando quis movetur à boni-

tate

tate Divina ad amandum Deum, & odio habendum peccatum, ſed ita imperfectè, ut non amet Deum ſuper omnia bona, nec odio habeat peccatum ſuper omnia mala, hinc habet ſolam velleitatem quandam deſerendi omnia peccata, non autem verum propoſitum; vel habet propoſitum deſerendi aliquod peccatum, non autem omnia. Quis autem dicat, hoc propoſitum partiale, hanc velleitatem, hunc actum dilectionis ſic imperfectæ, eſſe actum veræ charitatis, nempè dilectionis, quâ Deus amatur propter ſe, & ſuper omnia, quem verum actum charitatis is Auctor requirit in Sacramento? Igitur non omnis actus amoris Dei, qui differt ab alio actu amoris ejuſdem Dei per ſolam remiſſionem, ſeu per minorem perfectionem attingendi idem motivum bonitatis Divinæ, eſt actus charitatis, ut eſt alter. Igitur ex eo quod Doctores antiqui putarint, Attritionē & Cōtritionē concipi aliqãdo ex eodē motivo, & differre ad invicem penès magis, & minus ſequitur, quod putarint, etiam illam eſſe, aut involuere actum charitatis, ut iuvoluit iſta. Imò ſatis innuerunt oppoſitum: primò quia dixerunt nomine attritionis ſignificari ſubindè dolorem non omnium peccatorum, ſed alicujus tantùm, ut patet ex allegatis ſupra Doctoribus, aliiſque hanc vocem explicantibus. An dolor de ſolis *peccatis ſquadernatis* (quem attritionem eſſe dicit S. Bernardinus ſupra relatus) nempè *de proditione*, *de incendiis*, *blaſphemiis*, *ſodomiis*, *&* *non de menſuris*, *&* *ponderibus falſis* charitas ſit qua diligitur Deus propter ſe, & ſuper omnia? Secundò

quia

quia iidem dixerunt quidem, in Sacramento Pœnitentiæ remitti peccata, cùm quis accedit attritus; ſed ea verba addiderunt, *ſi obicem non ponat*, ut tam ſæpè addit S. Thomas ſupra allegatus, & alii: quæ verba omninò redundarent, ſi ea attritio, quam dicebant differre per ſolam remiſſionem à cōtritione, fuiſſet concepta ex charitate, qua Deus diligitur propter ſe, & ſuper omnia, quæ certè aufert obicem gratiæ, ut per ſe patet, & magis conſtat ex eo quod per *obicem gratiæ* ſignificabant actualem voluntatem peccandi, ſeu perſeverandi in aliquo peccato, ſeu actualem complacentiam de aliquo peccato, quę profectò voluntates ſimul haberi cum prædictâ charitate non poſſunt. Demum expreſsè S. Thomas in Addit. ad 3. p. qu. 5. art. 3. *Amor poteſt eſſe ita remiſſus, quod non ſufficit ad rationem charitatis*, loquitur autem de amore, qui habet idem objectum quod habet actus, qui pertingit ad rationem charitatis; nam ſi habet diverſum objectum, non propter remiſſionem, ſed aliundè non pertingit, nec pertingere poteſt ad rationem charitatis. Igitur ex S. Doctore poſſunt attritio, & contritio differre penès magis, & minus, & utrique procedere ex dilectione Dei, & tamen attritio poteſt eſſe dolor ſic imperfectus, & procedere ex dilectione ſic imperfecta, ut non ſufficiat ad rationem charitatis, ſi videlicet, ut idem ibidem explicat, ſit talis dolor, per quem *minùs diſpliceat peccatum, quam debeat diſplicere ſeparatio à fine*, jam enim prodit ex actu quo diligitur Deus, ſed non ſuper omnia, ut meretur ultimus finis,

finis; ac proindè non prodit ex charitate, ſed ex actu quodam medio, qui nec prava cupiditas eſt, nec charitas; inquit Janſenius ipſe, ſed actus quidam, quo peccator incipit affici in Deum. *Falſum eſt* (inquit lib.4. de ſtatu nat. lapſæ cap. 27.) *inter iſtam laudabilem charitatem, vitioſamque mundi cupiditatem, nullum amorem creaturæ rationalis eſſe medium: datur enim & alius amor bonus, qui nec eſt iſta charitas, nec iſta cupiditas, quo videlicet incipit benè Deo peccator affici*, & quo, ut poſtea dicit, *imperfectè, & non ſuper omnia Deum diligit*. Igitur ex eo, quod aliqui Doctores dixerint cōtritionem, & attritionem differre aliquando *penès magis, & minus*, non ſequitur, eos docuiſſe, quod utraque ſit actus charitatis.

8 *Cler.* At ſequitur, quod docuerint, contritionem, quæ reconciliat, eſſe actum intenſum, quod antea negaſti.

*Auct.* Sequitur quidem, eſſe actum intenſum in genere actus, non autem in genere contritionis, & charitatis, ſeu, quod eſt idem, eſſe actum intenſum intenſione eſſentiali, & propria cujuſvis actus charitatis, non autem intenſione purè graduali. Certè actus, qui diligit Deum propter ſe, & ſuper omnia, eſt intenſior actus, quam qui diligit Deum propter ſe, ſed non ſuper omnia; at non eſt intenſior charitas, quia hoc debet eſſentialiter reperiri in omni charitate, quæ eo ipſo quod habet hoc, charitas eſt, & Deo reconciliat, quod negant Adverſarii exigentes in charitate, quæ reconciliat, non ſolùm hanc intenſionem eſſentialem, ſed aliam gradualem, per quam

quam actus non ſolùm diligat Deum propter ſe, & ſuper omnia, ſed hoc faciat cum ingenti fervore, & vehementia, quod requiri negamus cum omnibus Doctoribus, qui, excepto uno vel altero, hanc vim expulſivam cujuſcunque peccati mortalis tribuerunt omni charitati, nempè omni dilectioni, qua Deus diligitur propter ſe, & ſuper omnia. Quare prædicti Theologi, quamvis aliqui ex ipſis dixerint, contritionem & attritionem differre penès magis, & minus, expungendi ſunt ab albo Doctorum, quos prędictus Auctor tanquam ſuos allegat.

9 Ut autem etiam Patres ab ejus catalogo diſpungas, noto 4. quod millies notatum eſt, & hìc eſt iterum notandum, Patres, dum impellunt ad virtutem, & invehuntur in vitia, uti ſubindè, ut omnes Oratores faciunt, vocibus ſignificantioribus, hiſque uſum eſſe potiſſimùm S. Auguſtinum, utpotè qui fuit acerrimi, & vehementis ingenii, & ardentiſſimæ charitatis, quare ejus propoſitiones accipiendæ ſunt aliquando cum aliquâ reſtrictione, ut monet idem Scriptor recentiſſimus diſſer. 4. cap. 2. pag. 387. ubi allegatis illis tam generalibus propoſitionibus S. Auguſtini, qui redarguens illos Catechumenos, qui videbantur contemnere, aut nimis differre Baptiſmum, aut non ſatis æſtimare ejus neceſſitatem, dicit, *omnia peccata eſſe ſuper Catechumenum, niſi venerit ad ſalutarem undam, ubi peccata ſolvuntur. Sarcinam iniquitatis ſuæ illis non dimitti, niſi cùm venerint ad Baptiſmum. Deum non dimittere peccata, niſi baptizatis. Peccata quæ primùm dimittit non*

*niſi*

*niſi baptizatis dimitti, & quando baptizantur. Ante Baptiſmum nondum eſſe natos, nec poſſe dicere, Pater noſter*: ita ſubdit.

*At circa hæc teſtimonia ſupereſt ſcrupulus: quia, ſi ſumantur generaliter, omninò excludent juſtificationem Catechumenorum, qui uſque ad Charitatem, & Contritionem perfectam, Baptiſmi voto conjunctam, proficiunt: qui error damnatus eſt art. 70. & 71. inter Bajanos.*

Reſpondet autem, *teſtimonia Auguſtini eſſe generalia; habere tamen ſuas metas, ac meritò reſtringi ad communem curſum juſtificationis Catechumenorum, ſive ad modum quo illi ut plurimùm reconciliationis gratiam conſequuntur.*

Igitur propoſitiones S. Auguſtini, quamvis videantur univerſales, nec contineant ullum verbum, quo reſtringantur, habent tamen aliquando ſenſum particularem & reſtrictum, & ſic exponendæ ſunt. Hujuſmodi autem ſunt illæ, quas ſolent Adverſarii ex eodem S. Doctore depromere contra nos.

10 *Cler.* Ecquæ ſunt?

*Auct.* Præcipuæ ſunt hæ. *Non auferuntur peccata, niſi gratia fidei, quæ per dilectionem operatur*, in expoſitione epiſtolæ ad Galatas. *Deus non colitur, niſi amando* ep. 120. cap. 18. *Non reconciliamur, niſi per dilectionem, qua etiam filii Dei appellamur.* De fide & ſymbolo cap. 9. *Inimicus juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat... Qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere* ep. 144. *Timor, quo non amatur juſtitia, ſed timetnr pœna, ſervilis eſt,*

*& ideò*

*& ideò non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas*. Conc.25. in pſal. 118. Fortè ſunt aliȩ, ſed mihi non occurrunt.

*Cler.* Hȩ profectò tuæ doctrinȩ adverſantur.

*Auct.* Si videlicet accipiantur ut ſonant, nec ſint reſtringendæ.

11 *Cler.* At unde probas eſſe reſtringendas.

*Auct.* Id probo eadem ratione, qua dicit idem Scriptor, eſſe reſtringendas eas univerſales propoſitiones, quas habet S. Doctor circa Catechumenos, eorumque Baptiſmum, quia videlicet, ſi eſſent univerſales, continerent errorem damnatum inter alios errores Bajanos; hos enim (ni fallor) aut alios errores ſimiliter damnatos continent, aut (quod perindè eſt) continent manifeſtam falſitatem etiam prȩdictæ, ſi faciant ſenſum univerſalem. Prima enim, quæ dicit. *Non auferuntur peccata, niſi gratiâ fidei, quæ per dilectionem operatur* contineret hunc errorem, quod pueris baptizatis non remittuntur peccata, antequam perveniant ad eum uſum rationis, quo credant, & diligant; contineret hunc etiam quod à ſola fide, quæ per dilectionem operatur, auferuntur peccata, non autem vi Sacramentorum, vel ſaltem, quod ab omni fide per dilectionem operante auferuntur peccata, quod eſt manifeſtè falſum; non enim omnis Dei dilectio eſt charitas, & quamvis omnis Dei dilectio, ut ſumitur hæc vox à Patribus, & uſurpatur in Scripturis, eſſet charitas, non omnis charitas in ſententia Adverſariorum aufert peccata.

Illa

Illa autem ſecunda propoſitio *Deus non colitur. niſi amando* excluderet à ratione cultus Divini innumeros actus virtutum, & ipſius etiam religionis,qui fiunt à non habente charitatem,& contineret aliquo modo hunc errorem pariter damnatum. *Non eſt vera legis obedientia, quæ ſit ſine charitate*, tùm quia non eſt vera legis obedientia, ea, quâ non colitur aliquo modo Deus, ergo ſi non colitur, niſi amando, jam nec ei obeditur, niſi amando: tùm quia ſi Deus non habet pro ſuo cultu eum, qui præſtatur ab eo, qui non diligit, nec habebit pro verâ obedientiâ eam, quæ exhibetur ab eo, qui non diligit.

Tertia autem illa, *Non reconciliamur, niſi per dilectionem, quâ etiam Filii Dei appellamur* contineret primum errorem contentum in primâ, & rursùs ex eâ colligeretur, eſſe neceſſariam in Sacramento Pœnitentiæ dilectionem, & charitatem perfectam, nam hæc ſola per Adverſarium eſt ea, qua juſtificamur, & Filii Dei appellamur.

12 Quarta verò qua dicitur. *Inimicus juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat*, & ſimiliter ultima, qua dicitur *vivere peccandi voluntatem* in eo, qui habet *timorem, quo non amatur juſtitia*, ſed *timetur pœna*, ſi univerſales ſunt, & complectuntur omnem, qui habet hujuſmodi timorem, continent non ſolùm errores contentos in duabus propoſitionibus damnatis ab Alexandro VIII. nempè in 14. & 15. ſed etiam errorem Lutheri damnatum in Tridentino, Lutheri inquam dicentis,hunc timorem, & attritionem ex eo

ſolo conceptam eſſe malam; nam ſi omnes, qui ex ſolo timore gehennæ dolent de peccatis, & abſtinent à peccato, haberent illam malam voluntatem, & eſſent inimici juſtitiæ, jam dolere & abſtinere à peccato ex ſolo metu eſſentialiter involueret, aut traheret iſtam malam voluntatem,& odium juſtitiæ: nam ſi id non involueret, aut non traheret neceſſariò talem voluntatem peccandi, & odium, non omnes, qui ſic dolent, & abſtinent,. haberent illam malam voluntatem & odium;ſicuti quia dolere e.gr. de furto non eſt eſſentialiter, aut neceſſario dolere de homicidio, non omnis, qui dolet de furto, dolet etiam de homicidio, & ſi omnis, qui dolet de furto, eo ipſo doleret etiam de homicidio, eſſet ſignum quod dolere de furto neceſſariò involueret, aut traheret etiam alterum, nempè dolere de homicidio. Ergo,ſi quicunque ex ſolo timore gehennæ dolet, & abſtinet à peccato, retinet eo ipſo malam voluntatem peccandi, & illud odium juſtitiæ, jam dolere & abſtinere à peccato ex ſolo metu, neceſſariò involuit, aut trahit hanc malam voluntatem, & odium, ergo ſic dolere, & abſtinere adeòque attritio prædicta mala eſt : nam ille actus eſt malus, qui neceſſariò involuit, aut ſecum trahit malam voluntatem peccandi, & odium peſſimum juſtitiæ ut patet, nam, cum malum ex ſingulis defectibus reſultet, ut actus ſit malus non eſt neceſſe, ut quicquid ipſe eſt, & ex omni ejus parte, ſeu prædicato, & ſub omni conſideratione ſit malus, ſed ſatis eſt quod involuat voluntatem & odium malum, vel neceſſariò ipſum ſecum

cum trahat. Igitur ſi prædictæ propoſitiones univerſales ſunt, & in illis ſermo eſt de omnibus, qui ex ſolo timore abſtinent à peccato, continent errorem damnatum. Igitur ex ea ipſa ratione quam nobis ſuggerit idem Author, ſunt accipiendæ cum reſtrictione aliqua;non enim eſt aſſerendū S.Auguſt.docuiſſe propoſitiones quę poſtea debuerint damnari.

Quod dico de propoſitionibus S. Auguſtini, dictum puta de aliis multis etiam ſacræ Scripturæ, quæ afferuntur ab Adverſariis; ſunt enim & ipſæ ex eadem, aut ſimili ratione accipiendæ, & exponendæ cum aliqua reſtrictione, ut quod dicit Apoſtolus, ſi deſit charitas, reliqua omnia, quæ recenſet nihil prodeſſe, & nihil eſſe eum, qui ea poſſidet: nam certè illa ad aliquem finem prodeſſe poſſunt, & proſunt aliquando,& quidem proſunt ad ſalutem, ut prodeſt fides etiam ſejuncta à charitate, cùm diſponat ad pœnitentiam. Senſus ergo eſt quod non ita proſunt, ut qui ea habet ſine charitate, ſalvetur. Igitur debet ea propoſitio accipi reſtrictè.

13 Hinc collige, innumeras hujuſmodi propoſitiones, aut ſcripturarum, aut Patrum afferri inutiliter ab Adverſariis, qui fateri debent, eas non poſſe accipi ut ſonant; acceptæ autem reſtrictè non advertantur nobis, qui ultro concedimus, eſſe aliquando neceſſariam charitatem ad reconciliationem, nempè extraſacramentalem, & rursùs aliquos, qui dolent ex ſolo metu gehennæ, verè intus in corde retinere eam malam voluntatem peccandi, ſi peccari poſſet impune, vel ſi non immineret pœna. Imò credimus,

mus, ut ſupra non ſemel monui, hujuſmodi eſſe ſubindè, qui poſt vitam peſſimè traductam, ex apprehenſione mortis propinquæ, & vicinæ gehennæ, ſtatim ſine ulla prævia conſideratione ſuorum peccatorum, recentes ex aliqua rixa, aut alio infortunio, putanteſque ſe brevi morituros, vocant Confeſſarium, & confitentur. Tam citò enim, ac tam facilè, ſi ceſſet periculum, ac timor mortis, omnem animæ curam, & cogitationem deponunt, ut fundatiſſima ſuſpicio ſit, eos in eâ trepidatione, ac turbatione non concepiſſe verum propoſitum mutandi vitam. Sed de his non loquimur, qui nec veram attritionem habent, nedum contritionem; at de aliis innumeris, qui, ex metu quidem gehennæ, ſed cum plena animi deliberatione, ac præſentia, cùm poſſent in peccatis perſeverare, dolent de illis, & proponentes non peccare ampliùs, ſpontè accedunt ad Confeſſionem, ut reconcilientur cum Deo, quem acceſſum ad Confeſſionem ſic intentam, verumque dolorem omnium peccatorum, & propoſitum concipi ex ſolo metu poſſe, is ſolus negat, qui nititur propoſitionibus prædictis univerſaliter acceptis, aliiſque hujuſmodi principiis continentibus, ut nobis videtur, errores damnatos.

14 Nota 5. pleroſque textus, quos afferunt Adverſarii, eſſe valdè ambiguos, & excerptos hinc & hinc ex locis, in quibus Doctores non agitant iſtam quæſtionem, quique facilè reperiuntur in omnibus Scriptoribus, inque ipſis noſtris Doctoribus, ut oſtendi in meo Opere de Dolore, & paulò ante, cum age-

agerem de Soto. Utrobique enim allegavi textus excerptos ex libris, aut Suarii, aut Cardinalis de Lugo, aut Dominici Soti, nempè Doctorum abſque dubio noſtrorum, qui textus ſunt ſimillimi illis,quos Adverſarii colligunt ex aliis Doctoribus, & videntur continere doctrinam nobis contrariam. Lege illos, & ſi leges illos tantùm, nec benè expendes, dices illico, Sotum, Suarium, De Lugo exigere in vera pœnitentia charitatem, & in Adverſariorum caſtra tranſijſſe: & tamen noſtri ſunt. Ne igitur fidas hujuſmodi textibus, ſed illis, qui clari ſunt, qui ſunt Doctorum hanc noſtram quæſtionem agitantium, vel tractantium diſertè, ac proindè non diſſerentium tantùm de neceſſitate charitatis, ſed de neceſſitate charitatis in hoc Sacramento; non de Pœnitentia qualicunque, ſed de Sacramentali, non adhortantium, ſed docentium, nec docentium quid optimum factu ſit (quis enim neget melius eſſe contritionem quam attritionem ad hoc Sacramenrum afferre?) ſed quid fieri neceſſe ſit, ut Deo inſtitutori pareamus. Hujuſmodi textus non reperies apud Adverſarios, aut pauciſſimos, ſed innumeros excerptos à Scriptoribus, aut non agentibus de re, de qua agimus, aut adhortantibus tantùm, aut non ſatis clarè docentibus, quorum profectò copiâ nos nihil movet, nos (inquam) qui dicta, & loca Doctorum non numeramus, ſed ſeligimus, eoſque Scriptores allegamus, qui hanc ipſam quæſtionem tractarunt, qui ſententiam ſuam clariſſimè protulerunt, qui doctrinam, quam nos tuemur, non tradunt ſo-

lùm ipſi, ſed traditam ab aliis, aut omnibus, aut ferè omnibus teſtantur; & rursùs traditam communiter, tanquam in Tridentino contentam, & vix non credendam Fide Divinâ, qui demum ſunt omnium locorum, Ordinum & nationum, omneſque, aut ſaltem multi ex ipſis, probitate, eruditione, ac doctrinâ toto Orbe celeberrimi. Quæſo expendamus ſingula.

15 *Eos Scriptores allegamus qui hanc ipſam quæſtionem tractarunt*, ut ſunt omnes quorum ſummas, aut tractatus protuli ſupra, & proferam infra, ex quibus non excerpſi pauca verba, ſed longos textus, & Concluſiones Theologicas, Dogmaticas, præciſas. Has vix unquam circa præſens argumentum reperies apud Patres, qui agunt quidem ſepiſſimè de charitate, & de pœnitentia, ſed eo modò quo dixi ſupra; nec id quærunt, quod nos quærimus; an in Sacramento aut Baptiſmi, aut Pœnitentiæ ſufficiat dolor ex metu gehennæ conceptus, excludens omnem voluntatem peccandi, & junctus cum ſpe, & propoſito non peccandi ampliùs, & cum confeſſione ipſa facta ſpontè ad obtinendam à Deo remiſſionem peccatorum,& an tale propoſitum concipi poſſit ex ſolis prædictis cauſis fidei, timoris, & ſpei, an verò requiratur aliqua charitas verè talis, & an omnis charitas verè talis, quâ Deus diligitur propter ſe, & ſuper omnia, ſe ſolâ reconciliet; an verò id præſtet ſola charitas perfecta, robuſta, magna, quæ reperitur in paucis? Quis unquam Patrum de his quæſtionibus aut diviſim, aut

ſimul

ſimul tractavit, tanquam Doctor ſtatuens concluſiones præciſas, & dogmaticas, quibus jus & præceptum exponatur. Id ſemel fecit Auguſtinus nempè in libro de catechizandis rudibus cap. 17. reſpondens quærenti, quando is, qui vult fieri Chriſtianus ſit cenſendus accedere benè animatus, & benè diſpoſitus: hìc autem apertè favet nobis, ut oſtendi in lib. de Dolore. Quia verò Scriptor prædictus id negat, erit iterum locus expendendus. Diſtinguit in eo cap. 27. S. Auguſtinus tria genera venientium ad fidem & poſtquam dixit nec primos, qui nempè *propterea volunt eſſe Chriſtiani, ut promereantur homines à quibus temporalia commoda expectant, aut quia offendere nolunt quos timent*, nec ſecundos, qui *Deum* quidem *timent, & non irrident Chriſtianum nomen, nec ſimulato corde intrant in Eccleſiam Dei, ſed in hac vitâ expectant felicitatem, ut feliciores ſint in rebus terrenis, quàm illi, qui non colunt Dominum*, eſſe admittendos, primos quidem quia ſimulato corde intrant, ſecundos verò quia cùm *vident impios feliciores ſe, perturbantur tanquam ſine causâ Dominum colant, & facilè à fide deficiunt*, ſic pronuntiat de eo qui eſt in tertio genere. *Qui autem propter beatitudinem ſempiternam, & perpetuam requiem, quæ poſt hanc vitam ſanctis futura promittitur, vult fieri Chriſtianus, ut non eat ignem æternam cum diabolo, ſed in regnum æternum intret cum Chriſto, verè ipſe Chriſtianus eſt*, ac proindè admittendus eſt ad Baptiſmum, quia videlicet is nec fictè accedit ut primus,

nec eſt inſtabilis, & carens verò propoſito, ut ſecundus, ſed *eſt cautus in omni tentatione, ne proſperis rebus corrumpatur, & ne frangatur adverſis &c. Qui etiam proficiendo veniet ad talem ſtatum, ut plus amet Dominum, quam timeat gehennam, vel etiamſi dicat illi Deus, Utere deliciis carnalibus ſempiternis, & quantum potes, pecca: nec morieris, nec in gehennam mitteris, ſed mecum tantummodò non eris, exhorreſcat, & omninò non peccet, non jam ut in illud, quod timebat non incidat, ſed ne illum, quem ſic amat, offendat, in quo uno eſt requies.*

Ex hoc loco inferebam, S. Auguſtinum habere pro diſpoſito eum qui Baptiſmum petit *propter beatitudinem ſempiternam, & ut non eat in ignem æternum cum Diabolo*. Undè ſequitur, eſſe habendum pro diſpoſito eum qui ex eodem fine, & nondum Deum amans propter ſe, accedit ad confeſſionem.

16 Nunc audi, quid is Scriptor recentiſſimus reſpondeat pag. 277. In primis dicit, hìc S. Doctorem non docere, quod is, qui ſic accedit, ſit proximè diſpoſitus ad Baptiſmum, ſed quod *accedit animo Chriſtiano, ideſt tali, qui ſpem faciat, eum à fide non defecturum*. Quid dicis?

*Cler.* Videtur falſum, non enim interrogabatur Auguſtinus, ut arbitror, de diſpoſitione remotâ, ſed de proximâ.

*Aug.* Ita omninò, qui enim interrogabat Auguſtinum, non regulam petebat, ex quâ admitteret Gentiles ad audiendam fidem; Ad hanc enim admit-

mittebantur omnes quicunque vellent;nec explorabatur eorum animus,ut norunt eruditi omnes, hique vocabantur Catechumeni audientes;ſed regulam petebat, ex quâ admitteret ad Baptiſmum. Hinc Sanctus Auguſtinus rejicit ſecundos quamvis *Deum timerent, & non irriderent nomen Chriſtianum, nec ſimulato corde intrarent in Eccleſiam Dei*, ac proindè haberent remotam diſpoſitionem, & admittit ſolos tertios, utique quia ſpem facerent futuræ conſtantiæ, quod requiritur in ſolo eo qui eſt proximè diſpoſitus, non autem in eo qui eſt ſolùm remotè diſpoſitus. Hinc vetus Eccleſia Catechumenatum protrahebat, donec Catechumenus talem ſpem faceret, quâ accedente eum, tanquam proximè diſpoſitum baptizabat.

*Cler.* Eſt indubitatum. Doce quid aliud reſpondeat.

*Auct.* Audi ipſum. *Ajo præterea* (inquit paulò poſt) *S. Auguſtinum non excludere omnem amorem, ſed illum tantùm, qui adeò intenſus, & perfectus eſt, ut etiamſi impune liceret, animum peccato conſentire non ſineret.*

*Cler.* Certè excludit charitatem; nam loquens de profectu quem faciet qui ſic accedit, dicit *qui etiam proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Dominum, quam timeat gehennam.* Supponit ergo, eum tunc non eſſe in hoc ſtatu, ergo nec habere charitatem inchoatam, quâ diligat Deum ſuper omnia, qui enim hanc charitatem habet, plus amat Deum, quam timeat gehennam.

*Auct.*

*Auct.* Optimè colligis ; nam id opponunt Adverſarii contra noſtram attritionem , quod qui eam habet plus timeat ardere, quam peccare, ac proindè plus timeat gehennam , quàm amet Deum: nam gehennam timet propter ſe,non ſic autem Deum amat. Adde , quod ſi S. Auguſtinus præcisè diceret , non eſſe neceſſariam charitatem perfectam , & intenſam , exigeretque charitatem verè talem , licet non ita perfectam, non diceret abſolutè , eum eſſe diſpoſitum,qui petit Baptiſmum, ne *eat in ignem æternum* , *ſed in regnum æternum intret*, non enim quicunque eſt ita affectus , habet charitatem etiam remiſſam . Multa alia hìc affert idem Scriptor ex eodem S. Auguſtini libro, quibus nihil probat aliud, quàm S. Doctorem commendaſſe Charitatem, hanc commendari voluiſſe Catechumeno , ſeu potiùs , hanc tandem à Chriſtiano homine procurandam , quæ ad rem præſentem non faciunt : multa enim Auguſtinus , & Eccleſia univerſa commendat , & commendari vult Catechumeno , ut aliquando facienda ab homine Chriſtiano , quin ſint neceſſaria diſpoſitio ad fructuosè ſuſcipiendum Baptiſmum . Igitur utraque reſponſio Adverſarii , & quæ addit , tam inutilia , tam debilia ſunt , ut ſatis oſtendant quod dicebam , nempè Auguſtinum , ubi docet , & hanc ipſam quæſtionem tractat , quam agitamus modò , aut illi perſimilem , certò , & indubitatò favere nobis , pluriſque valere hunc unicum textum, quam innumeros illos textus , quos affert Adverſarius, aut Auguſtini non reſpondentis moralibus quæ-

ſtio-

ſtionibus, aut ſancto calore erumpentis in propoſitiones neceſſariò reſtringendas. Pergamus expendere reliqua quæ dicebam de delectu eorum textuum quos afferimus.

17 *Eos textus aſſerimus, in quibus Doctor clariſſimè profert mentem ſuam.* Hujuſmodi abſque dubio eſt is textus S. Thomæ. *Omnis contritio quantumcunque parva delet omnem culpam*, unde infertur, quod charitas etiam inchoata delet omnem culpam, & quod non requiritur in hoc Sacramento; cùm in hoc non requiratur ex S. Thoma contritio, ſe ſolâ juſtificans. Claritati ſententiæ emphaſim quandam addit S. Vincentius Ferrerius ſupra allegatus, dicens, *Si unus occidiſſet omnes Apoſtolos, & ipſum Chriſtum propriis manibus crucifixiſſet, ſi poſt haberet tantam contritionem, ut granum ſinapis, Chriſtus ſtatim parceret ſibi.* Quid fortiùs ad refellendos Adverſarios, dicentes, nec Alipio, nec Auguſtino, nec Saulo antè Baptiſmum fuiſſe remiſſa peccata, quamvis primus ex fervore charitatis eam tam illuſtria ederet exempla pœnitentiæ, & rigoris; alter ſentiret ipſe in corde ſuo æſtuantem charitatem; tertius, jam eſſet vas electionis totuſque in alterum hominem tranſmutatus? Quis audeat dicere, hos nec habuiſſe tunc tantam contritiooem quantum eſt granum ſinapis? Plures autem hujuſmodi textus, clariſſimos & emphaticos deprompſi ſupra ex ſummis præclariſſimorum Doctorum, ipſorumque doctrinam audiiſti digeſtam perſpicuè in illas ipſas concluſiones, quas nos defendimus, & iiſdem verbis,

bis, quibus nos eas efferimus, iiſdemque argumentis probatas, quibus nos eas probamus, ut facit Sotus ſupra allegatus, aliique aut in hoc libro, aut in opere *de Dolore* à me producti, quibus profectò textibus, tam perſpicuis, tam diſtinctis, carent Adverſarii.

18 *Eos textus allegamus*, in quibus non ſolùm traditur *clariſſimè* noſtra ſententia, ſed præterea traditur *tanquam communis*, *vel tanquam certò collecta ex doctrinâ fidei*, itaut contraria ſententia vocetur temeraria. *Concluſio eſt Theologorum*, inquit S. Vincentius Ferrerius ſupra allegatus, *quod vera contritio, quantumcunque minima, non eſt ſine gratia*. Sententiam verò eorum qui in contritione juſtificante ſummam intenſionem, aut aliquam pluſquam inſtantaneam durationem, ut ex inchoatâ fieret perfecta ſeu intenſa, Sotus aliique temerariam appellant, aut parùm conſonam ſacris litteris, ex quibus oſtendunt, nullam in ea intenſionem requiri. Ita *communem* noſtram ſententiam appellat Card. Bellarminus à me allegatus in Opere de Dolore, ut contra eam ſolum Kemnitium hæreticum peſſimum, & unum Doctorem recentiorem, quem nec nominandum cenſuit, alleget. De contraria verò ſententiâ loquens Card. de Lugo ibidem à me productus, ſic habet. *Quod ſit contra Theologos omnes clarius eſt, quàm ut probatione indigeat*, additque, pro ea allegari ſolùm poſſe aliquos Baii diſcipulos, *qui Baii doctrinam quacunque viâ poſſent, tueri vellent*. Similiter Magiſter Prado tom. de pœnit. quæſt. 1. de Contr. dub. 3. §. 2. *Aſſerendum eſt* (inquit) *in omni*

*even-*

*eventu contritionem QUAMLIBET perfectam, QUANTUMVIS MINIMO CHARITATIS ACTU, afferre ſecum STATIM, ET SEMPER remiſſionem peccatorum, & oppoſitam ſententiam non ſolum eſſe periculoſam, & parùm in fide tutam, ſed & temerariam, & ſcandaloſam*. Ita Prado, cujus, uti etiam aliorum cenſuras nec infero ſententiis, nec approbo, ſed illatas refero, ut conſtet, quale tunc eſſet Auctorum judicium de quibuſdam ſententiis. Quod autem Doctores dicunt de prædicta noſtra ſententia, qua aſſerimus, quovis actu veræ charitatis remitti peccata, dicunt de alia ſententia, qua docemus ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ noſtram attritionem, quamvis expertem charitatis: dicunt enim, eam eſſe *certiſſimam*, *communem*, *definitam*, *declaratam*, *certò collectam ex Tridentino*, *ſententiam omnium*, *aut ferè omnium*, ut intelliges, cùm verba eorum qui ita pronunciant, allegabo, utque cognoſces, ſi leges meum lib. 2. de Dolore &c. cap. 6. ubi aliquos ſic aſſerentes allegavi: & poteram allegare alios multos; ſed illos ſufficere putavi: & verè ſufficiunt expendenti, qui illi ſint, cujus probitatis, eruditionis, ac doctrinæ, & rurſùs, quid aſſerant, & quomodo aſſerant. Quamvis enim vir ſapiens decipiatur aliquando, putans, & affirmans, eſſe veram ſententiam ſuam, quæ vera non eſt: non tamen accidit, ut dicat intrepidè, eam eſſe ſententiam certiſſimam, ſententiam omnium, ſententiam communem, contrariam eſſe temerariam, periculoſam, parùm in fide tutam, cùm verè non eſt,

cum-

cumque agitur de re tanti momenti, ex qua pendet valor, & fructus Sacramenti tam multis adeò neceſſarii. Et quamvis unus, aut alter vir cæteroqui ſapiens, & prudens in hoc minùs ſapiat, & erret, putans eſſe ſententiam certiſſimam, communem, definitam in Concilio OEcumenico, quæ verè non eſt talis, non ſic errabunt certè viri ſapientiſſimi, & multi. Quis enim dicat Cardinalem Bellarminum de ſententia, quæ non eſſet communis, quæque non haberetur communiter ut contenta in Tridentino, tam intrepidè pronunciaſſe, *nullo modò negari poſſe*, quod ea vera ſit, & rursùs, *declaratum jam eſſe ab Tridentino*, quod ea vera ſit, & cum Bellarmino ſimiliter erraſſe per ſummam ſocordiam, vel temeriatem eos multos Doctores, quos dicebam, qui ſimili modò de hac ſententiâ locuti ſunt, & addiderunt eam tradi ab omnibus, aut eſſe catholicam veritatem, & oppoſitam aut damnatam eſſe, aut periculoſam, aut erroneam? Id profectò ſi octo aut decem iique celebres pietate, doctrina & eruditione Doctores dicant intrepidè, eoque tempore, quo non ſint in Doctoribus partium ſtudia & affectus, qui certè tunc non erant in hac re, fidem facient indubitatam. Viget modò controverſia, quam agitamus; ardent animi; ſcribitur utrinque ab innumeris; multos fortaſsè abripit partis ſuæ ſtudium; nec tamen ita decipimur, ut vel dicamus noſtram ſententiã tradi modò ab omnibus, aut ferè ab omnibus, vel ſuam ab omnibus, aut ferè ab omnibus defendi dicant Adverſarii, nec noſtram utri-

utrique ſententiam defendimus, nullo, aut vix ullo Doctore pro contraria ſententia allegato, ac ſi nullus aut vix ullus contradicat, ut faciunt quos dicebam, ſed utrique fatemur, eſſe non paucos, qui nobis contradicant. Num quod nos tam minùs religioſi, ſapienteſque non audemus, auſos dicemus viros illos religioſiſſimos, ſapientiſſimoſque, Dominicum Sotum, Toletum, Bellarminum, Bartholomæum de Medina, Suarium, alioſque multos? Non tam intrepidè docuerunt iidem, ſufficere attritionem cognitam, imò non pauci negarunt, aut rem controverſam eſſe ſcripſerunt, cur, ſi controverſum id quoque erat, an attritio ſufficeret, docuerunt ut certum & indubitatum, imò diſertè docuerunt, eſſe certiſſimum, indubitatum, definitum, quod ea ſufficit.

*Cler.* Quid hic reſpondent Adverſarii?

19 *Auct.* Dicunt 1. Non conſtare quod prædicti Scriptores loquantur de Attritione, quæ non promanet ex charitate ſaltem inchoata. Sed id eſt manifeſtè falſum 1. quia, ut ſupra probavi, etiam qui præceſſere Concilium, nomine attritionis ſignificarunt dolorem non conceptum ex verâ charitate, ſed aut ex dilectione ſic remiſsâ, ut charitas non ſit, aut ex metu, alioque hujuſmodi motivo. 2. quia poſt Tridentinum id ſignificatum fuit hoc nomine, quod ſignificatur à Tridentino eam deſcribente in eo c. 4. ſeſs. 14. nempè dolor conceptus ex conſideratione turpitudinis peccati, & præſertim ex metu penarum. 3. quia iidem docent, ab ſola attritione non

ex-

expelli peccatum lethale, & contra à quovis actu charitatis abigi hoc peccatum ab animâ. 4. quia multi id dicunt diſertè, ut facit Sotus tam ſæpè attritionem definiens, ut ſupra audiiſti, ſatiſque oſtendit, eam tunc fuiſſe communem hujus vocis acceptionem. Id faciunt paſſim etiam reliqui, aut in locis quos allego in dicto Opere de Dolore, aut quos infra allegabo.

20 Reſpondent 2. Se etiã habere multos Doctores pro ſuâ ſententiâ. Sed nego & pernego, eos habere multos Doctores qui dicant, requiri in hoc Sacramento contritionem, nec ſufficere putatam, ſed requiri reipſa eam quæ concipitur ex verâ charitate & id eſſe *certiſſimum, ab omnibus, aut ferè omnibus receptum, à Tridentino definitum, & oppoſitam ſententiam eſſe periculoſam, temerariam &c.* Habent quidem, qui dicunt, requiri contritionem, & ſunt ferè omnes, (noſque ipſi dicimus eam requiri, dum dicimus eſſe tres actus Pœnitentis, nempè contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem) ſed nomine contritionis, aut ſignificarunt contritionem putatam, aut contritionem latè ſumptam pro quovis verò dolore & propoſito ex fide & ſpe concepto, hinc eam communiter definiunt, ut facit Tridentinum, per ea ſola prædicata doloris, deteſtationis, & propoſiti, nec quidquam dicunt de charitate. Habent etiam aliquos, qui dicunt, non ſufficere dolorem conceptum ex metu, ſed requiri veram charitatem, ſed præterquamquod aliqui ex ipſis requirunt charitatem ſe ſolâ juſtificantem, ac proindè

nec

nec à noſtris Adverſariis communiter recipiuntur; nec multi fuere hoc tempore, de quo loquimur, nempè à tempore celebrati Concilii Tridentini, uſque ad Janſenium, ſed pauciſſimi, nec ſuam ſententiam tuentur tanquam doctrinam communem, non controverſam, & multò minùs dicunt diſertè, eam eſſe omnium aut ferè omnium doctrinam, definitam, declaratam in Tridentino, & oppoſitam ſententiam eſſe periculoſam, temerariam. Igitur firmum manet, quod dicebam, noſtram ſententiam, ſic aſſertam, ſic propoſitam ab illis Doctoribus, Soto, Bellarmino, Toleto, Lopez, Medina, Suario, Conink, aliiſque tam multis, verè fuiſſe communem & ferè omnium; addo, verè & benè collectam ex Tridentino. Dico, *benè collectam* non verò expreſsè definitam. Et ideò.

21 Noto ultimò aliquid dici definitũ immediatè, & expreſsè, ut, quod *Attritio concepta ex gehennæ, & pœnarum metu, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, non ſolùm non facit hominem hypocritam & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſt*, & quod *quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*. Hæc enim eſt ipſa formalis doctrina Concilii, ipſiuſque Concilii formales propoſitiones, & hujuſmodi etiam eſſent propoſitiones conceptæ verbis prorsùs æquivalentibus, vel evidenter in illis contentæ, ut quod Attritio prædicta non eſt mala: Si enim eſt donum

Dei, utique mala non eſt. Quæ hoc modò definita ſunt, conſtituunt doctrinam fidei, eâque ſalvâ, negari non poſſunt.

Sunt autem aliqua, non hoc modo definita, ſed collecta per diſcurſum Theologicum, nec ita immediatum, ab iis, quæ ſunt expreſsè definita. Et hoc modò definitum, decretum, declaratum, traditum à Tridentino eſſe quod docemus, dicunt multi. Non enim Tridentinum dicit formaliter & expreſsè in verbis citatis, attritionem ſufficere, nec id eſt expreſsè contentum in illis, ſed ex prædictis verbis benè expenſis, & ex circumſtantiis, in quibus fuit ea doctrina tradita, per diſcurſum infertur à prædictis Theologis. Et quidem, ſi pauci ſic inferant, & aliqui contradicant, jam non eſt certum quod illud fuerit etiam hoc modo definitum. Si verò omnes Theologi, aut ferè omnes, id inferant, & dicant, id eſſe definitum, vel declaratum, vel decretum, vel traditum à Concilio, jam tunc habetur pro re certa, id eſſe verè à Concilio traditum, & eſſe verum; cùm præſertim inter eos, qui id aſſerunt, multi ſint præſtantiſſimi pietate ac doctrinâ, cùmque res de qua agitur, ſit magni momenti, itaut ſi falſum ſit quod aſſeritur, redundet in Eccleſiam graviſſimum damnum, & deceptio communis fidelium in Sacramento ad ſalutem pleriſque neceſſario.

22 *Cler.* At quommodo cõtinetur in Tridentino, ſi aliquot Patres qui ei Concilio interfuerunt, eam ſufficere negarunt, ut Adverſarii dicunt?

*Auct.*

*Auct.* Id non miraberis, ſi recolas quod dicebam, nempè id non contineri explicitè in Tridentino. Quæ continentur clarè & explicitè iu Tridentino, utique ignorari nequeunt ab iis qui Tridentino interfuerunt; at quæ continentur ſolum implicitè, ignorari abſque dubio potuerunt, ſaltem ab aliquo. Non enim omnes Patres, qui interfuere Tridentino, penetrarunt quidquid in eo continetur etiam implicite, itaut viderint, quidquid ex doctrina ibi tradita inferri poſſit. Imò ſi quis ibi fuit, ut fortè fuit, qui neceſſariam in hoc Sacramento charitatem eſſe putavit, facilè ſibi perſuaſit pro eo amore, quo quiſque ſe & ſuas opiniones diligit, nihil contineri in Tridentino quod ſuæ opinioni adverſaretur, ut ex eadem fortaſsè ratione noſtri Adverſarii modò ſuam ſententiam nullo modò rejectam à Tridentino putant, quamvis ſecùs putarit per ſexaginta & amplius annos ferè Eccleſia univerſa.

23 *Cler.* Sed hæc tua doctrina, vel obſervatio infirmare videtur argumentum quod ſupra confeciſti ex teſtimonio, vel doctrina Soti. Jam enim ex eo quod ille interfuerit ſeſs. 6. Concilii Tridentini & docuerit, in Baptiſmo non requiri ullam Dei dilectionem ſeu charitatem, non licet inferre, non fuiſſe ibi à Patribus definitum ſaltem implicitè, requiri charitatem. Potuit enim ipſe ignorare quod non definiebatur expreſsè; ſed ſolum implicite continebatur in doctrinâ definitâ, ut modò dicebas de iis, qui interfuere ſeſſioni 14. in qua dicis eſſe implicite definitum, quod ſufficit attritio, &

tamen docuerunt, eam non ſufficere.

*Auct.* Non igitur intellexiſti, cur ego ibi attulerim eam Soti doctrinam & teſtimonium. Cauſa non fuit ea, quam putas, ut videlicet eo oſtenderem directè, nec implicitè fuiſſe à Concilio definitum, aut alio modò ſignificatum, requiri in eo qui vult baptizari charitatem: nam ut benè colligis ex iis quæ dixi, hoc argumentum fuiſſet infirmum, ſed ea fuit, ut oſtenderem falſa eſſe duo quæ dicunt Adverſarii. Primum eſt, in eo cap. 6. illius ſeſs. 6. ubi agitur de modo quo adultus præparat ſe ad juſtificationem, agi de præparatione neceſſariâ ad baptiſmum ſeu ad juſtificationem obtinendam per Baptiſmum; non autem de præparatione per ſe ſufficienti & proximâ ad ipſam juſtificationem. Alterum eſt, Patres ea verba *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt* addidiſſe, ſignatè, & conſultò poſt multam Theologorum altercationem, ut ſignificarent, requiri in eo qui diſponitur ad Baptiſmum fructuosè recipiendum, aliquem charitatis actum. Hæc enim duo, ſi vera eſſent, non potuiſſent latere ullum Theologum Tridentinum tunc præſentem. Non primum, quia certè Theologi monendi erant, de quâ præparatione ibi ageretur, an de eâ quæ requiritur ad juſtificationem extraſacramentalem, an de eâ quæ etiam requiritur ad ipſum Sacramentum fructuosè ſuſcipiendum, ne videlicet unum pro altero approbarent, aut rejicerent. Nec potuiſſet latere alterum. Quomodo enim latere potuit Theologos Tridentinos altercatio, quæ dicitur fuiſſe inter

ter ipſos, & cauſa altercationis, nempè additio eorum verborum & finis faciendi eam additionem? Igitur neutrum latuiſſet Theologos Tridentinos, & præſertim Sotum qui hujus decreti meminit, in quo addita ea verba fuerunt, & ſuggeſſit, ut ipſe dicit, quo ordine eſſent in eo decreto ponendi illi actus ſpei & charitàtis. Atqui utrumque latuit Sotum, cùm docuerit oppoſitum in libro ipſo, quem Patribus Tridentinis dedicavit. Ergo utrumque illud quod dicunt Adverſarii, falſum eſt, ac proindè corruit totum eorum argumentum, nec verè in eo cap. agitur de præparatione neceſſaria ad Baptiſmum, quod latere Sotum minimè debuiſſet. Vides uti meum argumentum non petitur ex eo quod nullum ex Theologis ſeu Patribus conciliaribus latere debet quidquid implicitè continetur in doctrinâ Concilii, & eruitur ex ipſa per collectiones etiam mediatas, nec obvias cuique, ſed ex eo quod nullum ex ipſis latere debet materia circa quam ſunt condenda decreta, nec ea diſceptatio, & ſententiarum diverſitas, quæ maximi momenti fuit, & dicitur inter ipſos fuiſſe, quod ſane verum eſt, & ideò fundat optimum argumentum, quale non eſt illud Adverſariorum diverſo, & prorsùs debili fundamento innixum, ut probavi.

24 Addo, nec eſſe verum, quod Patres, qui interfuere Concilio, poſtea docuerint rotundè, non ſufficere attritionem, & requiri in re, & verè charitatem in Sacramento Baptiſmi aut Pœnitentiæ, ut clarè & rotundè Sotus, Vega, Salmeron, & alii, qui

pariter interfuerunt, docuerunt ſufficere. Qui enim allegantur ab Adverſariis, aut agunt de pœnitentiâ & diſpoſitione proximâ ad gratiam, non ad Sacramentum, vel non conſtat quod agant de hac, vel non conſtat, quod agentes de hac, requirant contritionem & charitatem veram, & non purè putatam: vel demum non conſtat, quod agentes de verâ contritione, & charitate, eam requirant omninò, & non potiùs eam adeſſe percupiant, & lato modo requirant. Hinc multi, præſertim ante Tridentinum, quamvis docerent abſolutè, requiri contritionem, & rursùs de contritione ſemper loquantur, tanquam de actu per ſe reconciliante, adhuc docent, ſufficere etiam attritionem, ſi abſit obex nempè *voluntas peccandi*, attritionem inquam ex nullâ charitate conceptam, ut multis argumentis ſupra demonſtravi. Unde infertur, etiam à Doctoribus requirentibus contritionem & charitatem, nō requiri eam tam ſtrictè, ut ſit penitùs neceſſaria. Sicuti quamvis S. Thomas in Addit. ad 3. p. quæſt. 7. art. 2. dicat, quod *quando neceſſitas imminet, debet Pœnitens confiteri cui poteſt*, ac proindè etiam Laico, ſi deſit Sacerdos, non ſignificavit id *deberi*, ac requiri tam ſtrictè, ut ſit penitùs neceſſarium, ut bene notant ejus diſcipuli, inter quos Sylveſter in verbo *Confeſſor* ſimili modò exponi vult Magiſtrum ſentent. *Dico* 2. (inquit) *quod in neceſſitate confiteri Laico de mortalibus non eſt præceptum, ſed conſilium tantum &c. Et Magiſter dicens ei debere ſieri, loquitur de debito honeſtatis, vel de bene eſſe, non de debito neceſ-*

*neceſſitatis*, *ut videtur innuere*. Quo eodem modò Porrectanus Interpres S. Thomæ in Addit. quæſt. 6. art. 3. exponit S. Doctorem docentem, quod ex conſtitutione Eccleſiæ tenetur confiteri etiam qui poſt Baptiſmum non peccavit mortaliter; dicit enim quod S. Doctor id docuit *tanquam tutiorem viam conſulens*, *juxta morem ſuum laudabilem*, *non tanquam in rigore conſtitutionis præcisè ſtans*, *& conſequenter*, *quod accepit ly tenetur largè*, *ideſt*, *pro ad melius eſt*. Et ſanè, ſicut hoc modò exponere debent Adverſarii omnes antiquos Doctores recenſentes inter actus requiſitos in hoc Sacramento contritionem, quo nomine ſolebant ſignificare dolorem ſe ſolo juſtificantem, ut ſupra dicebam, quem Adverſarii noſtri negant omninò requiri, ſic nos exponimus eos Doctores recentiores, quos allegant iidem noſtri Adverſarii, quamvis doceant requiri in hoc Sacramento dilectionem ſeu charitatem, niſi expreſsè dicant, non ſufficere dolorem expertem charitatis, ſeu dolorem ex ſolo metu conceptum; imò nec id ſatis eſt, niſi dicant, hunc non ſufficere quamvis concipiatur ex fide, jungatur cum ſpe veniæ, & cum verò propoſito non peccandi amplius. Aliqui enim, dum negant dolorem conceptum ex ſolo metu ſufficere, loquuntur de dolore concepto ſolùm propter infamiam, aut aliud ſimile malum, quod peccatori attulit, aut afferet peccatum; quo ſenſu ſemper loquitur S. Vincentius Ferrerius, ut vidimus, vel loquuntur de iis qui dolent ſerviliter ſervilitate malâ, ideſt tanquam mali ſervi, & pro-

pter pœnam tanquam malum ſummum, ita ut, ſi daretur impunitas, peccare vellent; quo ſenſu loquitur S. Auguſtinus, & alii, ut colligitur manifeſtè ex eo quod docent hujuſmodi dolorem eſſe malum, qualis certè eſt ſolus dolentium prædicto modo, non autem omnium, qui ex ſolo metu dolent, ut definitum eſt.

Si hæc, quæ hactenus notavi, benè expendas, intelliges, invalida eſſe argumenta, quæ contra noſtram ſententiam prædictus recentiſſimus Scriptor affert, nec nobis quidquam obeſſe textus quos affert. Nunc propugnanda eſt altera pars noſtrę doctrinæ, quæ pertinet ad ſatisfactionem, & oſtendendum, falſum eſſe quod dicunt Adverſarii, nempe ab Concilio Tridentino damnari noſtram, & eorum, quos allegavi, prędicta quatuor ſæcula percurrens, Doctorum, in imponendis pœnitentiis benignitatem.

## §. VI.

*Nec altera pars noſtræ doctrinæ circa ſatisfactionem, tradita à Doctoribus ſupra allegatis, damnatur à Concilio Tridentino.*

1 CLer. Unde nam colligunt Adverſarii, damnari à Concilio Tridentino veſtram, eorumque Theologorum, qui antè dictum Concilium Summas à te ſupra allegatas ſcripſerunt, in imponendis pœnitentiis benignitatem.

*Auct.* Id ſe colligere dicunt 1. ex cap. 2. ſeſsionis

nis 14. ubi dicitur, plenam & integram peccatorum remiſſionem, haud conſequi nos per Sacramentum Pœnitentiæ *ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus*, indeque factum, *ut Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à Sanctis Patribus dictus fuerit.*

Colligunt 2. ut dicunt, ex cap. 8. ejuſdem ſeſſ. ubi dicitur, *Divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione dimittantur peccata, ut occaſione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubiò enim magnopere à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt.* Non ergo (inquiunt) Concilium permittit, quod nos licitè, imò ſanctè fieri aliquando dicimus, ut videlicet pęnitēti gravioribus delictis onerato, & recuſanti proportionatas ſuis peccatis, & viribus pœnitentias, aliæ leves imponantur, quæ cum faciles ſint, præbent eam occaſionem relabendi, de quâ loquitur Concilium, aut ſaltem à peccato non revocant, ut revocare eas debere, Patres ſupponunt.

Hinc tandem Confeſſarios ita monent. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere; ne, ſi fortè peccatis conniveant,*

*veant, & indulgentiùs cum Pœnitentibus agant, leviſſima quæque opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Adduntque, curare eoſdem debere, *ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem*, qualis certè non eſt ſatisfactio aliquarum precum, aut confeſſio menſtrua per anni dimidium, quæ potius eſt ad novæ vitæ cuſtodiam, quàm ad vitæ præteritæ vindictam, & caſtigationem. Igitur Patres Tridentini, alio prorsùs modo ab eo, quo nos curari permittimus, aut etiam volumus, curandos eſſe pœnitentes, & caſtiganda eorum crimina, docuere. Sic arguunt Adverſarii noſtri, ex his locis Tridentini, ſeu potius ex malâ interpretatione prędictorum verborum, eorumque, quæ nos cum allegatis, allegandiſque Doctoribus docemus. Putant enim, in omnibus his locis ab Concilio præcipi, tanquam ſemper & omnino faciendum, quod ſolùm per ſe, & regulariter eſt faciendum, noſque cum prædictis Doctoribus, quos ſuperioribus capitibus allegavi, velle ſimiliter, ut ſemper fiat, quod ſolùm aliquando faciendum eſt, ne æger relictus intereat, ut ex iis, quę dicta ſunt, & quæ infra dicentur, intelliges.

2 Interea expendamus ea loca Tridentini; quæ paulò ante protulit Adverſariua. Et primùm in eo capite 2. ſeſſionis 14. id ſolùm dicunt Patres, alium eſſe Baptiſmi, alium Sacramenti Pœnitentiæ fructum:

ctum : per Baptiſmum effici nos novam creaturam, & conſequi plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem, nempè quoad culpam, & quoad pœnam ( ut interpretatur ipſe Author Cleric.Belgę pag.44. ) & hunc fructum non percipi in Sacramento Pœnitentiæ *ſine noſtris magnis fletibus, & laboribus*: non indè tamen ſequitur, præcepiſſe Concilium, ita ſuſcipi hoc Sacramentum, ut is tantus fructus percipiatur. Ergo ex his verbis non ſequitur, quod præceperit Confeſſariis injungere eos magnos fletus, & labores.

3 Ut autem quod aſſero, meliùs intelligas, diſtingue duos fructus hujus Sacramenti. Unus eſt remiſſio peccatorum, & alicujus pœnæ, quâ peccata commiſſa erant punienda, & is fructus certè intendi debet, ac proindè ſic miniſtrari, ac ſuſcipi hoc Sacramentum debet, ut is fructus ſequatur. At is fructus non pendet à ſatisfactione, & pœnitentiis, ſed à voluntate eas acceptandi cùm fuerint injunctę: hinc habens hanc voluntatem, ſtatim, dum abſolvitur, percipit hunc fructum, nempe hanc peccatorum, & alicujus pœnę remiſſionem, quamvis Confeſſarius nullam ei adhuc injunxerit pœnitentiam, vel quia eſt oblitus, vel quia voluit injungere poſtea, vel quia putavit Pœnitentem non poſſe, ut aliquando nequeunt moribundi.

Alter fructus eſt remiſſio omnium peccatorum, etiam venialium, & remiſſio totius pœnæ etiam temporalis, & is fructus ſanctè quidem intenditur, non tamen neceſſariò : non enim Deus, aut Eccleſia

nos

nos obligavit ad ſolvendum in hac vitâ totum debitum pœnæ: non igitur tenemur hos magnos fletus, & labores exhibere, ſine quibus non obtinetur is fructus, nempe hæc remiſſio omnium prorsùs peccatorum quoad culpam, & totam pœnam.

4 *Cler.* At Patres vocant hoc Sacramentum laborioſum Baptiſmum. Ergo talis eſt ex inſtitutione ſuâ, ſemperque involucre debet prædictos magnos labores, & ſemper taliter ſuſcipi, & miniſtrari, ut magnos labores Pœnitens exhibeat.

*Auct.* Et tamen iidem Patres magnis peccatoribus pœnitentiam ſubindè magnâ ex parte remiſerunt, ut oſtendi in Cler. Rom. & ſupra lib. 1. & 2. Nunc rogo, an Sacramentum ita miniſtratum fuerit laborioſus Baptiſmus? Si negas, non igitur talis debet ſemper eſſe; & certè cùm quis ſola levia confitetur, vel gravia aliàs clavibus ſubjecta, & abſoluta, hoc Sacramentum non eſt laborioſus Baptiſmus ex magna pœnitentiâ, quæ his non ſolet imponi. Si verò affirmas, ac dicis, Sacramentum hoc fuiſſe laborioſum Baptiſmum etiam cùm Patres, & Concilia remiſerunt totam, aut ferè totam Canonicam pœnitentiam, jam teneris concedere, hoc Sacramentum eſſe, ac dici Baptiſmum laborioſum ex alio capite, quam ex injunctâ pœnitentiâ magni fletus, magnique laboris. Igitur Patres ſic vocarunt hoc Sacramentum, non quia ſemper ita ſit, ſed quia ita eſt, cùm quis confitetur graviora peccata, & vult per hoc Sacramentum obtinere plenam, & integram remiſſionem culpæ, & pœnæ, ut obtinetur per Baptiſmum,

tiſmum, & ita renovari, ut ſolent renovari, qui Baptiſmum ſuſcipiunt. Et hoc modo ſumebant hoc Sacramentum, qui publicam, & canonicam illam pœnitentiam, aut ſpontè, aut juſſi, faciebant; Rursùs ſic vocarunt Patres, aut vocari certè poteſt, & debet hoc Sacramentum propter Confeſſionem, quam continet, quæ pleriſque eſt plena pudoris, quamvis eligant Confeſſarium, cui ſunt ignoti, quod ipſum plerique facere non poſſunt. Hinc Theologi, Sanctique viri, quorum doctrinam ſupra propoſui, putarunt, magnam partem ſatisfactionis pendi Deo per ipſam Confeſſionem. Igitur ex prædicto loco Concilii nihil infertur, quo ſeverior praxis inducatur.

Nec id infertur ex aliis locis ibidem allatis. Nam cap. 8. ejuſdem ſeſs. 14. dicitur, *decere Divinam clementiam, ne ita abſque ullâ ſatisfactione dimittantur peccata*, ut indè ſumamus occaſionem erroris, & relapſus, *putantes levia eſſe quæ gravia ſunt*, quæ ſolùm oſtendunt, ſapienter à Deo factum, ne per hoc Sacramentum remittatur nobit tota pœna ſine ullâ ſatisfactione. Abſtulit autem Deus illam occaſionem erroris, qui füiſſet cauſa relapſus, ſtatuendo, ut pro quovis peccato gravi, vel in hac vitâ, vel in aliâ ſolvatur pœna graviſſima; ex hoc enim probè colligimus, non eſſe levia, quæ deliquimus.

5 Quæ autem ibidem ſequuntur, de magno fructu harum gravium pœnitentiarum, & vi, quæ ineſt ipſis, retinendi pœnitentes à relapſu, oſtendunt,

eſſe

eſſe laudabile, quod imponantur, debere etiam imponi, cùm is fructus ſperatur, nec poteſt aliundè obtineri, nec ſperatur major fructus ex aliquâ earum remiſſione, & uſu aliorum mediorum, quibus utitur Confeſſarius ſuo labori non parcens, ut lucretur animam Pœnitentis, qui gravatus, jugum excuteret; aut rejectus deſperaret.

Ultima demum illa verba, *Debent ergo Sacerdotes Domini &c.* quæ potiſſimùm docent, quid hac in re Confeſſarius facere debeat, haudquaquam mandant imponi ſemper pœnitentias *convenientes pro qualitate criminum*, quod fieri, ſæpè nec debet, nec poteſt, ſed *pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate*, facultatem verò metiri conſuevit Eccleſia non ex ſolis viribus corporis, ſed etiam ex viribus animi, & ideò, ut notavi in prædictis locis, ſępè pœnam remiſit illis, qui eam certè ſuſtinere per vires corporis poterant, cùm pœnæ non eſſent ejuſmodi, quæ vires corporis exigerent, ut erant dejectio ab Eccleſiaſticâ dignitate, vel ejus muneribus, privatio Sacramentorum, publicus pudor, aliaque hujuſmodi. Putavit ergo habendam rationem etiam animæ virium, & ex his metiendam ſententiam. Quod movit S. Thomam ad eam doctrinam tradendam quodl. 3. qu. 13. cujus ſumma hæc eſt, *Videtur ſatis conveniens, quod Sacerdos non oneret Pęnitentem gravi pondere ſatisfactionis, quod poſſet extinguere parvum illum affectum contritionis, qui nuper fuit in eo excitatus.* Integrum textum ſupra recitavi, ubi S. Doctoris doctrinam propoſui.

6 Illud

6 Illud autem malum pernicioſæ conniventiæ, & laxioris indulgentiæ, quod hic caveri vult Concilium, ſatis evitatur, ſi hæc pœnitentia minor merito non imponatur paſſim, ſed aliquando, nec ex timore diſplicendi Pœnitentibus, aut incurrendi proprium damnum, ſed ex ſolo timore magis nocendi ipſis Pœnitentibus. Hęc enim eſt vera regula imponendarum pœnitentiarum ſtatuta ab ipſo Chriſto in inſtitutione hujus Sacramenti, quam convellere nemo poteſt, *Utilitas pœnitentium*. Si Eccleſia ſtatueret, quæ ſingulis pœnitentibus pro ſingulis peccatis utilis eſſet, ea imponenda eſſet. At hoc Synodus Tridentina non ſtatuit, ſed quatuor hæc tantùm. Primò ut tantum oneris imponatur, quantum Spiritus, & prudentia ſuggeſſerit. Secundò, ut hoc onus ſit ſalutare, & conveniens ſpectatâ qualitate criminum, & pœnitentium facultate, nempe, ut oſtendi, ſpectatis viribus corporis, & animæ pœnitentium. 3. Ne leviſſima quæque opera pro graviſſimis delictis injungantur per quandam conniventiam, & nimiam indulgentiam, quâ alienorum peccatorum participes efficiamur. Quartò ut ſatisfactio, quæ imponitur, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem.

7 *Cler.* At hujuſmodi non videntur eſſe illæ, quas dicebam & paſſim etiam pro gravibus culpis imponuntur, nempe confeſſio menſtrua, lectio quotidiana pii libelli, aut brevis per aliquot dies medi-

tatio

tatio mortis, aut inferni; aliaque hujuſmodi, quæ novæ vitæ cuſtodiam reſpiciunt potiùs, quam præteritæ vitæ vindictam.

*Auct.* Id eſt falſum, nam utrumque reſpiciunt, & preſtant utrumque, ut patet. Ceterum dum Concilium monuit, ne ea imponerentur ſolùm, quæ eſſet *infirmitatis medicamentum* videtur reſpexiſſe, & damnaſſe eorum praxim, qui id ſolum imponebant pœnitenti, ut occaſiones proximas reſecarent, & à peccandi periculis caverent, in quo certè errabant, ſed error communis non erat. Docuerat quidem S. Auguſtinus, ut allegatur à S. Raymundo lib. 3. §. 49. & ab aliis, quod *ſatisfactio pœnitentiæ eſt peccatorum cauſas excidere*, verùm nec S. Auguſtinus, nec indè S. Raymundus, aliiqui docuerant, hanc ſufficere, aut hanc eſſe eam totam ſatisfactionem, quam per facultatem ligandi injungit Eccleſia, ut juſtitiæ Divinæ ſatisfiat.

8 Nec ibo inficias, fuiſſe tunc aliquos Confeſſarios nimiùm benignos in pœnitentiis injungendis, quos fortè Concilium eo cap. 8. ſugillat. Sed hos damnamus omnes, iique ipſi Doctores, quorum benignam praxim tibi ſupra propoſui, invehuntur in Confeſſarios nimiùm indulgentes. In hujuſmodi invectivas non ſemel incides, ſi legeris ſermones S. Vincentii Ferrerii, & tamen is ipſe, ut audiiſti, voluit hac in re Confeſſarium benignum.

Diſtingue igitur, ut ſupra innuebam, eam indulgentiam, cujus cauſa eſt amor ſui, & ſocordia Confeſſarii ſibi ſoli timentis; ab eâ, cujus cauſa eſt com-

commiſeratio & charitas Confeſſarii in Pœnitentem, cui ſoli timet, cui ſoli proſpicit. Qui primâ indulgentiâ ducitur, is leviſſimas pœnitentias pro gravibus culpis injungit, nec priùs vires pœnitentis explorat, nec poſt injunctam pœnitentiam quidquã monet, ex quo Pœnitens ſuorum vulnerum gravitatem, ſuęquæ animæ periculum æſtimet ut debet, & perhorreſcat. Qui verò tangitur indulgentiâ charitatis, & commiſerationis, ponit ob oculos pœnitentis commiſſorum ſcelerum gravitatem, Divinorum beneficiorum abuſum, Divinam offenſionem, imminentes pœnas, debitum ſatisfaciendi per pœnitentias aſperas, & acerbas; explorat indè, & quærit quam ipſi facere ſtatus, & vires permittant; ſuggerit aliquam acerbiorem, nec tandem deſcendit ad aliquam minùs gravem, niſi, cùm hęc fructuoſior futura judicatur, & Pœnitens aliundè ſatis diſpoſitus apparet. Primam indulgentiam Synodus Tridentina eo loci damnat, non item ſecundam.

9 At hìc interrogo rigidos Doctores, cur hìc, ubi Concilium de ſatisfactione diſſerit, & ſugillat Confeſſarios nimiùm benignos, leviſſima quæque opera pro graviſſimis delictis per quandam conniventiam imponentes, nihil dicit de renovando canones pœnitentiales, de conando ſaltem, ut ea diſciplina reſtituatur, ut hæ pœnitentiæ fiant ante abſolutionem, vel ſaltem antè Communionem?

10 Dicit quidem Author lib. de frequenti communione, id multis in locis doceri, aut ſuggeri, aut inſinuari à Concilio Tridentino, is enim eſt ti-

tulus cap.21. partis 2. *Concilium Tridentinum multiplices ad pœnitentiam antiquam inſtaurandam vias aperit, ejuſque omnia fundamenta conſtituit*, ſed ipſe ſolus tam altè verborum Concilii ſenſum inſpexit, ut id in eo contineri cognoverit, quod nemo alius vidit. Audi quæ ſint iſta fundamenta. Statim enim primum oſtendit his verbis.

*Id ex eo primùm cernitur, quòd univerſas Apoſtolorum traditiones authoritate ſua Sancta Synodus velut poſtliminio revocat, variiſque locis Eccleſiaſticæ diſciplinæ in eum ſtatum redigendæ, quem priuſquam hominum ignaviâ, canonum ignoratione, morumque pravitate collapſa eſſet, obtinuit, ſummam voluntatem profiteatur.*

At unde habet, quòd una ex traditionibus Apoſtolorum ſit hæc, quod videlicet, imponantur illæ tam aſperæ pœnitentiæ, quod peragantur antè abſolutionem, omninò antè communionem, quod is uſus ceſſarit propter hominum ignaviam, canonum ignorationem, morumque pravitatem? Duo priora ſæcula non admodum rigida fuiſſe, fatentur etiam Doctores rigidi cum Morino. Alia ſæcula ſic rigida fuiſſe in foro arcano pœnitentiæ negant alii, & cum illis non negavi ſolùm, ſed probavi argumentis ſatis validis, nec fortè invalida ſunt ea, quibus oſtendi pluries, non eam fuiſſe, quam dicit, cauſam inductæ benignitatis, quæ ſuſtineri non poteſt ſine infamiâ Eccleſiæ ejus temporis, ſine injuriâ præſtantiſſimorum Doctorum, Sanctorumque, qui eam benignitatem, ut conformem inſtitutioni Sacramenti com-

pro-

probarunt; ſine offenſione Divinæ providentię, quę eam ſocordiam, eam ignorationem in totâ Eccleſiâ, eam in populo fideli deceptionem per tot ſæcula permiſit. Iis autem quæ affert ex Cypriano millies reſponſum eſt.

11 Audi alterum fundamentũ, quod idem Concilium conſtituit, ſeu alteram viam quam oſtendit judicio ejuſdem Scriptoris. *Alteram Concilium Tridentinum reſtaurandæ pœnitentiæ viam aperit, dum antiquos omnes Canones de moribus, & officiis Clericorum, etiam qui in deſuetudinem abjiſſent, in uſum revocari jubet*. Sunt ergo prębaricatores Epiſcopi omnes, qui à prędicto Concilio uſque ad hæc tempora fuere, quorum nullus (& quidem nec S. Carolus) revocavit in uſum Canones Pœnitentiales, immo nec tentavit eos in uſum revocare?

12 Audi tertium fundamentum, quod ſitum in eo eſſe, dicit, quod c.8. ſeſs.14. definivit adverſus Lutherum, pœnitentiam non tantùm ſitam eſſe in mutatione vitæ, *ſed & in priſtinis peccatis lugendis, exorandoque Deo lacrymis, orationibus, jejuniis, eleemoſynis, aliiſque operibus, quæ majorum traditio commendat*; ex quo tam ſequitur eſſe inſtaurandam antiquam pœnitentiam, quàm ſequitur eſſe Lutheranum, qui non inſtaurat antiquam pœnitentiam, vel ea omnia non facit, quæ vetus diſciplina pœnitentiæ continebat ex ſententiâ hujus Doctoris, qui præterea videtur habere pro re leviſſima id quod Doctores ſanctiſſimi, quos ſupra allegavi, plurimi faciunt, & dicunt eſſe magnam partem ſatisfactio-

Z 2 nis,

nis, quam Deo exhibet peccator pro culpis commiſſis. Hoc autem eſt ipſa confeſſio omnium peccatorum, ipſarumque cogitationum cordis facta alteri homini propter Deum, per quam non parùm diſcriminatur noſtra pœnitentia à Lutherana.

13 Accipe quæ ſit quarta, & ultima via aperta ab eadem Synodo ex ſententiâ hujus Authoris, qui capiti 23. hunc titulum præfigit. *Quartam inſtaurandæ pœnitentiæ viam Synodum patefacere, dum Sacerdotes jubet convenientes gravitati criminum ſatisfactiones injungere, ne eorum participes efficiantur*. Sed primò Concilium non docet id eſſe faciendum abſolutè, ſed *quantùm Spiritus & prudentia ſuggeſſerit*, Spiritus autem, & prudentia aliquando ſuggeſſit, ut interpretantur S. Raymundus, S. Thomas, B. Humbertus, aliique viri Sanctiſſimi, non eſſe convenientes gravitati criminum ſatisfactiones injungendas, ſed alias multò minores. 2. Concilium non dicit, eſſe imponendas pœnitenties gravitati criminum, convenientes, ſed *ſalutares, & convenientes pro qualitate criminum, & pœnitentium qualitate*, quæ ultima verba ſic poſtea recitat is Author, dum affert textum Concilii, ut nec expendat, nec expendenda moneat, perindè, ac ſi ſint inutiliter adjecta, ac penitùs redundent.

14 Sed illud eſt penitùs intolerabile, quod recitato hoc textu Concilii, docentis debere convenientes, & ſalutares, quas diximus, pœnitentias injungi, quem nos recitavimus initio hujus capitis, ſtatim ſubdit, hæc verba apertè demonſtrare, quàm ſint

lau-

laudabiles illi Confeſſarii, qui, ut æquales criminibus, quantùm fieri poteſt, ſatisfactiones decernant, arcent aliquandiù pœnitentem à communione, & addit rationem, quod videlicet *Eccleſia hanc temporarii ab Euchariſtiâ diſceſſus ſatisfactionem, pœnitentis conditioni accommodatiſſimam, Chriſto acceptiſſimam, peccatori ſaluberrimam ſemper judicarit*. Quo quid magis alienum à mente Concilii, quod nunquam hujus pœnitentiæ meminit, quamvis non ſemel varia pœnitentiarum genera recenſeat? Quid magis alienum à praxi fidelium, & communi perſuaſione, & doctrinâ Sanctorum virorum, qui id potiùs injungere peccatoribus conſueverunt, ut frequentiùs confiteantur, & communicent?

Ut autem probè intelligas abſurditatem doctrinæ, ne credas id exigi tantùm, & injungi ab hoc Authore, ne recens à commiſſo crimine ſtatim communicet, id enim exigimus omnes; multò longiorem is Euchariſtiæ privationem poſtulat.

*Cler*. Ecquam? unius hebdomadæ?

*Auct*. Longè diuturniorem.

*Cler*. Menſtruam?

*Cler*. Adhuc diuturniorem.

*Auct*. Annuam?

*Auct*. Erit Pœnitens ex hoc Doctore à ſacrâ menſâ arcendus, donec & uſque evadat in virum Sanctum. Ut enim notavi in Francolino vindicato cap. 2. num. 5. pag. 80. docet, admittendos ad ſanctam Communionem non eſſe, qui non ſunt perfectè uniti cum Deo ſolo, & penitùs irreprehenſibi-

les, quem ſanctitatis apicem quam pauci aſſequantur, & quanto annorum impendio, benè noſti.

*Cler.* Et hanc tam longam, aut etiam perpetuam Euchariſtiæ privationem ſemper judicavit Eccleſia eſſe ſatisfactionem *Pœnitentis conditioni accommodatiſſimam*, *Chriſto acceptiſſimam*, *peccatori ſaluberrimam*? Quis non exhorreat?

15 *Auct.* Ne lector exhorreſceret, proponit hanc doctrinam, veluti traditam à Bellarmino; ſic enim habet in margine. *Prima communis*, *&* *graviſſima* (*pœnitentium pœna*) *abſtinere à participatione Divinorum myſteriorum*. *Bellarm.* *l.* 1. *de Pęnit. cap.* 22. Perindè ac ſi Cardinalis Bellarminus ſic abſolutè id aſſerat, loquaturque de omnibus pœnitentibus, qui gravia peccata commiſerunt, ut loquitur ipſe, quod eſt omnino falſum: nam ibi Bellarminus loquitur ſolùm de iis, qui ſolemnem pœnitentiam faciebant; is enim eſt ejus capitis 22. titulus, *De ritibus Pęnitentiæ ſolemnis*, & enumerans poſtea pœnas, quas hæc ſolemnis Pœnitentia complectebatur, dicit, *Prima communis*, *& graviſſima abſtinere à participatione myſteriorum*, quæ pœna etiam modò eſt graviſſima inter pœnas excommunicatorum, & communis omnibus excommunicatis, non tamen eſt *communis pœnitentium*, nempe omnium, quos pœnitet gravium delictorum, ut is Author vult eſſe; imò debet eſſe paucorum, cùm ex eodem Bellarmino pauciſſimis ſolemnis pœnitentia injungeretur: capite enim præcedenti, nempe 21. ſic habet idem Cardinalis, *Pęnitentia ſolemnis*, *quam*

*Augu-*

*Auguſtinus humillimam vocat in ep.* 54. *& Ambroſius allique Patres communiter publicam appellare ſolent, non niſi pro graviſſimis criminibus, quæ totam civitatem conturbaſſent, magnumque ſcandalum attuliſſent, imponi conſueverat*, quod probat non ſolùm authoritate Origenis, & Ambroſii, ſed textibus clariſſimis Concilii 3. Carthaginenſis, & Concilii Toletani 1. Qui autem cum tantâ perturbatione, & ſcandalo peccabant, erant certè pauci, imò pauciſſimi, ſi credimus Arnaldo, ejuſque aſſeclis, qui eorum temporum Eccleſiam adeò celebrant, & attollunt ſupra præſentem Eccleſiam. Quâ igitur ratione vult, eſſe pœnam communem pœnitentium, quæ erat pauciſſimorum?

Rursùs Card. Bellarminus id ſolum dicit, eam fuiſſe graviſſimam, cum privaret maximo, & ſaluberrimo Sacramento, quo aliquos privat Eccleſia, amore boni communis, non autem dicit, fuiſſe pœnam ſaluberrimam, ut ipſe dicit. Quâ igitur fide, velut in confirmationem ſui dicti, allegat Bellarminum id non dicentem, imò innuentem oppoſitum? Et qui hoc modo ſcribit, ſcribit mente bona? Credis ne?

*Cler.* Difficile id credam.

*Auct.* Non credent omnino, qui hujus Scriptoris expulſionem, ſciſſionemque ex reliquo corpore præſtantiſſimæ Academię, exilium, diffuſam in exilio peſſimam doctrinam, & pertinaciam norunt, qui finem earum norunt, quas hoc libro ſuiſque privatis colloquiis inſtruxit.

*Cler.* Ecquis finis fuit?

*Auct.* Uſus rariſſimus, & penè odium Sacramentorum, amor & ſtudium tuendę novæ doctrinæ, quinque, quas noſti, propoſitionibus contentę, domorum, & urbium perturbatio, ſcandala, contumacia. Sed de his ſatis, & ſi plura ſcire cupis, lege Cauſam Quæſnellianam, cujus aliàs memini. Nunc (quod paulò ante, me facturum promiſi) docendus es, quam praxim, ut communem, & certam proponant, qui ſcripſere poſt Tridentinum.

*Cler.* Antequam id præſtes, ſcire velim, an ſicuti Tridentinum docet, quis dolor ſit neceſſarius in hoc Sacramento, quæ ſint obſervanda in injungendis pœnitentiis, ita doceat quibus interrogationibus ſit juvandus in ſuâ Confeſſione pœnitens, ejuſque animus, aut diſpoſitio exploranda; quando ſit habendus verè diſpoſitus; quando ei credendum; quando, quandiù, & quomodo probanda ejus fides & propoſitum.

*Auct.* Has diſtinctas inſtructiones Tridentinum non habet.

## §. VI.

*Oſtenditur, nec in reliquis fuiſſe noſtram doctrinam à Concilio Tridentino damnatam.*

*Cler.* Nihil ergo dicunt Patres de negandâ, vel differenda abſolutione relapſis?

*Auct.* Nihil.

*Cler.* Nihil de negandâ, vel differendâ abſolutione

tione Pœnitentibus, quos conſtat non adhuc ſuſtuliſſe pravos habitus peccando contractos, quamvis nunc verè doleant, & proponant?

*Auct.* Nihil.

*Cler.* Nihil de probandis Pœnitentibus per aliquot hebdomadas, vel menſes antequam abſolvantur, ut Confeſſario conſtet de firmitate propoſiti?

1 *Auct.* Nihil. Erravi. Neſcio quid reperit in Tridentino Author Theologiæ nuper editæ, & nuperrimè recuſæ.

*Cler.* Ecquid?

*Auct.* Dicit, ab Tridentino inter diſpoſitiones neceſſarias ad abſolutionem exigi ceſſationem à peccato.

*Cler.* Fatemur omnes, omnino requiri, ut Pœnitens, qui vult abſolvi, peccare deſinat; nam ſi adhuc peccat, dum petit abſolutionem, utique nequit abſolvi.

*Auct.* Non id ſolum exigi à Tridentino, dicit, ſed ceſſationem conſtantem, & diuturnam, per quam Pœnitens diù ſe contineat ab omni relapſu, nempe propoſitum non ſolùm conſtans affectu, ſed effectu & re ipſa, ut notavi in Cler. Rom. l. 2. d. 10. n. 26.

*Cler.* Ubi nam id exigit Tridentinum?

*Auct.* Ubi exigit propoſitum non peccandi de cætero.

*Cler.* Id ergo ſignificat propoſitum non peccandi de cętero, nempe ceſſationem diuturnam à relapſu?

*Auct.* Ita penès hunc Doctorem.

*Cler.*

Digitized by Google

*Cler.* Tu ludis.

2 *Auct.* Puderet in re tam ſeriâ ludere. Hęc eſt hujus Doctoris interpretatio, nec diverſa eſt ea alterius Doctoris, qui librum contra me ſcripſit, cui titulus *Clericus Belga &c.* Nam pag. 32. dicit ad juſtificationem requiri à Tridentino inter alias diſpoſitiones *propoſitum ſervandi Divina mandata*, nempe (ſic interpretatur) *propoſitum efficax, hoc eſt ejuſmodi, ut voluntatem, ſeu affectum contrarium ſuperet, ſepoſitiſque impedimentis tempore & loco* EFFECTUM *ſortiatur*. Igitur ex hoc Doctore Tridentinum poſtulat à Pœnitente confeſſuro propoſitum non ſolum affectu efficax, ſed efficax re ipſa, & effectu, quem poſtea ſuo loco, & tempore ſortitur.

*Cler.* At quomodo cognoſcet Confeſſarius hujuſmodi eſſe propoſitum Pœnitentis?

3 *Auct.* Id intelliget (inquiunt) ex operibus, ſi diù poſt ultimam Confeſſionem, ſeu lapſum, & propoſitum factum non peccandi ampliùs, verè non peccaverit ampliùs, & bonis operibus Deum placare, & contrarios affectus, ſeu habitus ſuperare contenderit.

*Cler.* Sed iterum quæro, quæ debeant eſſe hęc opera, & quandiù præſtanda erunt?

4 *Auct.* Id fusè docet idem Author in prędicto Clerico Belga pag. 83. ubi Confeſſarium inſtruit, monetque, *quæ præcisè opera requirantur, aut ſufficiant ad judicandum prudenter, Pęnitentes eſſe ſatis ad juſtificationem diſpoſitos*, ut dicit in titulo hujus numeri, & initio capitis. Audi benignam, & benè temperatam doctrinam. *Duo*

*Duo extrema, ut in moralibus ſolet, cavenda ſunt: Primum ne opera nimis laborioſa, & nimis diuturna ad certitudinem iſtam requiras: Alterum, ne opera quantumvis exigui laboris ac temporis ad eam putes ſufficere. Inter hæc medium tenendum: ut autem medium teneatur, obſervare juvat.*

1. *Requirenda non eſſe opera laborioſa, exotica, aut inuſitata, ut ſunt caſtigationes corporis, humi cubationes, cilicia, auſtera jejunia, longiores vigiliæ nocturnæ &c. Sed ſufficere paſſim ea quæ familiaria, ac uſitata ſunt, atque ad officium hominis Chriſtiani alioquin pertinent, ut ſunt fugere occaſiones, & illecebras peccati, puta tabernas, conſortia, converſationes, delicias corporis, exceſſum in cibo, potu, & ſomno, otium &c. Item mane, & veſpere, & ſi fieri poteſt, aliquoties per diem dare ſe paululum conſiderationi rerum ad ſalutem pertinentium, ac orationi; officio ſuo, in quo Deus quemque conſtituit, diligenter fungi, & quæ in eo occurrunt, moleſtias pro peccatis patienter ferre; per diem ſæpiùs, inter alias etiam occupationes ad Deum clamare, veniam peccatorum petere, implorare ipſius miſericordiam, & gratiam Salvatoris invocare.* Audis, ex quibus operibus debeat Confeſſarius cognoſcere diſpoſitionem Pœnitentis?

*Cler.* Igitur hæc omnia, ad minùs, præſtanda priùs erunt à peccatore, antequam abſolvatur?

*Auct.* Audiiſti.

*Cler.* Et quandiù ſic vivere peccator debebit, ut tandem poſſit abſolvi?

*Auct.*

5 *Auct.* Statim idem reſpondet, *Certam menſuram temporis definitam non eſſe, non hebdomadas, non menſes, non annos, quibus iſta ante abſolutionem præſtari debeant, ut moralis de diſpoſitione Pœnitentis certitudo habeatur. Sed tum demum eam haberi, cùm peccator occaſiones peccati fugiendo, orando, cupiditatibus ſuis reluctando eo uſque profecit, ut jam verè de ipſo dici poſſit: A peccatis abſtinet, & vitam mutavit. Hoc autem in aliis citiùs, in aliis ſeriùs perficitur.*

*Cler.* Hoc ipſum ſcire velim, quando cum veritate dici poterit, *Hic abſtinet à peccatis, & vitam mutavit?* Quid hoc ſit, num rariùs peccare quam antea?

*Auct.* Id ſatis non eſſe, dicit auctor Theologiæ nuper recuſæ Pariſiis, & Venetiis. Eique conſentiet hic auctor Belga. Nam qui cadit rariùs, adhuc cadit, adeoque ſuis cupiditatibus non reluctatur, quod is expoſcit.

*Cler.* Ecquid ſi rariſſimè cadat?

*Auct.* Nec id ſatis erit ex eadem ratione, & ſatis utrique id innuunt.

*Cler.* Ecquid, ſi miſer peccator ſemel tantum relabatur?

*Auct.* Nec is reluctatur cupiditatibus ſuis.

*Cler.* Igitur neceſsè erit ut poſt ultimam confeſſionem, ſeu propoſitum nunquam ſit relapſus amplius.

*Auct.* Nec id ſatis erit, ſi id tempus, quo ſtetit, breve fuit. Nam aliud eſt, ex hoc Auctore Bel-

ga,

ga, mutare voluntatem, aliud mutarē vitam. Qui peccat, ſed ſtatim dolet, & peccatum deteſtatur, mutat voluntatem (inquiet) at non ſtatim dicetur, *hic mutavit vitam*. Id enim dicitur de eo qui *ſtabiliter* vivit aliter ac antea.

*Cler.* At quādiù ſic vivendū erit, ut id dici poſſit?

*Auct.* Mutaſſe vitam, negabit, eum qui ſaltem aliquot menſibus non vivit aliter ac antea.

*Cler.* Igitur qui poſt vitam malè traductam, non vivit aliquot menſibus innocentiſſimè, & ſine ullo prorſus gravi relapſu, ſi redeat ad Confeſſarium, erit iterum dimittendus ſine abſolutione, quamvis oraverit, fugerit occaſiones, & relapſus ſit rariſſimè e. g. ſemel, aut bis?

*Auct.* Id concedit Auctor prædictæ Theologiæ iterùm editæ. Vide quæ notavi in Clerico Rom. loco cit.

*Cler.* Nunc intelligo, cur prædictus Scriptor Belga dicat, *Certam menſuram temporis definitam non eſſe, non hebdomadas, non menſes, non annos*. Nam ſubindè anni labentur toti, pluresque, antequā peccator diù peccare aſſuetus, ad hanc plenam, & perfectam longi temporis innocentiam perveniat.

*Auct.* Labentur certè plures anni, imò tota vita: non enim facilè contingit, ut ingens peccator penitùs curetur ſine ullo uſu Sacramentorum, nempè remediorum, quæ ſunt ad noſtram curationem inſtituta. Is autem qui non abſolvitur, ut interim ejus conſtantia cognoſcatur, & probetur, toto tempore probationis omni uſu Sacramentorum caret.

*Cler.*

*Cler.* Ecquis credat, fundari in doctrina Concilii Tridentini praxim tam horribilem, tam contrariam tot viris ſanctiſſimis, doctiſſimiſque, qui hujuſmodi peccatores ad uſum frequentem Sacramentorum hortantur ſępiſſimè, contrariam omnibus tot ſæculorum Doctoribus, quos hactenus allegaſti.

*Auct.* Quoſque nunc allegabo.

# CAPUT VII.

*Oſtenditur, quæ fuerit poſt Concilium Tridentinum uſque ad annum circiter* 1650. *communis Theologorum doctrina circa præſentes noſtras Controverſias.*

INgens Doctorum numerus, qui intra id tempus ſcripſere (nulla enim fuit Theologorum, Scriptorumque feracior etas) cogit me multò plures Doctores hìc proferre, quàm fecerim antea, cùm tempora priora Tridentino percurrerem. Non enim ex quatuor, aut quinque ſolis Doctoribus colligi facilè poteſt praxis communi ſuffragio tradita, cùm ſunt innumeri qui tradunt. Igitur opus eſt, ut afferam permultos, eoſque diverſorum Ordinum, Nationum, & Academiarum, ut doctrina omnium eluceat. Hos autem afferam, nullo facto delectu benigniorum, ſed celebriorum, qui mihi venerunt ad manus, quique in aliorum quoque manus venire facilè poſſint, ut omnibus conſtare queat fides mea in referendis, excribendiſque, non quidē integris locis Doctorum, quos allego, quæ ſubindè longiora ſunt,

aut

aut ea continent, quæ ad præſentes controverſias non ſpectant, ſed illis locorum partibus, in quibus tota Auctoris ſententia continetur; quod præmonitum volo, ne, dum reſeco ſuperflua, videar amputare neceſſaria, & parum conſulere fidei, dum conſulo brevitati.

## §. I.

### *Doctrina juſſu S. Ignatii propoſita Societati univerſæ per Joannem Polancum.*

1 EDidit quidem Polancus juſſu Sancti Patris *Directorium Confeſſariorum*, dum Concilium Tridentinum celebrabatur; ſed eo abſoluto, idem recudit, ejuſdemque Concilii, quod aliquando allegat, auctoritate, doctrinam in eo contentam confirmavit. Quare non ab re inter Directoria, Inſtructioneſque Confeſſariorum editas poſt Concilium, is quoque libellus recenſeri poteſt. Quamvis autem labor hujus directorii fuerit totus Polanci, doctrina tamen S. Ignatii fuit, qui Opus injunxit, recognovit, & approbavit cum aliquot Sociis ſuis præſtantiſſimis ejus ævi Theologis, qui prædicto Concilio cum Polanco ipſo interfuerant. Certè eâ fuit bonorum doctorumque hominum approbatione hoc directorium exceptum, ut quamvis S. Ignatius ſcribi illud voluerit pro ſolis ſui Ordinis Confeſſariis, ut Auctor in Præfatione teſtatur, edendum pro externis quoque fuerit, ad id annitente Pontificis in Urbe vicario Archinto, qui librum, antequam

typis

typis mandaretur, legerat, & communi omnium bono edendum judicarat. Ex hoc libro depromam aliqua, omiſſis reliquis, quæ aut non faciunt ad præſentes controverſias, aut quæ jam expendi in alio meo Opere *de Dolore ad Sacramentum Pœnit. ritè ſuſcipiendum neceſſario*, in fine lib.2.

2 Cap. 1. §.4. *de Prudentia Confeſſarii*, monet (ut ſupra S. Antoninus) debere Confeſſarium qui ordinarius eſt, in iis, in quibus variè ſentiunt Doctores inſignes, ſuadere quidem Pœnitenti, ut tutiorem ſententiam ſequatur, abſolutionem tamen ei negare non poſſe, quamvis Pœnitens ſequatur opinionem ſuæ contrariam, & ex eâ judicet actionem à ſe factam non eſſe peccatum.

3 Cap.2. §.2. monet, ut ſi Confeſſarius advertit præteritas Pœnitentis Confeſſiones non fuiſſe ritè factas, & eſſe iterandas, hortetur eum, *ut ſe paret. Si tamen non apparet facturus, ſi inde receſſerit, hortetur, ut tunc dicat omnia &c.* Et ſuppleat Confeſſarius ſuis interrogationibus, ſi quid omiſſum videbitur. Id ipſum monet, ut fiat, ſi Pœnitens acceſſerit non præmiſſo debito examine, adeoque indiſpoſitus, *& non ſit veroſimile, quod redibit ſemel dimiſſus*. Putavit ergo, quod Pœnitens qui accedit indiſpoſitus, & ſine debito dolore poſſit facilè diſponi induſtriâ Confeſſarii, & concipere ſtatim dolorem ſufficientem, eoque concepto ſtatim abſolvi, ac proindè non eſſe quid valde rarum & miraculo ſimile, ut dicunt Adverſarii, quod peccator brevi tempore diſponatur, & veram pœnitentiam concipiat.

Hoc

Hoc ipſum ſupponit eodem cap. 2. §. 4. ubi agit *de Pœnitente juvando ad contritionem habendam*, dicit enim, quod, ſi Pœnitens, dictis omnibus peccatis, parùm de eis dolore videtur, curet Confeſſarius eum excitare ad dolorem ſufficientem, ut poſſit ipſum abſolvere & quidem loquitur etiam de peccatore pravis habitibus implicito: nam monet Confeſſarium, ut propoſitis motivis excitantibus ad dolorem, deſcendat ad aliqua graviora peccata ex his, quæ dicta ſunt à Pœnitente, & ad quæ magis videtur Pœnitens propenſus, eaque exaggeret, & aggravet, ut magis ea Pœnitens deteſtetur, & ſic poſſit ſtatim abſolvi.

Clariùs idem docet, aut ſupponit eodem cap. 2. §. 2. ubi agit *de iis, quæ præmittuntur Confeſſioni*. Dicit enim, quod ſi Pœnitens interrogatus de ſtatu ſuæ vitæ, oſtendit ſe minimè paratum à peccato recedere, dimittatur, *ne tempus cum eo conteratur, quod cum aliis utiliùs expenderetur*. Additque, quod *ſi occupationes non urgeant, pium erit hos etiam audire, ſi fortè miſereretur Deus, eorum cor mutando in confeſſionis decurſu*. Et §. 4. ſic habet. *Si pœnitens oſtendit, ſe non paratum ad relinquendum ſtatum peccati, ut concubinam &c. diligenter quidem conetur animam proximi ſui lucrifacere perſuadendo: ſed ſi omninò non poſſit, ne abſolvat*. Loquitur autem de abſolutione, quam Confeſſarius ſtatim impertitur (niſi quid aliud obſtet) ſi perſuadeat Pœnitenti, ut concubinam relinquat. Concubinarius autem utique habet habitum pravum.

Igitur etiam hos converti perſuaſione Confeſſarii putat, hoſque ſic converſos poſſe ſtatim abſolvi.

4 Eodem cap. 2. §. 2. recenſet quæ ſint ea, quæ impediunt, ne pœnitens poſſit, confeſſione peracta, abſolvi, nec inter iſta enumerat ea, quæ modò recenſent aliqui Doctores.

Cap. 3. §. 2. fusè tractat, *quomodo juvetur Pœnitens à Confeſſario ad emendationem vitæ*. Et multa media proponit, nempè Deum præſentem recordari, recurrere ad Angelum Cuſtodem, ad Sanctos, & præcipuè ad Chriſtum crucifixum, ejuſque ſanctiſſimam Matrem, meminiſſe beneficiorum Dei, & pœnarum, quibus peccator eſt obnoxius, mortis, judicii extremi. Tantum verò abeſt, ut judicet conferre ad emendationem pœnitentis differre ei tam facilè, ac tandiù abſolutionem, ut proponens tria, *quæ præcipuè ferè omnibus poſſunt ſalubriter proponi*, ut certiùs emendentur, tertium ex his eſſe dicat *crebrò confiteri ſacramentaliter*. Similiter in Appendicibus agens de remediis univerſalibus ſic habet. *Primò ſummum, & univerſale remedium ad omnia vitia extirpanda, & inſerendas virtutes eſt frequens oratio cum fiducia. Secundò frequens confeſſio, & quæ ſtatim, cùm in aliquod lapſus fueris peccatum, fieri debeat*. Et ne quis ineptè diceret, ſuaderi quidem Pœnitenti ut frequenter confiteatur, ſed non Confeſſario, ut hunc frequenter abſolvat; addit ſtatim, *tertium remedium eſſe frequentem ſumptionem Euchariſtiæ*, quæ profectò, ſine abſolutione, à peccatore ſumi non poteſt.

Agens

5 Agens autem in prædicto cap. 3. §. 2. & quidem ſpecialiter & diſtinctè de recidivo, ea ſolùm affert, quæ Gerſon refert à quodam fuiſſe uſurpata: ſic enim habet. *Contra recidivum narrat Gerſon Cancellarius, hoc remedio uſum fuiſſe Doctorem quendam, ut ſcilicet quinque ad tempus injungeret, habito conſenſu. Primum ut quandocunque accideret tale peccatum, ille cui accidit, teneretur jejunare die ſequenti in pane, & aqua. Secundum, ut certum numerum pſalmorum diceret. Tertium, ut aliquid ſibi carum, vel certè pecuniam daret juxta facultatem. Quartum, ut teneretur intra triduum poſt peccatum confiteri. Quintum erat, ut licet ſuccumbens tentationi conſentiret peccato, aliquas orationes tamen priùs diceret, ſi fortè miſereretur Deus. Hæc autem remedia non tantum ut utilia proponat Confeſſarius, ſed nitatur Pœnitentibus perſuadere (cogere enim non poteſt, nec expedit.)* De remedio, quod modò tanquam potiſſimum & omninò adhibendum, docent Rigidi Doctores, nempè de dilatione abſolutionis. donec relapſus emendetur, nec Gerſon meminit, nec Polancus.

6 Cap.2. §.5. agens de ſatisfactione, *Nec etiam* (inquit) *pro occulto peccato manifeſta pœnitentia dari debet, ex qua in ſuſpicionem illius veniri poſſit.* Et ſubdit, *quod attinet ad magnitudinem ſatisfactionis, præſtat errare minorem æquo, quàm majorem imponendo: licet re vera idem opus in ſacramentalem pœnitentiam injunctum efficacius ſit ad meritum, ob clavium virtutem, quam ſi voluntate fieret:*

*imò ea non tam quantitati, aut qualitati criminis; (cujus tamen eſt habenda ratio) quàm perſonæ debet congruere: nam diſpoſitis ad majorem pœnitentiam admittendam, major poteſt injungi. Infirmis qui vel non admittunt, vel certè videntur non expleturi graviorem pœnitentiam, eam imponat, quam executuri videbuntur. Concedat etiam poſſe redimere, ut jejunia eleemoſynis: quædam etiam pœnitentis relinquat arbitrio, ut, ſi dicat, hoc facies, vel, ſi malueris, illud. Demum potiùs levem ſatisfactionem imponat, quàm recedere ſinat afflictum, vel deſperatum pœnitentem, ob pœnitentiæ gravitatem. Quando tamen exigua injungetur pœnitentia, indicari poſſet, quanto majorem mererentur: ſiquidem ſeptennis pro quovis mortali in uſu erat.* 22. *quæſt.* 1. *Si tamen timeretur nimia dejectio, vel diffidentia, non expedit hoc dicere: caritatis erit humaniori adhortatione ſuadere voluntariam ſatisfactionem, ſignificando, quod in Purgatorio, aut in hoc Mundo, quod reliquum eſt pœnæ luere oportebit. Utcunque hoc ſit, hortetur, ut in gratia Dei pœnitentiam abſolvere curet.*

7 Inde recenſet pœnitentias, quæ utiliter imponantur, quæ ſunt preces, jejunia, eleemoſynæ, & rursùs aliqua, ad quæ aliunde tenetur pœnitens, ut evitare occaſiones peccandi &c. aliaque quæ vocat remedia peccatorum, *quale eſt octavo vel quintodecimo quoque die confiteri*, ſi tamen Pœnitens id onus libenter admittat.

Monet autem cap. 4. §. 1. ne abſolvatur pœnitens ſub ea conditione, *ſi pœnitentiam impleveris*, *vel*

*vel ſi reſtitueris*, & univerſim ſub nulla conditione de futuro, benè autem poſſe addi abſolutioni conditionem de præſenti, ac proindè eum qui dubitat, an jam abſolverit, poſſe dicere, *Si non es abſolutus, ego te abſolvo*.

Hanc praxim, tanquam communiter receptam, & optimam, quam ante aliquot annos propoſuerat, ut initio monui, propoſuit iterum Polancus nova edit. anno 1568.

## §. II.

### *Doctrina Martini Navarri*.

PAulò poſt, nempè anno 1573. ſui Manualis verſionem Romæ adornavit & additione multarum rerum, quæ præſertim fuerant in Concilio Tridentino decreta, ut in præfatione dicitur, amplificavit, illuſtravitque Martinus Navarrus, vir antiquæ probitatis, diſciplinæ amantiſſimus, in doctrinâ morali, & canonicâ nulli ſecundus.

1 In hoc Manuali hæc docet circa contritionem. Et 1. num. 35. docet contritionem conceptam ex charitate, *quantumcunque ſit remiſſa, ſatis eſſe ad diluenda crimina*. Ergo putavit charitatem etiam inchoatam & remiſſam ſatis eſſe ad diluenda crimina. Ergo quandoquidem, ut concedit Adverſarius, Navarrus non exigit in hoc Sacramento, de quo agimus, contritionem, quæ ſatis ſit ad diluenda crimina, jam nec exigit contritionem ex charitate inchoata conceptam, igitur, quamvis n. 42. doceat non

ſufficere attritionem conceptam ex ſolo metu, non proindè docet requiri contritionem conceptam ex charitate, ſed ex aliquo motivo medio, puta gratitudinis, religionis, juſtitiæ &c. Hinc ibidem docet ſufficere amorem Dei virtualem, ita ut reſpiciatur peccatum aliquo modo, ut eſt offenſa Dei, ut certè reſpicitur à dolente propter motiva prædictarum virtutum gratitudinis, religionis, juſtitiæ &c. 2. non ſolum non exigit unquam in hoc Sacramento charitatem, aut dolorem verè conceptum ex charitate, ſed nec contritionem putatam, nam ſub finem hujus cap. docet expreſsè, quod *communicaturum oportet putare ſe eſſe verè contritum, quod non oportet facere confeſſurus*, 3. Sub finem pariter hujus capitis ita proponit ſententiam ſuam. *Mea in hac re ſententia eſt, neceſſariam eſſe ad ſuſcipiendum prædictum Sacramentum* (nempè pœnitentiæ, de quo hìc agit) *attritionem, quam pœnitens putet expreſsè vel virtualiter ſufficere ad accipiendam abſolutionem, per quam condonentur ei peccata, quamvis non ſit vera contritio, nec putet eam eſſe contritionem, quæ ſola in id ſufficeret ſine abſolutione*. Ideſt quamvis non putet ſe dolere ex charitate, quæ in quocunque gradu ſit, ſufficit ex Navarro ad diluenda crimina. Igitur Navarrus tria manifeſtè docet, quæ nos docemus, & negantur ab Adverſaris, nempè omnem charitatem etiam remiſſam ſatis eſſe ad diluenda crimina; non requiri in Sacramento contritionem ex tali charitate conceptam; demum nec requiri talem contritionem putatam. In uno ſolo diſcor-

ſcordat à nobis, nempè in eo, quod putat non ſufficere dolorem conceptum propter ſolam pœnam Inferni, & requiri dolorem, qui, quamvis non ſit charitatis, ſit tamen ſublimior dolore concepto ex ſola gehenna.

2 Hic tamen notanda ſunt duo. Primum eſt, non probari id à Navarro ex eo cap. 6. ſeſs. 6. ubi ſunt illa verba, *illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*. Imò num. 39. diſertè dicit & fatetur id non dici in eo cap. & ſolùm contendit contra Sotum, à Patribus per ea verba, *per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quæ ante Baptiſmum agi oportet*, non definiri, aut ſignificari oppoſitum, nempè ſufficere qualemcunque pœnitentiam. Adeò certum tunc erat apud omnes, non exigi à Patribus in eo capite charitatem, aut attritionem aliquam noſtrâ ſublimiorem, dum adultus vult baptizari, ut nec Navarrus, qui hanc ſublimiorem pœnitentiam exigebat, id potuerit aſſerere, ſatiſque illi fuerit, quod diceretur, neutrum traditum à Concilio, nimirum nec ſufficere qualemcunque pœnitentiam, nec non ſufficere, ſed relictam rem indeciſam. Alterum, quod notari debet, eſt, quod quamvis Navarrus non exigeret veram charitatem, ſed ſolùm attritionem, quæ non eſſet ex ſolo metu gehennæ, & pœnarum, adhuc vidit ipſe, in hoc ſe recedere à communi ſententia, & ita viſum eſt aliis. Quod ipſe hoc viderit, patet ex modò quo hanc ſuam ſententiam docet: ſic enim eam proponit ſub finem prædicti capitis primi. QUID-

QUID ALIIS VIDEATUR, *ego non arbitror ſufficere ad abſolutionem ſacramentalem attritionem, ſive pœnitudinem, quo peccator ceſſat propter ſolam pœnam Inferni*. Bene dixit *ego*, nam vix alius id docebat poſt Tridentinum: hinc nullum pro ſe Doctorem allegat, & num. 39. ſolùm allegat aliquos, ex quibus colligit, non ſufficere qualemcunque pœnitentiam, quod ultro concedimus. Quin ibidem dat ſolum conſilium iis, qui baptizant adultos, ut eos antea excitent ad contritionem, idque facit ſubtimidè per hæc verba, *Quapropter*, SUB DEBITA CORRECTIONE, *ego ſemper conſulerem illis qui infideles adultos baptizant, ut prius illos inducant ad pœnitudinem peccatorum mortiferorum eo quod illis offenderunt Deum, quem ſuper omnia amare, & honorare debuiſſent*. Quod autem aliis hæc doctrina Navarri, quamvis adeò temperata, & longè benignior eâ, quæ modò circumfertur, adhuc viſa fuerit rigidior, & ſingularis, colligitur ex eo, quod Vincentius Juſtinianus Ordinis Prædic. *& in Academia Valentina ſanctæ Theologiæ Gymnaſta egregius* (utor verbis ipſius Navarri id referentis in fine hujus cap. 1.) ſe non potuit continere, quin ad eum ſcriberet ex Hiſpania, & objiceret qræſertim authoritatem D. Thomæ, & *claram* ut ipſe dicit, doctrinam Tridentini, à qua, ſuo judicio, recedebat. Id autem fecit Juſtinianus, ut colligitur ex facti narratione, non quia cum illo ſoleret iſthæc conferre, ſed ex ſola admiratione, quòd tantus vir, qualis habebatur Navarrus, à cõmuni jam & ab omnibus

nibus

nibus recepta doctrina diſcederet. Erat igitur tunc omninò certum, & indubitatum apud omnes, non requiri charitatem in hoc Sacramento, quando admirationi erat quod aliquis exigeret attritionem eâ perfectiorem, quæ concipitur ex ſolo metu, quamvis profiteretur, ſe non exigere charitatem.

3 Circa propoſitum docet cap. 3. lit. B. & C. *Quod quamvis ſit bonum conſilium pœnitenti, qui eſt miles, aut negotiator, ne ad artem ſuam revertatur, tamen non debet id ei præcipi, cùm nec D. Jo: Baptiſta id præceperit militibus ab eo quærentibus, quid facto opus eſſet, ut ſalvi fierent, neque Eccleſia id militi aut negotiatori præcipiat, quamvis conſulat.* Et litera I. loquens de relapſis. *Quotidiè* (inquit) *abſolvimus multos qui quotannis recidunt*, & addit *recidere non eſt neceſſarium argumentum ad judicandum, pœnitentiam præſentem, vel præteritam non fuiſſe, aut non eſſe veram, quod probat Gratianus in cap. Quamvis de Pœnit. diſt.3.*

4 Cap. 6. num. 7. docet eſſe quidem laudabile confiteri circumſtantias quæ ſolum aggravant; neceſſarium tamen non eſſe juxta communiorem & probabiliorem opinionem. Reddit autem has optimas rationes. *Non debemus* ( inquit ) *à communi ſententiâ diſcedere, tum quia Confeſſarii tam magnam inveniunt difficultatem in perquirendis omnibus circumſtantiis mutantibus ſpeciem, etiam ſine perquiſitione non mutantium, ſed notabiliter aggravantium, ut putent quaſi impoſſibile perquirere has & illas: & Deus non obligat ad impoſſibile, neque*

AD

AD NIMIS DIFFICILE *juxta mentem Thomæ in 4. diſt. 15. Tum quia multi pœnitentes remanent cum magnis ſcrupulis, an confeſſi fuerint benè, aut malè, videntes, pauca peccata eſſe unius ſpeciei, quæ non ſint majora, vel minora notabiliter, quam alia ejuſdem, ratione perſonæ, loci, moræ, modi præludiorum, aut conſequentium, & ita fiunt importuniſſimi Confeſſariis, redeuntes ad ſe reconciliandum, & dicentes, non diximus hoc vel illud, quod augebat peccatum &c. Tum quia S. Concilium Trid. in ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7. declaravit circumſtantias, quæ mutant ſpeciem eſſe confitendas: ſignificans à contrario ſenſu, alias non eſſe confitendas arg. lib. 1. ff. de Offic. ejus cui &c. Cum Apoſtolica de his &c. Tum denique quod* INTEREST PLURIMUM AD SALUTEM ANIMARUM, UT AMEMUS, ET NON HORREAMUS CONFESSIONEM: IN QUOD JUVABIT ALLEVIATIO EJUS AB OMNIBUS ILLIS ONERIBUS, ET DIFFICULTATIBUS A QUIBUS POTEST LEVARI JUXTA EJUS INSTITUTIONEM DIVINAM, ET DECLARATIONEM SANCTÆ MATRIS ECCLESIÆ: *jugum enim Domini ſuave eſt, & onus leve*. Hæc una profectò prudentiſſimi Senis obſervatio præſenti aliquorum Doctorum rigori profligando ſatis eſſe deberet.

5 Cap. 9. recenſens caſus, in quibus confeſſio iteranda eſt, ſic habet num. 10. *Ut attingamus defectus, qui ex parte contritionis contingunt, eſt, quòd confeſſio ſine propoſito vitandi peccata mortalia in poſte-*

*poſterum, quamvis ſecum gerat quale quale deſiderium vitandi, nihil valet, & iteranda eſt, qualis eſt confeſſio illius, quem pœnitet alienum uſurpaſſe, & non habet reſtituendi animum &c.* Alium caſum non proponit ex parte contritionis. Unde poteſt colligi, quod, dum dixit non ſufficere dolorem ex ſolo metu ſed requiri aliquem amorem Dei ſaltem virtualem, aut nomine hujus amoris ſignificavit ſolum propoſitum, aut, ſi quid amplius ſignificavit, non id requiſivit, ut omninò neceſſarium.

6 Et num. 14. *Quoad defectum ex parte ſatisfactionis, eſt, quod confeſſio non eſt neceſſariò iteranda ob id quod pœnitens pœnitentiam ſibi injunctam adimpleverit extra ſtatum gratiæ: imò neque ob id, quod eam nullatenus impleverit neque in bono, neque in malo ſtatu, ſive id per oblivionem, ſive per negligentiam, vel contemptum contigerit, ut in cap. Contrarium num. 22. & ſeq. de Pœnit. diſt. 5. abſque ſcrupulo aſſeveravimus poſt S. Thomam qui hoc ſentit, de quo nihil dubitat Cajet. in verbo Confeſſio iterata, neque Major in 4. diſt. 17. quæſt. 6. neq. Paludanus in 4. diſt. 17. quæſt. 5. oppoſitum dicit, ſi ſatis ejus verba expendantur &c. Cumque id ſæpè conſuluiſſemus, & affirmaremus, nunquam Paludanum id tenuiſſe, valde gratum fuit poſtea vidiſſe Adrianum in 4. de Confeſs. col. penult. in fine, de concluſione, & de mente Paludani idem quod nos ſenſiſſe quæ quidem ſententia proculdubio tenenda eſt, quicquid aliquot Confeſſionalia* (ideſt Directoria, ſeu Inſtructiones Confeſſariorum) *contineant,*

*niſi*

*niſi quando pœnitenti antè abſolutionem injungitur pœnitentia, & ille, cùm ei imponitur, contemnit, aut juſtam curam non adhibet, quo poſtea injunctæ pœnitentiæ recordetur, ut eam poſſit adimplere, quod aptimè tetigit Cajet. tunc enim nihil valeret, etiamſi poſtea eam injunctam exequeretur, non quia illam non adimplet, ſed quia, quando illa injungebatur, peccavit, & de illo peccato non ſe accuſavit, atque ideò non fuit integra confeſſio.*

7 Num. 16. *Quando aliquis eundem Sacerdotem adit propter iterandam confeſſionem, qui quidem Sacerdos meminit peccatorum, vel ſaltem pœnitentiæ, quam injunxerat, pœnitens non tenetur reconſiteri in particnlari peccata jam ſemel confeſſa &c. Diximus, neque recordatur pœnitentiæ, nam ſi illius memoriam haberet, ſatis eſſet, imò etiam, meo judicio, ſi recordaretur ſtatus, quem habebat Pœnitens ſaltem in confuſo &c.*

8 Cap. 10. quærens *quo pacto Confeſſarius erga ſe, & pœnitentes ſe gerere debeat*, hæc docet num. 4. *Prudenter conſideret Confeſſarius, an Pœnitens debitam contritionem gerat &c. Et ſi non videatur ei ſufficiens, eum ad majorem habendam cohortetur aliquot conſiderationibus*, quibus propoſitis, ſi Pœnitens annuat, ſe dolere de peccatis, vel ſaltem *dolere quod non doleat tantùm, quantùm deberet, ſatis erit*, inquit, ex iis quæ ſupra docuit, oſtendens, hunc dolorem ſaltem eſſe attritionem.

9 Cap. 26. *Docens, ut ſe geret Confeſſarius erga Confeſſum*, quamvis permulta etiam minimè neceſſaria

ſaria ſuggerat, ne unum quidem verbum habet de differenda abſolutione ad probandum verum dolorem, verumque propoſitum pœnitentis. *Peracta confeſſione* (inquit) *Confeſſarius, ut diximus in principio cap. 1. de Pœnit. diſt. 6. num. 50. doceat ea, in quibus errare animadvertit, putando peccatum eſſe, quod non eſt, aut contra &c. Deinde pro varietate pœnitentium alium arguat, alium ſoletur &c. Porrò Pœnitenti docto diligenti, & ſæpè confitenti, & celebranti, aut nihil dicat, aut ſolùm ut faciat, quæ novit facienda &c. 3. Præmiſſis antè, vel poſt prædicta, interrogationibus opportunis, faciat concludi confeſſionem dicendo, ſe commiſiſſe illa omnia peccata & alia multa, quæ non ſatis meminit, cogitatione, verbo, & opere, & omiſſione, & perſuadeat proponere, nunquam ampliùs, Deo juvante, ea nec alia ſaltem mortalia ob ejus amorem peccaturum juxta dicta ſupra cap. 1. num. 12. ſed non obliget eum ad id voto, juramento, vel promiſſione &c. 4. Caveat facilè negare abſolutionem pœnitenti, dicendo eſſe mortale id, de quo ſunt contrariæ opiniones, ne eum in futurum propter conſcientiam illaqueet, ſed potiùs conſulat libros, vel doctos, vel certè perſuadeat ei propoſitum faciendi quod jure facere debet, conſilio eorum, quibus confidit, vel aliorum, quorum judicio fidendum eſt: tale enim Pœnitentis propoſitum ſufficit, ut abſolvatur, Angel. Sylveſter &c. 5. Quod nullatenus abſolvat Pœnitentem nolensem abſtinere ab eo quod certum eſt eſſe mortale. 6. Quod ſi ſint contrariæ Doctorum opiniones, quarum alteram* Con-

*Confeſſarius, & alteram Pœnitens ſequitur, & Confeſſarius credit evidenti ſe textu, vel ratione niti, Pœnitentem autem dubiâ, non debet eum abſolvere. At ſi Confeſſarius non adeò forti ratione nititur, vel Pœnitens utitur pari, vel ferè pari, & habet aliquem pro ſe Doctorem clarum, poterit eum abſolvere, ut poſt Adrianum tenuimus in cap. Si quis autem de pœnit. diſt. 7. num. 66. non diſtinguentes inter proprium Parochum ad audiendas confeſſiones obligatum, & alterum qui poteſt audire, & non tenetur, ut nec Adrianus diſtinxit &c. Adde quod, ut, cùm dubitatur, an aliquid ſit mortale nec ne, ſecuriorem partem Confeſſarius, & Pœnitens eligere debent, ita cùm dubitatur, an Pœnitens hoc facere, dare, vel pati debeat, benigniorem opinionem Confeſſarius eligere debet. Angel. Sylv. &c. Dixi cùm dubitatur. Nam Confeſſarius, vel Pœnitens credens ſuam ſententiam eſſe veram, non dubitant. 7. Quod Pœnitentem ad aliquam reſtitutionem obligatum inducere debet ad propoſitum eam faciendi quàm citò commodè poterit, admonendo eum, ſi nimis differat, in peccatum mortale recaſurum. Quin & eum, qui confeſſione præterita, reſtitutionem promiſit, nec reſtituit, non debet abſolvere, quoad reſtituat, niſi rarò &c. 8. Quod Pœnitentem habentem peccatum reſervatum non debet abſolvere &c. 9. Quod Pœnitentem excommunicatum priùs debet abſolvere ab excommunicatione, quam à peccatis &c. 10. Confeſſarius imponat pœnitentiam ante abſolutionem. Quod tamen neceſsè non eſt, quia tantum valet. 11. Abſol-*

*ſolvat ad cautelam in hanc ſententiam, ſi teneris aliquo vinculo excommunicationis &c. Abſolvo te &c.* 12. *A peccatis abſolvat præmittendo Miſereatur tui &c. Abſolvo te &c. Paſſio Domini noſtri &c. Non ſunt tamen hæc omnia neceſſaria &c. Alia multa verba multi adjungunt, quæ non ſolùm ſunt ſuperflua, ſed etiam periculoſa, è quibus ſunt illa (de quibus contritus &c.) tum quia abſolutio non ſolùm comprehendit peccata contrita, ſed etiam quæ apparent contrita, ad effectum, ne iterum ea Pœnitens confiteri teneatur, quin etiam attrita certæ ſpeciei* (nempè per attritionem univerſalem, junctamque verò propoſito) *comprehendit quoad effectum remittendi &c. tum quia ſcrupulos gignere poſſet &c. Non debet abſolvere ab excommunicatione, & minus à peccatis ſub conditione de futuro &c. Quamvis poſſet ferre ſub conditione de præterito, quæ actum non ſuſpendit, veluti dicendo, ſi feciſti, aut præſtitiſti talem rem, ego te abſolvo, ut dicitur cum de Baptiſmo dubitatur, ſi tu non es baptizatus, ego te baptizo.* Quis credat, Doctorem tam multa, eaque tam diſtinctè ſuggerentem Confeſſario, ut ſuo munere rite fungatur, non fuiſſe etiam moniturum, ne relapſos, aut pravo habitu implicitos, aut renuentes ſubire graviorem pœnitentiam, abſolvat, ſi tunc id eſſe neceſſarium viri timorati putaſſent.

10 Circa ſatisfactionem eodem cap. 26. à n. 15. hæc docet. *Frequenter rogati ſuper quantitate pœnitentiæ imponendæ tandem concluſimus octo. Primum, quod Confeſſarius debet conari imponere pœniten-*

*tentiam juſtam pœnitenti &c.* 2. *Illam eſſe pęnitentiam juſtam, quæ neque eſt major, neque minor merito &c.* 3. *Hanc ſoli Deo eſſe cognitam.* 4. *Vulgatum eſſe, unicuique peccato mortali juxta Canones, pęnitentiam ſeptem annorum injungendam eſſe, in quod allegatur Gratian. in cap. Hoc ipſum* §. 1. 33. *qu.* 2. *Pro quo nunquam nos textum reperire potuimus, ut dixi in d. c. Falſas n.*14. *&c. Quare contrarium putamus, tum quod id tenet Th. in* 4. *diſt.* 20. *q.* 2. *ante quem idem ſenſit Hieron. &c. Tùm quia, nec Gratianus dicit, Eccleſiam ſeptennem pęnitentiam in ſingula peccata ſtatuiſſe, ſed tantum pro graviſſimis peccatis injungi ſolitam fuiſſe in d. c. Hoc ipſum. Tùm quia dici poteſt illam pęnitentiam non fuiſſe taxatam pro foro interiori, ſed exteriori, ut probamus in d. c. Falſas n.* 14. *Tùm quia ibi oſtendimus illos* 46. *Canones Pęnitentiales, quos Hoſt. in d.* §. *Qua pęna, colligit, ad forum exterius pertinere. Tùm quia ineptè imponeretur pęnitentia ſeptennis pro unoquoque peccato ei, qui mille confitetur.* 5. *Qualitatem, & quantitatem juſtæ pęnitentiæ nunc, & ſemper relinqui, relictamque fuiſſe prudentis Confeſſarii arbitrio &c.* 6. *Confeſſarium circumſpicere debere in æſtimanda pęnitentia magnitudinem, & parvitatem peccati, & contritionis, & qualitatem perſonæ pęnitentis, an ſit robuſtus, an debilis, juvenis, an ſenex, aſſuefactus pęnitere, an non. An item videatur magnam recuſaturus, aut quamvis acceptet, eam non impleturus, an pauper, an dives &c.* 7. *Confeſſarium pęnitenti dicere debere juſtam pęnitentiam,*

*quæ*

*quæ ſibi imponenda erat, ſolum Deum Optimum Maximum ſcire, & timentes Deum, & cupientes vitare pęnas alterius vitæ antiquitus ſeptem annorum pęnitentiam pro unoquoque maximo peccato mortali facere ſolitos fuiſſe &c. ſed quod non intendit imponere ipſe, niſi ſpontè velit eam ſuſcipere. Et ſi reſponderit; ſe velle, & judicat illum impoſitam impleturum, injungat eam, quæ juſta videbitur, habito reſpectu ad eas, quæ prædictis Canonibus Pœnitentialibus præcipiuntur &c.* 8. *Quod Pęnitenti nolenti acceptare tam magnam pęnitentiam ſatisfactoriam, diminuat quantum ei placuerit, declarando ei pęnam alterius Mundi. Dixi ſatisfactoriam, quia alieni reſtitutio, odii depoſitio, dimiſſio concubinæ &c. neceſſariò imponenda eſt, quam ſi nolit acceptare, nullatenus eſt abſolvendus &c. Rectè autem faciet concedendo, ut, quod ſi non recitaverit, vel non jejunaverit die præſcripto, reficere poſſit alio, vel eleemoſynâ redimere.*

Traditis his octo veluti concluſionibus ita ſubjicit §. 15. num. 20. *Ex his poteſt ſatis inferri deciſio quæſtionis ſupra cap.* 3. *à num.* 2. *tactæ, & huc remiſſæ, an Pęnitens de præcepto teneatur acceptare pœnitentiam juſtam à Confeſſario præſcriptam, in qua placet ſententia ſubtilis Doctoris Scoti in* 4. *diſt.* 17. *quam ſequitur Gabr. diſt.* 16. *qu.* 2. *& Med. in Cod. de Confeſs. fol.* 75. *diſertè eam tractans, ſcilicet, quod, ſufficit pœnitenti habere propoſitum ſatisfaciendi Deo hìc, vel in Purgat. quibus conſonat Hoſt. in ſumma de pęnit. & Panor. niſi quatenus tenent, te-*

*neri ad acceptandam aliquantulam, & ſaltem unum Pater Noſter, quibus nullus Canoniſta, quod ſciam contradixit. Sed de veritate hujus limitationis inutile prorsùs duco diſputare, quod nemo ſit tam ſaxeus pęnitens, qui bona fide confiteatur, & nolit, vel tantillam pęnitentiam acceptare. Pro quâ Scoti ſententiâ, & contra eam multa hoc in loco in Hiſpano adduxi, quæ conſultò omitto eo quod* VIDEAM IN URBE, ET IN ORBE RECEPTUM, *ne cuiquam denegetur abſolutio, eo ſolo, quod nolit acceptare pęnitentiam ſibi injunctam, modò habeat propoſitum verum planè ſatisfaciendi Deo vivens per bona opera, & indulgentias, vel mortuus in Purgatorio cruciatu horrendo, quamvis contra teneat Palud. cum aliquot aliis*, quorum argumenta ſic proponit.

*Pro quibus urget cap. Omnis de pęnit. & remiſs. habens, pœnitentiam à Confeſſario injunctam à pęnitente acceptari debere. Et Concilium Florent. agens de Sacr. Pœnit. habet, Confeſſarium pœnitentiam arbitrari debere, & quod omnes Catholici confitemur Confeſſarium ſicut poteſtatem habet ad abſolvendum, ita ad obligandum habere, cujus oppoſitum eſſe Hæreticum declaravit Concilium Trid. ſeſs. 14. cap. 8. & Can. 25. & Concilium Lateran. quod ſub Leone X. ſeſs. 9. §. Ad abolendum, præcepit Confeſſariis ne blaſphemos Dei, & ſuæ Matris abſque magna pœnitentia ad arbitrium ſeveri Confeſſarii abſolvant*. Sic autem reſpondet.

*Sed his reſponderi poteſt, ſolùm per ea probari, quod*

*quod Confeſſarius ſine juſta cauſa non debet imponere minorem ea, quam arbitratur juſtam, ſed cum illa ſic &c.*

*Multæ autem ſunt juſtæ cauſæ minuendæ pœnitentiæ, putà, impotentia eam implendi, magnitudo contritionis &c. ſenectus, debilitas ægritudo, timor probabilis, quod juſtam non implebit arg. c. ſicut dignum de Homicid. &c. Tempus Jubilæi, vel aliarum Indulgentiarum arg. c. cum ex eo de pœnit. & remiſſ. & extrav.* 1. & 2. *eodem tit. injunctio, & acceptatio, & directio omnium bonorum operum totius vitæ in ſatisfactionem pœnæ peccatis ſuis debitæ arg. c.* 1. & 2. 26. *qu.* 7. *Porrò cum valdè diminuit juſtam, moneat pœnitentem ejus rei ignarum, quàm grandis eſſet imponenda, quantò plus prodeſt exigua præſentis vitæ, quam magna futuræ. Dirigat omnes curas, & labores in præſenti perferendos, & mortem ipſam etiam neceſſariò ſubeundam in ſatisfactionem pęnitentialem.*

*Addo quod etiam injuncta, & acceptata mutari poteſt, & diminui juſta de cauſa, puta, quia bona fide putat pęnitens, ſe eam implere non poſſe, aut non ſine difficultate, vel periculo ſalutis animæ, vel corporis, quia tunc non ſolùm Confeſſarius, qui eam impoſuit, ſed etiam alius, ſi ipſe facilè adiri non poſſit, etiam eo inferior mutare poteſt &c. etiam non iterata Confeſſione, modò impoſita fuiſſet ob peccata ejuſmodi, à quibus qui eam mutat, abſolvere potuiſſet juxta Monaldum &c. Quamvis ſtricto juri conſonantiùs ageret, qui ejus implementum differret,*

*quouſque poſſet, eum, qui illam impoſuit, adire, ſi ſpes brevì adeundi foret.*

Num. 24. docet poſſe imponi in pœnitentiam ceſſationem à peccato, & emendationem vitæ, ſed in fine ſubdit. *Nolumus tamen dicere, qnod Sacerdos prudenter faciat injungendo in pœnitentiam ceſſationem ab omnibus peccatis, & emendationem vitæ ſub pœna novi peccati, quia id eſſet dare occaſionem bis peccandi, ut prædictum eſt, ſed quod aliquando poteſt præcipere ceſſationem ab aliquibus peccatis alicui, quem meritò credit eam ſervaturum, & ſemper poteſt eam conſultivè imponere, ſicut & alia omnia bona opera, quæ facturus eſt pœnitens, poteſt injungere ſine nova obligatione ad illa, quam implendo tanquam pœnitentiam conſultivè injunctam plus ſatisfaciet, quam ſine ulla injunctione ſatisfaceret.* Hinc paulò antè monuit, *utiliſſimam eſſe illam clauſulam quidquid boni feceris &c. declarato præſertim ſupradicto modo ejus valore.*

Sub eodem num. *Veriùs eſſe putamus, opera alias debita poſſe in pœnitentiam imponi contra Scotum Palud. & Majo. cum S. Anton. 3.p. tit.4. c.20. referente Ægidium, & Richardum id tenuiſſe, quod & Tho. ſentit in eadem diſt. 15. qu. 2. art. 3. & latius diſt. 19. qu. 2. art.1.* Monet autem, quod Confeſſarius in dubio cenſetur ea imponere, ad quæ pœnitens non tenetur.

Tandem num. 25. *Conſulat item ut pluries, quàm ſemel in anno confiteatur, ut audiat conciones, ut bonorum precibus ſe commendet &c. contra tentatio-*

*tionem vitii, quo maximè tenetur, Divinam opem imploret per preces alicujus Sancti, qui virtute contrariâ plurimùm enituit, ut meditetur pœnas Inferni &c. memoria repetendo, quot paſſim mille modis ſubito abſque pœnitendi, & confitendi facultate moriantur, & aliquo vitio maximo illaqueato, perſuadeat, ut firmiter proponat, & interdum voveat, ſe illam, vel illam pœnitentiam ſubiturum, ſi recidat in illud, non autem, ut juret, vel voveat, ſe illud non commiſſurum &c.*

Hæc Navarrus, aliaque his benigniora, Romæ docebat, paulò poſt abſolutum Concilium Tridentinum, *cùm ſacerrimo, ut ipſe dicit, Romanæ Pœnitentiariæ Prætorio eſſet adſcriptus*; nec docebat ſolum, ſed ſcribebat, vulgabatque in ſuo Manuali, quod editum ante annos viginti ſermone vulgari, poſtea latinitate donatum Gregorio XIII. dedicavit octogenarius, nimirum factus longo ſtudio ægregius Canoniſta, longâque fori Pœnitentialis experientiâ factus Canonum, & Canoniſtarum benignus interpres.

## §. III.

### *Doctrina Bartholomæi de Medina.*

1 CIrca idem tempus ſermone vernaculo ſcripſit, vulgavitque in Hiſpaniâ *brevem Inſtructionem Confeſſariorum* Bartholomæus de Medina Ordinis Prædicatorum, de quo id ſolùm dicam, quod Petrus Gonzales, qui hanc Inſtructionem in

linguam Italicam convertit, aut ab alio converſam edi curavit an. 1582. breviſſimè dicit in Præfatione ad lectorem, *L'Autore non cita, nè allega Dottor alcuno, perche queſta dottrina è cavata dall'Angelico Dottor S. Tomaſo, dagli altri ſacri Dottori, e da' Canoni. In oltre lo ſteſſo Autore nella materia morale è riuſcito nella noſtra Spagna il più celebrato, e dotto di queſti tempi, e però nel ſeguirlo niuno può errare.*

Juvat etiam afferre partem Prologi prædictæ Inſtructionis, in quo idem Bartholomæus ſui Ordinis Fratres Salmantinos alloquitur, ut inde intelligas, quanto ſalutis animarum procurandæ ſtudio arſerit is ægregius Theologus, quàmque fuerit experientiâ ipsâ ſui, & aliorum, quæ plerumque rigidis Scriptoribus deeſt, ad hanc Inſtructionem concinnandam adjutus. Igitur, poſtquam fusè id munus audiendi Pœnitentium Confeſſiones laudavit, ſic loqui pergit. ( Utor Italica verſione, quia Latinam reperire non potui. )

2 „ Eſſendo dunque vero, che l'uffizio del Con-
„ feſſore è di tanta autorità nella Chieſa, non può
„ non eſſer cagione di gran diſpiacere in quei,
„ che vi penſano bene; il vedere, come ora paſſano
„ le coſe, e che i Sacerdoti più ignoranti, e meno
„ eſercitati nelle Divine lettere ſi pigliano il carico
„ della cura dell' anime, e i gran Teologi, e Cano-
„ niſti non fanno conto dell' uffizio loro, anzi ſi re-
„ putano di perder l'onore, e la loro ſcienza, ſe
„ alcuno vuol eſſer confeſſato, e medicato da loro.

„ Que-

„ Queſta è perverſità intolerabile, e piaga terribile
„ di queſti miſerabili tempi. Per queſto il popolo
„ di Dio è infermo, debole, sbigottito, e perduto,
„ perche in Iſraele non ſi trova Medico, che ſappia
„ applicar la medicina &c. Sù dunque Padri miei
„ torniamo in noi, e mettiamoci à conſiderare, che
„ queſto è uffizio noſtro &c. E acciòche le R. V.
„ havendo la dottrina neceſſaria di queſt'arte Divi-
„ na di curar l'anime, s'accendino con più vivacità
„ ad eſercitarla, hò compoſto queſto libro nel qua-
„ le non è mia intenzione fare una ſomma di Caſi
„ di coſcienza, come fece il Gaetano, e altri, ma
„ una piccola arte per iſtruire un Medico ſpirituale,
„ nella quale hò poſto in uno ſtile ordinario quel,
„ che Dio m' hà fatto conoſcere PER LUNGA
„ ESPERIENZA, E MANEGGI FAMILIARI
„ CON MEDICI PRATICHI, E PER LA LE-
„ ZIONE DE' SANTI, prendendo da molti Au-
„ tori, maggiormente dal P. F. Luigi di Granata
„ alcuni pezzi di quello, che à me è paſto più ne-
„ ceſſario &c. In queſto trattato hò havuto per mia
„ intenzion principale d'ammaeſtrar un Medico,
„ che non ſolo ſappia ragionare della medicina del
„ Cielo, ma la ſappia mettere in PRATTICA, e
„ applicar con induſtria à gl' infermi; onde quì ſi
„ ſono poſti in eſſercizio i modi di curar le anime
„ di tutti gli ſtati di genti.

Nemo igitur ſuſpicari ſapienter poteſt quin is Doctor ea ſola proponat, quę tunc habebantur tutiſſima, quęque nihil diſcordent à Concilio Tridenti-

no, quod erat paulò ante celebratum. Accipe jam quæ docet.

3 Cap. 2. Poſtquam docuit ad perfectam pœnitentiam requiri, ut ſit dolor de offensâ Dei ſuper omnia dilecti, ſic infert. *Si raccoglie che per haver* „ *queſta virtù della* penitenza, non baſta l'haver „ un dolor imperfetto, il quale da' Theologi è „ chiamato attrizione, e congiunto col Sacramen- „ to della Penitenza BASTA PER LA REMIS- „ SIONE DE' PECCATI, come noi diremo poi; „ ma ſi ricerca la contrizione, perche queſta virtù, „ di cui trattiamo, non è Sacramento, e così per- „ dona i peccati con la ſua propria virtù, *& effica-* „ *cia &c.* „ Eodem cap. 2. §. 1. loquens de Pœnitentia ut Sacramentum eſt, hæc docet.

„ La materia di queſto Sacramento ſono gli „ atti del Pœnitente, e i peccati ſono come una „ materia remota. Queſti atti, come appare per il „ Concilio Fiorentino, e Tridentino ſono trè, con- „ trizione, confeſſion di bocca, e ſodisfazione d'ope- „ re. Dove biſogna avvertire, che ſotto queſto „ nome di contrizione, noi non intendiamo quì ſo- „ lamente quel dolor perfetto de' peccati per haver „ ſolamente offeſo Dio, nel quale eſſenzialmente „ conſiſte quella penitenza, che è virtù, di cui hab- „ biamo ragionato poco di ſopra, ma anche l'attri- „ zione, la quale è un dolor imperfetto d'haver of- „ feſo Dio, benche ſia per timor delle pene dell' „ Inferno, ò per haver perduto i doni Divini. Per- „ che quantunque per sè ſteſſo queſto dolore im-

„ per-

„ perfetto non baſti per dar vita all' anima riconci-
„ liandola con Dio, nondimeno congiunto col Sa-
„ cramento la riſuſcita, e le dà grazia, facendo (co-
„ me dicono i Teologi) l'huomo d'attrito contri-
„ to. E però queſto ſi chiama Sacramento de'
„ morti, perche quantunque il Penitente cada nel
„ peccato, colla ſola attrizione riceve per virtù
„ del Sacramento grazia, e perdono, COME
„ DETERMINA IL SACRO CONCILIO DI
„ TRENTO ſeſs. 14. cap. 4.

4 Ex iis autem, quæ docet cap. 12. & afferam poſtea, conſtat, hic agere Medinam de ea attritione, quæ concipitur ex ſolo metu pœnæ ſine ullâ dilectione benevolâ Dei; ac proindè hanc eſſe eam, quam ſufficere, dicit eſſe determinatum ab Concilio Tridentino, quod niſi fuiſſet tunc certiſſimum, non ſic intrepidè diceretur ab hoc Authore tam docto, tam pio, qui non ignorabat, agi de re, ex quâ penderet fructus Sacramenti tam neceſſarii, ac proindè ſalus æterna Fidelium. Eſt etiam notandum, uti tunc habebatur pariter ut certum, hoc Sacramentum non eſſe dicendum mortuorum, niſi is dolor ſufficeret. Primò quia putabant omnes, eo dolore, qui concipitur ex charitate, quæcunque eſſet, ac proinde contritione etiam minimâ, remitti peccata. Secundò, quia pariter putabant omnes, pertinere ad Sacramentum mortuorum, ut non poſtulet eam diſpoſitionem, quâ ſubjectum juſtificetur. Unde doctrina eorum, qui modò dicunt, non ab omni contritione conceptâ ex verâ charitate expelli peccatum,

catum, & hoc Sacramentum adhuc fore Sacramentum mortuorum, quamvis exigeret perfectam contritionem ſe ſola juſtificantem, eſt doctrina, quæ tunc ignota fuit, aut communiter rejecta.

5 Cap. 8. verſus finem. *Notiſi finalmente, che* „ *ne' caſi* dubbioſi, che per l'una parte, e per l'altra „ ſono probabili, e hanno ſuperficie, e fondo, il „ Confeſſore può, benche contro l'opinione ſua, „ aſſolvere il penitente; e di queſto metto un eſem- „ pio. Il Confeſſore ha opinione, che chi preſta „ non poſſa pigliar coſa alcuna per lo guadagno, „ che laſcia di fare per conto di quella preſtanza, „ e dall' altra parte il penitente, ſeguendo l'opinio- „ ne contraria, la quale è probabile, hà ricevuto „ qualche coſa per haver ceſſato di guadagnare. „ In queſto caſo dico, che il Confeſſore può, anzi „ è obligato ad aſſolvere il penitente. E la ragio- „ ne è, perche quel tal penitente non pecca in rice- „ ver quella quantità, poiche a lui era lecito, come è „ a ciaſcuno ſeguir l'opinione probabile. Ma avver- „ tiſca, che ſe bene l'aſſolve contra la ſua propria „ opinione, non l'aſſolve contra la ſua propria co- „ ſcienza, perche la retta, e accertata coſcienza „ detta, e inſegna, eſſer lecito ſeguir l'opinione pro- „ babile nelle coſe dubbioſe. „ Hoc ipſum iterum docet lib. 2. cap. 3. Additque. „ E queſto non ſola- „ mente s'intende del Curato, come diſſero alcuni, „ ma di qualſivoglia Confeſſore, ò ſia Curato, ò nò. „ Se bene è vero, che il Confeſſore può, e deve „ ammonire il Penitente, che ſempre ſegua l'opi- „ nione

„ nione più manſueta, e favorevole con tal condi-
„ zione, che ſia probabile: ma ſempre gl' inſegni,
„ che ſeguendo opinioni probabili non pecca.

Hinc quamvis ipſe cap. ſequ. doceat, eſſe in confeſſione exponendas circumſtantias notabiliter aggravantes, quamvis ſpeciem non mutent, non renueret abſolvere eum, qui ſequi vellet opinionem contrariam S. Thomæ aliorumque, quæ nulli periculo Sacramenti valorem, & fructum exponit; de his enim opinionibus hìc agit Medina, ut colligitur ab exemplo quod affert.

6 Cap. 12. Invehitur in illos, qui nimis facilè exigunt à Pœnitentibus, ut generales anteactæ vitę confeſſiones peragant, ut modo exigitur à nonnullis, qui putant pleroſque peccatores, apud ipſos non confeſſos, invalidè fuiſſe confeſſos.

„ L'inſegnare, che a tutti è neceſſario far Con-
„ feſſioni generali, e errore inſegnato da huomini
„ poco pratichi nella cura dell' anime, e che pre-
„ tendono tener ſoggette, e raſſegnate le anime,
„ maggiormente delle miſere donne &c. Piaccia a
„ Dio, che con queſte Confeſſioni, le quali intro-
„ ducono, che ſi facciano generali, dicendo eſſer
„ neceſſarie, non pretendino ſoggezione, e rendi-
„ te &c. E' vero, che le Confeſſioni generali ſo-
„ no in alcune perſone di molta utilità, quando ſo-
„ no perſone diſcrete, e quiete, e vogliono fare
„ come una ricerca di tutti i ſuoi peccati per ſua
„ maggior confuſione. Ma biſogna avvertire que-
„ ſti tali, che non facciano molte volte Confeſſioni

„ gene-

„ generali, ma una ſola, e buona, perche quando
„ la fanno molte volte, ſogliono haver la coſcienza
„ inquieta, e poca confidenza della miſericordia di
„ Dio &c.

7 Eodem cap. 12. §. 2. docet. quando Confeſſio ſit invalidà ex parte pœnitentis: dicit autem eſſe ſex caſus.

„ Il primo quando non hebbe intenzione di
„ confeſſarſi, ma di burlare. Il ſecondo ſe non fà la
„ Confeſſione intera, laſciando di confeſſare qual-
„ che peccato mortale, del quale era obligato a
„ confeſſarſi. Dico queſto, perche in alcuni caſi,
„ come poco appreſſo diremo, può il penitente per
„ giuſta cagione laſciar di confeſſar qualche pecca-
„ to mortale, per non ſcuoprire il complice del
„ ſuo peccato, ò per non incitar colla ſua Confeſ-
„ ſione il Confeſſore a male. Terzo, ſe haverà
„ mentito nella Confeſſione circa qualche peccato
„ mortale &c. Quarto, ſe non ebbe dolore de ſuoi
„ peccati, perche eſſendo parte ſoſtanziale della
„ penitenza il dolerſi de' peccati, è talmente neceſ-
„ ſario, che habbia dolore, che ſe non l'haverà,
„ non può eſſervi confeſſione. Ma è da notare,
„ che vi ſono diverſe opinioni fra i Dottori, che
„ dolore ſia neceſſario per la vera Confeſſione.
„ Alcuni huomini dotti dicono, che biſogna, che
„ il Penitente habbia ò contrizion vera (cioè un
„ dolor d'haver offeſo Dio, e queſto non per timor
„ dell' Inferno, ma per amor di Dio, e per eſſer
„ caduto dalla ſua amicizia) o almeno da penſare,

„ che

„ che s'arriva a queſta vera contrizione per haver
„ offeſo Dio, benche veramente, e realmente non
„ ſia altro, che attrizione, e dolore imperfetto.
„ La ragione di queſta opinione è, perche chi ſi
„ duole de' peccati per timor dell' Inferno, e con
„ queſto ſolo dolore s'accoſta al Sacramento, non
„ ſi duole d'haver offeſo Dio, ne s'accuſa d'haverlo
„ offeſo, poiche ha SOLAMENTE dolor delle
„ pene dell' Inferno, e così pare che non ſia vera
„ Confeſſione, Ma la VERITA E', che non è ne-
„ ceſſario tanto, ma che baſta l'attrizione, e il do-
„ lore imperfetto, quantunque il penitente intenda,
„ che ſia ſolamente attrizione, e che non arriva a
„ eſſer contrizione. Queſta diſpoſizione in compa-
„ gnia del Sacramento baſta, perche queſto Sacra-
„ mento è Sacramento d'infermi, immondi, ed an-
„ che di morti, che con queſto Sacramento ſi lava-
„ no, e riſuſcitano dalla morte del peccato. Onde
„ ne ſegue, che quantunque eſſi vadano infermi, &
„ immondi con dolor imperfetto, s'accoſtano de-
„ gnamente al Sacramento, il quale dà vita, e pu-
„ rità. E per certo, così pare, che ſia diffinito nel
„ Concilio Trid. il quale dice nella ſeſs. 14. cap. 4.
„ che l'attrizione, e dolore imperfetto de' peccati,
„ per timor delle pene dell' Inferno, non baſta per
„ sè ſola a ricuperar l'amicizia di Dio, ma che con-
„ giunta col Sacramento della Penitenza, è ſuffi-
„ ciente, e baſtante, e così quel che manca a quella
„ imperfetta diſpoſizione per dar la ſalute dell'ani-
„ ma, lo ſuppliſce la medicina del Sacramento della
„ Penitenza. No-

8 Notandum, uti Scholaſtici hujus temporis immediati poſt Concilium, in duas ſolùm claſſes diviſi erant. Altera erat exigentium non quidem abſolutè, & determinatè contritionem veram, ideſt conceptam ex amore Dei, ut eam explicat Author, ſed aut veram, aut putatam. Altera claſſis erat, dicentium id neceſſarium non eſſe, & ſufficere attritionem etiam cognitam,& quidem attritionem conceptam ex ſolo metu, ſine ullâ dilectione, ut patet ex ratione propter quam primi hanc ſufficere negabant: erat enim illa, *poiche* chi hà queſt' attrizione *ha ſolamente dolore delle pene dell' Inferno*. Quod autem omnes in has ſolas duas claſſes redigerentur, patet, nam poſtquam dixit, diverſas eſſe circa hoc Doctorum opiniones, harum duarum dumtaxat mentionem facit. Igitur omnes conveniebant in doctrinâ, quam nos defendimus, & Adverſarii noſtri modo rejiciunt, quod nempe ſufficiat re ipſa prædicta attritio, omnis charitatis expers.

Notandum quoque uti non dicit, *così pare che ſia definito nel Conc. Triden.* ſed, *e per certo così pare che* &c. Hæc enim opinio, quod id eſſet ab Concilium definitum, nimirum implicitè, habebatur, ut certa.

Notanda demum eſt ea ratio, *quia eſt Sacramentum infirmorum*; hinc enim fit, ut quamvis Deus obliget nos aliquando ad actum charitatis,non obligat tamen, cùm ſumus in peccato mortali, niſi deſit copia confeſſarii, & differri reconciliatio non poſſit, quia cum ſumus in peccato mortali, ſumus

val-

valdè infirmi, & ideò conſulere nobis voluit faciliori remedio.

Pergit enumerare alias duas cauſas confeſſionis invalidæ ex parte pœnitentis: dicit autem eas eſſe, defectum propoſiti, quod, monet, omnino requiri etiam in Confeſſione venialium; & defectum rationis, cùm videlicet, qui confitetur, nondum pervenit ad uſum rationis. Præter has ſex cauſas nullam aliam recenſet.

9 Circa hanc ultimam, nempe defectum ætatis, ſeu rationis, ſeu materiæ neceſſariæ, movet hanc queſtionem.

„ Circa la qual coſa s'offeriſce un dubio. Uno „ ſi và a confeſſare, e al Confeſſor pare, che non „ habbia del tutto l'uſo della ragione, o è in dubbio, ſe gli ha confeſſato qualche peccato veniale, „ che faccia ſufficiente materia di confeſſione. Che „ s'hà da fare in queſto caſo? Se non l'aſſolve, ne „ manda quel tale ſconſolato; ſe l'aſſolve, ſi mette „ a pericolo di metter la forma ſopra la materia „ non vera. (Sic autem reſpondet.) A queſto dico, „ che in queſto caſo lo può aſſolvere con condizio- „ ne di queſta ſorte. *Si vera peccata habes, & confeſſus es, ego te abſolvo, ſi non habes non &c.* La „ ragione di queſto è, perche ſe bene è la verità, „ che la condizione de ratihabizione del futuro, „ non ſi debba ponere, come, Io ti aſſolvo, ſe „ tu reſtituirai, overo, ſe tu t'allontanerai dalla „ tale occaſione, perche l'hanno ad aſſolvere ſe- „ condo la relazione, e propoſito, che hà allora

„ il

„ il Penitente, nondimeno la condizione del pre-„ terito, e del preſente è lecita, come ſe uno foſſe „ incerto, ſe haveſſe aſſoluto il Penitente può di-„ re, ſe io non ti hò aſſoluto, t'aſſolvo „ (quod ab aliis doceri alibi oſtendi; ut conſtet quam immeritò has conditionales abſolutiones, tanquam novas, & temere invectas quidam Scriptor damnarit, ut notavi lib.2. de Dolore &c. cap.9. n.24.)

10 Cap. 13. ejuſdem lib. 1. caſus recenſet, in quibus neganda, aut differenda eſt abſolutio ſacramentalis. Præmittit autem duas regulas, ut ipſe dicit.

„ La prima è, quando il Penitente verrà colla „ diſpoſizione neceſſaria al Sacramento della Con-„ feſſione, cioè con vero dolore de' peccati, e con „ vero propoſito d'emendarſi, il Confeſſore è obli-„ gato ammetterlo, e dargli l'aſſoluzione da parte „ di Dio: e ſe fa il contrario pecca mortalmente, „ e fa grande ingiuria al Penitente. La ſeconda. Il „ Penitente che non viene colla diſpoſizione neceſ-„ ſaria al Sacramento, come ſi è detto, non deve „ eſſer aſſoluto, e così quando mancherà queſta di-„ ſpoſizione, nè la bolla, nè il Giubileo per pie-„ niſſimo che ſia, dà licenza al Confeſſore che l'aſ-„ ſolva, finchè ſi diſponga meglio.

His præmiſſis recenſet caſus, in quibus eſt habendus ut indiſpoſitus, & indignus abſolutione.

„ Il primo è, quando il Penitente non ha eſa-„ minato bene la ſua coſcienza, nè penſato a' ſuoi „ peccati per haverſene a confeſſare. (Id melius

„ expli-

„ explicat lib.2. cap.7. ubi hæc habet. ) Se veniſſe
„ a confeſſarſi un mercante, il quale non haveſſe
„ poſto più diligenza in eſaminarſi, che dalla caſa
„ alla Chieſa, il Confeſſore non dee udirlo, ma
„ farlo avviſato con carità, e dargli tempo, per-
„ chè ſi poſſa apparecchiare; e il medeſimo ſi dice
„ di qualſivoglia altro, che ſia ſtato molto ſenza
„ confeſſarſi. ( Bene autem ſubdit. ) Due caſi ſo-
„ gliono i Teologi eccettuare, ne' quali non fa di
„ meſtiero che il Penitente, il quale non ha eſami-
„ nato ſufficientemente la ſua coſcienza, torni a
„ penſare a' ſuoi peccati. Il primo, quando il Con-
„ feſſore è tanto deſtro, e tanto ſperimentato, che
„ colle ſue domande gli ſaprà cavar dalla radice
„ tutti i ſuoi peccati. Ma queſto accade di rado, e
„ ſono molti pochi quei che lo ſappiano fare. (Id eſt
verum, ſi ſermo ſit de Pœnitentibus multorum ne-
gotiorum, officiorum & obligationum, non autem
ſi ſermo ſit de aliis, nempè de pleriſque, qui vix plu-
res habent toto anno peccandi occaſiones, quàm ha-
beāt unâ hebdomadâ, aut duabus: hi enim nec magna
indigent Confeſſarii dexteritate, nec multis inter-
rogationibus, ut totam conſcientiam ſuam prodant.)

„ Il ſecondo caſo, quando il Pœnitente non
„ ha dolore, e diſpiacere d'haver offeſo Dio. (In-
fra tamen monet, hunc non eſſe rejiciendum, ſed
diſponendum à Confeſſario, excitandumque ſaltem
ad attritionem. )

„ Il terzo caſo, ſe non ha propoſito di mutar
„ vita, e allontanarſi da qualſivoglia peccato mor-

„ tale nel qual ſi trova, e dalle pericoloſe occaſio-
„ ni di quelli.

„ Il quarto chi ha per uſanza di beſtemmiare „ il Santo nome di Dio, ò de' ſuoi Santi, e non ha „ vero propoſito d'aſtenerſi da tal peccato, e far „ per queſto tutte le diligenze neceſſarie, non bi- „ ſogna aſſolverlo: ma ſe dirà di volerſi emenda- „ re, biſogna differirgli l'aſſoluzione per qualche „ giorno, dandogli alcuni avviſi, che gli poſſono „ giovare a queſto. Hìc autem notandum quod agit præſertim, aut unicè de erumpentibus in blaſphemias hæreticales, ac de iis qui aliàs confeſſi hoc ſuum peccatum, non ſunt emendati, ut patet ex cap. 14. §. 2. ubi hæc habet. „ Il terzo capo è pecca- „ to di beſtemmia, il che è un dare à Dio quel che „ non ſe gli conviene, come, che è ingiuſto, ovve- „ ro levandole quel che gli conviene, come, che „ non è onnipotente, ò dando alle creature quello „ che è proprio di Dio, come dicendo, che il De- „ monio è onnipotente &c. Se uno di queſti be- „ ſtemmiatori verrà alla Confeſſione, e ha havuto „ queſto coſtume, e ſe non ſi è emendato per le „ confeſſioni paſſate, il Confeſſore non lo deve „ aſſolvere, benchè dica che ſi emenderà; ma la- „ ſciarlo ſtar così per alcuni giorni, e ſe poi ſi ſarà „ emendato, aſſolverlo, e non altrimente &c. (Non eſt igitur pravus habitus Pœnitentis, ratio differendi abſolutionem, ſed pravus habitus tam graviter peccandi, non emendatus per præteritas confeſſiones.)

„ Il quinto caſo è, chi ha per uſanza di giura-

„ re

„ re ad ogni paſſo ſenza conſiderare, ſe ſia verità, „ ò bugia la coſa che giura, e non haverà propoſito „ di partirſi da tal coſtume, non deve eſſer aſſolu- „ to. Ma ſe dirà di volerſi emendare, ed accetterà „ con bon animo i rimedii, che il Confeſſore gli „ darà, non v'è perchè differirgli l'aſſoluzione, „ come noi diremo poco appreſſo. (Ideſt cap. 14. §. 5. ubi permittit, bis vel ter abſolvi ſi magnum hujus peccati dolorem oſtendit, & promptum animum utendi aliquo remedio, & tamen is habet pravum habitum.)

„ Il ſeſto è, quando uno ha per uſanza di non „ udir mai meſſa la Domenica, e le Feſte, e pur „ tuttavia vuol perſeverare in queſta cattiva uſan- „ za, come fanno alcune donne per punti d'onore, „ ò riſpetti umani, non deve eſſer aſſoluto, ſe non „ propone con verità l'emenda da indi innanzi.

„ Il ſettimo caſo è chi ha ingiuriato uno con „ parole, ò con opere, ſe non vuol dargli ſodisfa- „ zione, e domandargli perdono ſecondo il parere „ del prudãte Cõfeſſore, non biſogna aſſolverlo &c.

„ L'ottavo chi tiene odio, e nemicizia ferma „ col ſuo proſſimo, non ſia aſſoluto, ſinchè non la- „ ſcia tal odio, e ſi riconcilia col ſuo proſſimo &c.

„ Il nono è, quando tiene qualche diſoneſta „ amicizia ò propoſito, e affezione malvaggia, ſe „ non la rimove da ſe, non può haver l'aſſoluzio- „ ne &c. Queſto è uno de' più importanti avviſi, „ che ſi diano in queſta materia; e che per non oſ- „ ſervarlo, molti huomini ſe ne ſtanno dentro le

„ caſe loro intricati molti anni con ſerve, ſchiave, „ ò parenti, e in queſto cattivo ſtato ſi confeſſano, „ e ricevono ogni anno il SS. Sacramento, ſenza „ laſciare il peccato, e l'occaſione di quello. Que„ ſti non ſi debbono aſſolvere in modo alcuno, ben„ chè dicano, che s'emenderanno, ſe non levano „ queſto ſcandalo, perchè dopo havere una volta „ rotto il velo della vergogna, e aperta la ſtrada „ al male, è impoſſibile (moralmente parlando) „ laſciarlo. E ſe il Penitente allegherà, che la per„ ſona, la quale ha da cacciar di caſa, gli ſarà di „ gran danno, ò che le ha obligo grande, a que„ ſto riſponda, che il Salvator diſſe. Se il tuo pie„ de, ò la tua mano ti ſarà cagion di ſcandalo, ta„ glia il piede, e la mano &c. E ſe dirà che gli ſarà „ vergogna il cacciar di caſa quella tal perſona, di„ cagli, che maggior vergogna, e ſcandalo è quello, „ che ei patiſce nell'anima ſua, e che à queſto deve „ prima provedere cercando i rimedii più conve„ nienti, che potrà, benchè gli coſti molto, e ſe „ bene gli foſſe neceſſario allontanarſi da caſa ſua, „ quando non poteſſe cacciarne quella tal perſona. (Quod quidem in communi ſententiâ faciendum eſt, præſertim cum alia remedia non profuere, aut non creduntur profutura, ut non creduntur, cùm quis tandiù, contemptâ omni verecundiâ, ex propinquâ occaſione lapſus eſt, ut ſunt hi, de quibus hìc Auctor loquitur.)

„ Il decimo. Le perſone, che hanno per uffi„ zio intervenire in cattivi trattati, non hanno da

„ con-

„ conſeguir l'aſſoluzione, ſe non ſe ne rimangono,
„ e molto più quei, che le raccolgono nelle lor ca-
„ ſe &c. come ſono ruffiani, ruffiane, ò ridotti &c.

„ L'undecimo. Chi fà dimande ingiuſte ſa-
„ pendo che ſono tali, e così medeſimamente l'av-
„ vocato, ò procuratore, che lo favoriſce, non
„ ſia aſſoluto, finchè ceſſi, e molto meno il giudice
„ cattivo.

„ Il duodecimo. Chi ha roba d'altri contro la
„ volontà del ſuo Padrone, è obligato a reſtituirla
„ ſubito, ſe ſubito può &c. altramente non lo deve
„ aſſolvere. A queſto ſi riduce chi non pagò la
„ mercede al ſuo ſervitore, ò la giornata al lavo-
„ ratore &c.

„ Il decimoterzo. Il giocatore che per giuo-
„ care leva alla ſua famiglia le coſe neceſſarie, ò
„ che, per cagione del ſuo giuocare, fa che la mo-
„ glie, ò le figliuole cadano in qualche errore, ò
„ ha per uſanza ingannar nel giuoco, beſtemmia-
„ re &c. ſe non deſiſte da queſto, non habbia l'aſſo-
„ luzione.

„ Il decimo quarto. I Mercanti e ufficiali che
„ vendono le lor mercanzie più di quello che ſanno,
„ che vagliono &c. Queſti ſono obligati a reſtitui-
„ re il mal guadagnato, e a proporſi di non vender
„ la coſa più di quello che communemente vale.

„ Il decimo quinto. Gli Uffiziali de' Signori,
„ e Rè, che hanno rubato al Padrone, ò hanno
„ acconſentito che altri rubino &c. Tutti queſti,
„ mentre che non reſtituiſcono, ſono in ſtato di

Cc 3 „ dan-

„ dannazione, e non ſi poſſono aſſolvere.

„ Il decimo ſeſto. Chi non vorrà reſtituir la „ fama, che falſamente levò, non habbia l'aſſolu- „ zione, finche la reſtituiſca.

„ Il decimo ſettimo. Gli Eccleſiaſtici &c. Qui habent beneficia incompatibilia, aut per pacta ſimoniaca quæ percenſet.

„ Il decimo ottavo. Chi ha benefizio, e non „ recita le ſue ore, ha da reſtituire alla Chieſa ò a' „ poveri &c. E ſe non vuole emendarſi, e reſtituir „ per lo paſſato, non ſi deve aſſolvere &c.

Is eſt ultimus caſus. Omnes autem continentur eo communi effato, non eſſe abſolvendos, qui nolunt facere id ad quod tenentur; qui aliàs promiſerunt ſe facturos, & non fecerunt; qui non faciunt actu id, ad quod tenentur, & poſſunt; qui tandem prævidentur non facturi quod debent, ſi antea abſolvantur.

11 Cæterum ſufficere plerumque voluntatem, & propoſitum, eoſque, qui hoc ipſo carent, ac proindè ſunt indiſpoſiti, regulariter non eſſe dimittendos, ſed diſponendos, ſi tempus permittit, ut poſſint abſolvi, ſatis docet idem in aliis locis, & præſertim cap. 10. lib. 2. ubi ſic.

„ Dopo che il penitente ha detto i ſuoi pecca- „ ti, e ha dato conto de' ſuoi andamenti, ajutato „ dall' induſtria del Confeſſore; domandigli, ſe ha „ dolore d'haver offeſo Dio, e propoſito, e fermo „ penſiero di non l'offender più, E ſe gli pare che „ egli non habbia dolore, e propoſito baſtante, in „ que-

„ queſto metta il Confeſſore ogni ſua diligenza, e
„ forza: per queſto punto ha da ſerbar le ſue lacri-
„ me i ſuoi affetti, le ſue perſuaſioni &c. Conſideri
„ adunque il Confeſſore, ſe il penitente ſi muova
„ per timore, ò per amore. Se ſi muove per timo-
„ re, mettagli innanſi la moltitudine abominabile
„ de' ſuo peccati, come uno ſquadrone di morte,
„ e d'inferno &c. Ma ſe vedrà, che ſi muova più
„ per amore che per timore gli ha da propone i be-
„ nefizii, che il noſtro Signore gli ha fatti &c. E ſe
„ con tutte queſte perſuaſioni non ha ſufficiente do-
„ lore, ne propoſito di non offender Dio, ò per-
„ chè non propone d'emendarſi da indi innanzi, ò
„ perchè non vuole reſtituire il mal tolto, ò non
„ vuole laſciare il ſuo cattivo ſtato, ò dice che non
„ gli baſta l'animo di viver caſto, ò non vuole ab-
„ bandonar l'uffizio, il quale non può eſercitare
„ ſenza peccato mortale, (en omnes cauſæ negan-
di, vel differendi abſolutionem ex hoc Doctore)
„ non dee aſſolverlo in modo alcuno, perchè non
„ ha diſpoſizione ſufficiente a ricevere il Sacramen-
„ to, e in tal caſo l'ha da mandar con Dio, e dar-
„ gli venti, ò trenta giorni (ſecondo che gli parrà)
„ di termine, e che all'ora ſi torni a confeſſare a lui
„ per vedere l'animo ſuo.

Igitur extra hunc caſum obdurationis, pœnitens excitatus prædictâ adhortatione Confeſſarii, tanquam verè ex indiſpoſito factus diſpoſitus, debet ſtatim abſolvi. Cùm autem plerique non maneant ſic obſtinati, dum Confeſſarium audiunt ea

tam multa proponentem, quæ is Auctor hìc ſuggerit, jam ex hoc Doctore plerumque contingit, ut Pœnitentes indiſpoſiti ſic diſponantur à Confeſſario bene adhortante, ut poſſint ſtatim & ſine ulla dilatione abſolvi.

Eandem doctrinam confirmat cap. 7. ejuſdem lib.2. in fine, ubi proponit hanc quæſtionem, quid ſit agendum à Confeſſario, qui, antequam Pœnitens incipiat confeſſionem ſacramentalem, dat ſigna, ſe non habere firmum emendationis propoſitum, an debeat eum audire, an dimittere, & reſpondet.

„ Il Gaetano nella ſua Somma par che dica,
„ che non debba udir la confeſſione, anzi mandarlo
„ con Dio, raccommandandolo alla ſua gratia.
„ Ma la verità di queſto è, che l'ha da udire, pri-
„ ma perchè ( COME MOLTE VOLTE AC-
„ CADE ) con buoni ricordi, che gli dà il Confeſ-
„ ſore, e principalmente perchè in quell'atto Id-
„ dio tocca il cuore, e muta il mal propoſito, che
„ colui haveva &c.

Igitur *multoties* accidit, ut pœnitens non verè pœnitens nec habens propoſitum emendationis, illud verè concipiat ad brevem fervidi Confeſſarii exhortationem. Sed illud etiam obſervo, uti is Auctor vult, eum abſolvi quem Confeſſarius increpando & hortando diſponit. At unde intelliget Confeſſarius, eum ſuâ adhortatione commotum eſſe, & jam verè proponere? Non aliunde certè, quàm ex lachrymis, ſuſpiriis, aut ſeria atteſtatione pœnitentis, aſſerentis, ſe deponere pravam voluntatem, &

verè

verè proponere. Ergo ſupponit, eſſe in hoc foro regulariter credendum reo, non ſolùm confitenti, & dicenti, ſe habere hæc & non alia peccata, ſed dicenti ſeriò, & atteſtanti, ſe eſſe diſpoſitum. Ergo quandoquidem hanc eandem doctrinam, quam hìc Medina tradit, tradunt communiter Doctores, monentes, ut qui indiſpoſiti ſunt, diſponantur, & ſic diſpoſiti abſolvantur, jam hæc doctrina communis eſt, & à communi recedunt, qui meos libros hoc etiam ex capite impugnarunt.

12 Circa dilationem abſolutionis, de quâ agimus, id etiam monet, quod omittere non debeo, ne videlicet infirmo, qui longiorem confeſſionem facit, adeoque totam non poteſt ſimul facere, ſed cogitur eam dimidiare, differatur abſolutio in finem confeſſionis, ſi periculum ſit in mora, ne eveniat, quod refert aliquando eveniſſe, ut videlicet æger moriatur non abſolutus. In hoc autem caſu debet infirmus confiteri in particulari ea plura quæ poteſt, & reliqua in generali, & de omnibus dolere.

13 Ne verò ſuperfluis, aut noxiis interrogationibus inquirat Confeſſarius in culpas Pœnitentis, eum ſapienter monet cap. 18. lib. 1. „ Che ſolamente domandi quel che gli parrà, che communemente ſogliono commettere gli huomini di quello ſtato, e qualità, e queſto ha da fare con prudenza, e diſcrezione, nè domandi de' peccati ſtraordinarii, e non ſaputi, ma di quei ſoli, che ordinariamente ſi ſogliono commettere.

Putat

14 Putat etiam ad prudentiam Confeſſarii pertinere, eum aliquando non monere, qui invincibili ignorantiâ laborat. Sic enim habet lib. 2. cap. 2.

„ Quando il Confeſſore vedrà il penitente eſ-
„ ſer d'un' ignoranza invincibile, ò con buona fe-
„ de, che per altro ſarebbe peccato mortale, non
„ biſogna che ne parli, e particolarmente ſe dall'
„ avviſo del Confeſſore non der ſeguirne profitto,
„ ma molto travaglio, e ſcandalo, (ut ſi conjuges habent impedimentum dirimens, quod ſi ſcirent, minimè tollerent. Addit tamen eſſe de veritate docendos, ſi ipſi dubitent, aut interrogent.)

15 Circa pœnitentias aut imponendas, aut peragendas non pauca docet lib. 2. cap. 7. ubi hæc monet.

„ Se il Penitente non ha fatta la penitenza im-
„ poſtagli, ha peccato mortalmente. Queſto s'in-
„ tende, ſe egli ha potuto commodamente. (Et paulò poſt.)

„ Se bene non ha fatto la penitenza impoſta,
„ non per queſto la confeſſione paſſata fu invalida,
„ ne ſi dee tornare a farla, perchè la confeſſione
„ paſſata non hebbe dipendenza da quel che dove-
„ va venire, e ſuccedere, ma dalla diſpoſizione,
„ la quale haveva allora il vero Penitente, e cosi
„ la confeſſione, & aſſoluzione hebbero l'effetto
„ ſuo &c. Così anco biſogna avvertire, che, ſe ſi
„ dimenticò della penitenza, che gli fu data nella
„ paſſata confeſſione, il rimedio più facile è, con-
„ feſſarſi un' altra volta de' medeſimi peccati, ac-

„ cioc-

„ ciocchè il Confeſſore gli dia quella penitenza „ che conviene alle ſue colpe. Sarà anche rimedio „ il congetturare appreſſo a poco la penitenza, che „ ſe gli può dare, e ſempre, per non s'ingannare, „ inclini alla maggior penitenza, eccetto quando „ verranno Giubilei, & Indulgenze plenarie, ſe „ già la penitenza data dal Confeſſore non fu pre- „ ſervativa, acciocchè da indi innanzi fuggiſſe l'oc- „ caſioni de' peccati, e non tornaſſe a cadere in eſſi; „ come ſe la penitenza foſſe, che non entraſſe nella „ tal caſa &c. perchè di queſte penitenze il Con- „ feſſore non può, ne deve aſſolver mai, ſinchè ſia „ levato il pericolo, e l'occaſione di peccare.

„ Biſogna ancora che il Confeſſore intenda, „ che ſe colui fece la penitenza, eſſendo in peccato „ mortale, ſodisfece bensì al Confeſſore, perchè „ il Confeſſore non gli commandò ſe non che di- „ giunaſſe, ò ſi diſciplinaſſe, il che egli veramente „ adempì, benchè non foſſe in grazia di Dio. Ma „ è vero che non ſodisfece dinanzi a Dio per la pe- „ na, che doveva nel Divino giudizio, perchè il „ peccatore nemico di Dio neſſuna coſa fà, che piac- „ cia a Dio, ne che vaglia appreſſo lui. Ma per „ conſolazione de' peccatori, dicono alcuni gravi „ Teologi, che *recedente fictione*, cioè uſcendo di „ peccato, e pentendoſene, conſegue l'effetto della „ ſodisfazione, come ſe l'haveſſe fatto in gra- „ zia &c.

Sed fuſiùs de ſatisfactione imponenda differit cap. 11. ejuſdem lib. 2. ubi allegato textu Concilii

Trid.

Trid. monentis Confeſſarios, quo ſe gerant modo in imponendis pœnitentiis, dat ſequentes regulas.

„ La prima comandigli, che reſtituiſca quel
„ che nella confeſſione ha dichiarato havere contra
„ coſcienza, ſe egli ha il modo. Ma avvertiſca,
„ che, ſe ſarà huomo di credito, e dice, che reſtitui-
„ rà, ed è queſta la prima volta, ò al più la ſecon-
„ da, non li ha da negare l'aſſoluzione, anzi dee dar-
„ gli credito &c. La ſeconda regola è, che la ſodiſ-
„ fazione non ſia in pregiudizio del terzo &c. La
„ terza regola è, che la ſodisfazzione ſia occulta,
„ acciò non ſi ſcuopra la confeſſione. Ma dirà ta-
„ luno. Adunque quando uno nella medeſima caſa
„ tiene l'occaſione di peccare &c. non ſe gli dee
„ dare in penitenza, che ſe n' eſca, ò ne cacci la
„ mala compagnia, perchè ſubito ſi ſcuopre il ſuo
„ delitto &c. Riſpondeſi che à queſto tale gli devo-
„ no dare in penitenza, che ſe n'eſca di quella caſa.
„ E poichè egli per ſua malizia ò fragilità ſi poſe
„ in quel vitupero, l'imputi a ſe, e non alla legge
„ di Dio, che ſantamente commanda, cbe ſi levino
„ le occaſioni pericoloſe del peccato.

„ La quarta regola, che conſideri le forze del
„ penitente, e conforme a quelle gli dia la peniten-
„ za, e procuri di manifeſtar la miſericordia di Dio
„ prima che il rigor della ſua giuſtizia.

„ La quinta regola. Che ſe ſarà ſuperbo, gli
„ gli dia in penitenza alcune coſe d'umiltà: ſe di-
„ ſoneſto, che maceri la ſua carne con cilicii, e con
„ digiuni &c.

„ La

„ La ſeſta regola. Che ſe vedrà che ſia neceſ-
„ ſario gli dia in penitenza, che ſi confeſſi, ſe ſarà
„ qualche gran peccatore, le feſte della Madonna,
„ e ſe non ſarà sì gran peccatore, ogni meſe una
„ volta.

„ La ſettima regola. Che l'obblighi a pigliar
„ l'indulgenze delle bolle, ò Giubilei, ò d'altra
„ ſorte, perchè ſe non ha ſodisfatto bene, ò s'è di-
„ menticato, rimedii, e paghi con quelle indul-
„ genze.

„ L'ultima regola. Quando l'aſſolverà, oltre
„ alla penitenza, che gli da, dicagli. Io applico
„ tutte le tue fatiche che tu farai, ò ſoffrirai, in
„ remiſſione de' tuoi peccati.

15 Aliam quoque hac ſuper ſe regulam tradit cap. 3. ejuſdem lib. 2. ubi ſic monet Confeſſarium.

„ Sappia dare le penitenze conforme alla per-
„ ſona, e gravità de' ſuoi peccati: come ſe viene
„ un peccatoraccio molto ribaldo, non accade dar-
„ gli penitenze gravi di digiuno, ò d'altre aſprez-
„ ze, perchè vien fiacchiſſimo, e ſe voi gli ponete
„ gran ſoma, caderà con eſſa in terra. Anzi queſti
„ peccatori grandi, ſecondo il conſiglio di S. Ago-
„ ſtino, nel principio hanno a eſſer trattati man-
„ ſuetamente, finchè ſi tirino a Dio, e ammonirgli,
„ che ſi tornino a confeſſar a lui, e a poco a poco
„ eſercitargli in penitenze maggiori, perſuadendo
„ loro, che ſi confeſſino ſpeſſo, che recitino il Ro-
„ ſario della Madonna: e a queſti tali non dia ſubi-
„ to il Confeſſore licenza di communicarſi, anzi

„ coman-

„ comandi loro, che laſcino paſſare otto ò dieci „ giorni fra la confeſſione, e la communione.

Octo, inquit, aut decem dies, non autem menſes. Idque præcipi vult peccatoribus maximis, non autem quibuſvis: nec dicit, ad id præcipiendum, confeſſarium teneri, ſed hortatur tantùm, ut præcipiat, quod facit in pleriſque his Inſtructionibus is Auctor benignus idem & charitatis zelo exæſtuans, ut probè noverit quicunque eas leget: non enim monet tantum, aut frigidè docet, ſed ardet ubique invehiturque ſæpiſſime in abuſus, & vitia aut pœnitentium aut confeſſariorum, & illos ad veram pœnitentiam, hos ad rectum clavium uſum incendit, utroſque tamen in bonam ſpem erigit regulis bene temperatis.

## §. IV.

### *Doctrina Ludovici Lopez.*

PAaucis ante finem hujus ſæculi decimi ſexti annis, nempè ſub annum 1592. edidit *Inſtructorum conſcientiæ* Ludovicus Lopez ejuſdem Ordinis Prædicatorum, jam ſenex, & inſtructus ipſe priùs *omnium ferè* (ut ipſe dicit in Præfatione, & ut ipſum opus oſtendit) *egregiorum Doctorum, ſive antiquorum, ſive modernorum, qui ad conſcientiæ inſtructionem ſcripſere, lectione*, & longâ experientiâ. Diù ſiquidem Lectoris & Magiſtri munere functus eſt, diù etiam munere Concionatoris, & Miſſionarii in Occidentali India cum ingenti laude & majori fru-

fructu Fidelium, Infideliumque, ut teſtatur Altamura in Bibliotheca ad annum 1595. Proponam, quæ ſpectant ad noſtrum argumentum, nempè ad confeſſionem, de qua agit lib. 1.

1 Cap. 9. fusè, diligenter & ſubtiliter tractat eam quæſtionem, *utrum ad Sacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ fructuosè ſuſcipiendum, ſatis ſit attritio cognita*. De eâ verò, an requiratur vera contritio concepta ex charitate, ne verbum quidem habet, quamvis omnia ſummo ſtudio pertractet, quia videlicet eam tunc exigebat nemo in his ſacramentis, idque ſolùm vocabatur in controverſiam, an ſatis eſſet attritio etiam cognita. Loquitur autem de attritione in ſenſu Soti, Navarri & aliorum negantium attritionem cognitam ſatis eſſe, qui profectò eam ſolam negabant ſufficere, ſi cognoſcatur, quæ non procedit ullo modò ex amore Dei. Rursùs fatetur, ſe olim magis propendiſſe in opinionem eorum qui attritionem cognitam ſufficere negabant, poſtea verò ſententiæ affirmativæ adhæſiſſe *præcedente lumine Concilii Tridentini, & quia induſtria Doctorum aliquæ veritates magis illuſtratæ ſunt*.

2 Et quidem circa hunc Doctorem, & aliqua, quæ hìc habet, notandum eſt 1. Hallucinari eos, qui dicunt, (dicunt autem multi) hunc fuiſſe primum, aut inter primos qui noſtram ſententiam docuerunt. Nam quomodo id primus docuit, aut inter primos, ſi teſte Soto, quem ſupra, allegavi, aliiſque eorum temporum Doctoribus, omnes Thomiſtæ tunc idem ſentiebant. Non dicebant quidem

omnes,

omnes, ſufficere attritionem *etiam cognitam*, ſufficere autem re ipſa attritionem, docebant omnes. Hæc autem eſt noſtra ſententia, ut ſupra monui, hanc tuemur, hac modò contenti ſumus; quia hanc ſufficere negant Adverſarii, exigentes veram Dei dilectionem; & quia ubi id obtineamus, obtinebimus etiam alterum, quod attritio ſufficiat etiam cognita. Non igitur Lopez, primus aut inter primos, docuit noſtram ſententiam, nempè attritionem ſufficere; ſed primus aut inter primos, noſtræ ſententiæ addidit eam majorem expreſſionem, nempè non ſolum ſufficere veluti per accidens, cùm videlicet quis fecit quantum potuit, ut contereretur, & putavit ſe eſſe contritum, cùm ſolum eſset attritus; ſed ſufficere per ſe, ac proindè *etiam cognitam*. Addo nec id eſse verum, ſiquidem etiam cùm viveret Sotus, ut idem teſtatur in textu, quem allegavi cap. 6. num. 9. Thomiſtæ dcebant (nec contradicebant Scotiſtæ). ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ attritionem prædictam *etiam cognitam*. Ad ſummum Lopez primus fuit, aut inter primos, qui ſcriptis editis, ac fusè, & validè hanc ſententiam propugnarunt: affert enim argumenta fortiſſima, quæ non videntur ſolvi poſse. Hinc poſt ipſum, plerique ſufficientiam attritionis *etiam cognitæ* propugnarunt.

3 Notandum eſt 2. quod dicit in ultimâ probatione. Allegato enim textu Concilii Tridentini, docentis ſeſs. 14. cap. 4. attritionem *diſponere ad Dei gratiam, in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam* ſic habet. *Concilium abſolutè de tali attritione decla-*

*cla-*

*clarat, quod ſit talis diſpoſitio, nihil limitando. Cur ergo apponenda eſt iſta limitatio, quod ſufficit attritio, dum exiſtimetur contritio? Nam ſi id eſſet admonitu neceſſarium, Concilium id declaraſſet, ne in re tanti momenti ad ſalutem, parùm ſecuros nos relinqueret.* Quæ valent etiam contra illos qui dicunt, agere hìc Concilium de diſpoſitione remotâ. Nam Concilium abſolutè declarat, quod ſit diſpoſitio, nihil limitando, aut dicendo, quod eſt diſpoſitio ſolùm remota, quod ſi verum eſſet, *Concilium declaraſſet, ne in re tanti momenti ad ſalutem, parùm ſecuros nos relinqueret*, imò ne daret occaſionem errandi, nam verba Concilii, ex toto contextu ſonant potiùs diſpoſitionem proximam. Hinc ferè omnes ſunt hoc modo ea verba interpretati, ut concedunt modò Adverſarii noſtri, qui non negant ibi agi de diſpoſitione proximâ, ſed excogitarunt aliud effugium dicentes, ſermonem ibi non eſſe de attritione conceptâ ex ſolo metu pœnarum, ſed de concepta etiam ex motivo charitatis, quod profectò repugnat toti contextui, in quo nulla ſit mentio talis motivi, ſed pœnarum tantum, ac turpitudinis peccati. Hinc convenere tunc omnes in hoc, & tanquam certum ſuppoſuerunt, loqui Concilium de attritione non conceptâ ex charitate. Unde contra hos fortiùs valeret quod dicit Lopez, nempè non omiſſurum Concilium id declarare, ſi verum eſſet, ne, ut dicebam, præberet anſam errandi, aut ſaltem *parùm ſecuros nos relinqueret in re tanti momenti ad ſalutem*.

4 Nec valet quod aliqui dicunt, noluiſſe Concilium id definire, quod erat in Scholis Catholicis controverſum. Potuiſſet enim citra omnem definitionem docere, attritionem conceptam ex ſolo metu diſponere *ſaltem remotè*. Sic enim nec definiviſſet eſſe diſpoſitionem ſolùm remotam, nec eſſe diſpoſitionem proximam, ſed *certò eſſe remotam*, *forte etiam proximam*, ac proinde omnem errandi occaſionem ſuſtuliſſet, monuiſſetque, procurandam contritionem, ut certam diſpoſitionem afferamus.

5 Notandum eſt 3. uti ſtatutâ ſecundâ concluſione, quâ docet, *multò potiori ratione ſufficere attritionem cognitam*, *ad accedendum licitè ad Baptiſmum*, ſubdit. HÆC EST, OMNIUM, PROUT EXISTIMO, THOMISTARUM. An putas, Ludovicum Lopez tunc ignoraſſe, quæ nam eſſet ſententia Thomiſtarum, aut auſum fuiſſe in ſcripto publicè edito, & ab ipſis Thomiſtis approbato id affirmare, quod falſum eſſe, non ignorabat. Quis credat, Adverſarios noſtros qui modò ſcribunt & hoc negant, certiùs ſcire quid Thomiſtæ tunc docuerint, quàm Lopez qui cum eis docebat, qui eos audiebat, qui legerat omnes ſaltem præcipuos, ut initio monuimus, & notat etiam Altamura in ſuâ Bibliothecâ agens de eodem Doctore, cujus præterea candor & fides ſatis eminet ex modò quo hic & alibi ſuas, aliorumque ſententias proponit.

*Cler.* Id profectò valide confirmat quod ſupra dicebas, nimirum noſtram doctrinam tunc fuiſſe verè communem.

*Auct.*

6 *Auct.* Notandum eſt 4. quod dicit in reſp. ad 1. non eſſe hac in re differendum de Deo, ut diſſerimus de homine: nam homines facilè veniam negant illis, quos norunt pœnitere non tam, quia offenderunt, quàm propter propria incommoda, quia *in remiſſione offenſæ, magis aſpiciunt ad propriam utilitatem ſuæ æſtimationis, quàm offenſoris, at Deus qui eſt bonus, optimus, & præſtabilis ſuper malitiam*, quamvis reſpiciat *ſuam gloriam*, intendit tamen *noſtram utilitatem, non ſuam*, unde *miſerabiles nos noſcens*, ſic inſtituit hoc Sacramentum, ut *eo ſuppleatur inopia noſtra*, ac proinde *non exigit à nobis contritionem, per quam ſani accedamus* (putavit enim, ut reliqui ejus ævi Theologi, per omnem contritionem ex charitate conceptam remitti peccata) *ſed contentatur attritione*.

7 Notandum eſt 5. quod reſpondens ad ſecundum argumentum, docet, nempè etiam eum, qui eſt attritus, ac proinde dolet de peccato *propter incommoda ſpiritualia inde oborta*, dolere de offenſâ Dei, ubi etiam addit, *quod attritio, licet iſtum reſpectum ob offenſam Dei expreſsè non includat, ſed neque illum excludit. Nec enim habet hunc voluntatis actum: nolo dolere propter offenſam Dei de peccato meo, ſed propter mea incommoda. Imò, ſicut timor dicitur introducere dilectionem; ita attritio cum Sacramento, diſponit ad impetrandam gratiam, quæ dolorem altiorem, nempè contritionem propter Deum ſolet excitare*.

8 Notandum eſt 6. quod dicit reſpondens Na-

varro, qui, ut ſupra dicebamus, videtur exigere in Baptiſmo hominis adulti pœnitentiam noſtrâ attritione ſublimiorem, veluti ſignificatam à D. Petro per ea verba Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*. Sic enim dicit. *Reſpondetur, quod ſicut D. Thomas 2. 2. ait, in caſibus moralibus conſcientiæ, magis eſſe ſtandum uſui Eccleſiæ, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, quam dicto, & authoritati alicujus Doctoris etiam Sancti, ſcilicet Auguſtini, aut D. Hieronymi; ita circa interpretationem alicujus loci Sacræ Scripturæ dubii, magis ſtandum eſt interpretationi Eccleſiæ, aut Concilii, quàm interpretationi alicujus Doctoris etiam Sancti. Cum ergo interpretatio hujuſ loci adducti ex D. Petro jam conſtet ex Concilio Tridentino, ubi decernit contritionem imperfectam, quam vocamus attritionem, idoneam eſſe in Sacramento ad impetrandam gratiam, non oportet nos divexare in quærendo alias gloſſas.*

*Cler.* Is loquendi modus verè oſtendit, ſententiam Navarri habitam tunc fuiſſe tanquam ſingularem, ut ſupra ex facto Juſtiniani colligebas: non enim ſic eam rejiceret, nec ita intrepidè diceret, oppoſitum conſtare ex Concilio Tridentino, niſi vidiſſet hunc eſſe communem ſenſum Doctorum.

9 *Auct.* Id etiam bene colligis, tuæque collectioni robur accedit ex eo, quod is Auctor, quamvis omnia diligenter expendat, & ad trutinam ſubtiliſſimè revocet aliorum ſententias, eas tamen modeſtè rejicit, aut, cùm poteſt, benignè interpretatur,

ac

ac de omnibus loquitur reverenter, & præſertim de Navarro, quem plurimi faciebat. Hinc cap. 14. agens de hoc Doctore dicente, eſſe habendum ut verè contritum, aut ſaltem attritum, qui dolet quod non ſatis dolet, velletque ſatis dolere, dicit, id eſſe intelligendum cum grano ſalis, ſi videlicet pœnitens abſolutè peccata commiſſa deteſtetur, & proponat vitare omnia, nec habeat ſolam quandam velleitatem, & ſubdit. *Hæc dixerim, non gratia detrahendi viro eruditiſſimo* Navarro, *quem ego tum, ob ſuam inſignem probitatem, tum ob ægregiam authoritatem, quâ pollet in Republicâ Chriſtianâ, ſemper ſuſpicio, & veneror, ſed gratia eum declarandi.*

10 Hujus ſimiliter modeſtiæ ſpecimen præbet cap. 15. ubi docet, *quod quæcunque contritio vera, quantumvis remiſſa, etiam in inſtanti concepta, ſatis eſt ad remittenda omnia mortalia*. Siquidem agens de ſententiâ Scoti qui videtur exigere in verâ contritione certam aliquam intenſionem & extenſionem, non negat quidem hanc ſententiam eſſe *diſſonam Scripturæ, nullâ rationis baſi, aut teſtimonio Sanctorum roboratam*, & fortè *labe temeritatis* infectam, ſed laudat Scotiſtas, qui ſuum Doctorem ſubtilem benignè ſunt interpretati, ita ut docere ſolùm voluerit, certum gradum intenſionis, & extenſionis requiri ad eam contritionem, quæ non ſolum remittat culpam, ſed cum culpâ totam pœnam, qualis fuit, inquit, contritio D. Mariæ Magdalenæ, & boni latronis. Ex quo etiam colligen-

dum eſt, omnes tunc Theologos Thomiſtas, Scotiſtaſque in hoc judicio conveniſſe, quòd falſa omninò eſſet ac *diſſona Scripturis*, *nullaque ratione aut teſtimonio Sanctorum roborata* ea ſententia, quæ in contritione juſtificante extra Sacramentum, intenſionem requirit.

*Cler.* Et tamen hanc ipſam, modò noſtri Adverſarii propugnant. Quì contingere id poteſt, ut Doctores Catholici id modò doceant, tanquam verum, & in ſacrâ paginâ ac Patrum doctrinâ fundatum, quod olim omnes Doctores Catholici rejecerunt, tanquam omninò falſum, Patrum doctrinæ minimè conſonum, diſſonum ſcripturis? Id profectò mirabile eſt.

*Auct.* Et pluſquam mirabile. Sed referamus reliqua, quæ docet Lopez.

11 Cap. 21. limitat aliqua, quæ benigniùs docuerat Navarrus circa præceptum removendi occaſiones proximas, quod etiam facit cap. 22. Hic autem referens, quod ille docet, nempè, aliquas perſonas, quæ ſui juris non ſunt, ac proinde removere occaſionem proximam nequeunt, aliquoties abſolvi poſſe, ſi relabantur, dummodo concurrant aliqua, ſubdit. *Verumtamen, ſi ego eſſem Confeſſarius, non abſolverem eas perſonas, ſi cernerem, quod vicibus præteritis nulla emendatio, neque inchoatio ejus extitiſſet; neque, ſi circumſtantiæ infirmitatis, puſillanimitatis, & ingens propenſio earum ad peccatum, & diffidentia, quam habent illæ de pœnitudine alterius partis, mihi perſuaderent, quod niſi ſepararentur,*

*tur*,

*tur, nulla ſequetur emendatio &c.* Putavit ergo, quod alibi cum præſtantiſſimis Doctoribus docui, poſſe abſolvi relapſos, cùm ſe aliqualiter emendarunt & ſperatur plena emendatio. Unde tandem concludit. *Si tamen ſpes abeſſet emendationis, & quadam incuriâ circa hoc obſurdeſcerent, quia jam proſus negligentiæ convincerentur, non eſſent abſolvendæ, quia, ut dictum eſt, potiùs conſulendum eſt conſcientiæ, quam honori. Et quia illa ſeparatio non eſt abſolutè impoſſibilis, ad eam faciendam illis omninò nitendum eſſet. Sicut, licet neceſſarium ſit, alicui in domo ſuâ manere, ſi tamen incendium, aut periculum mortis paterentur, inde viis omnibus vel per fugam receſſum ſibi pararet.*

12 Quia verò Navarrus dixerat in favorem eorum, qui in his occaſionibus relapſi ſunt, ex doctrinâ Chriſti Domini peccatores eſſe abſolvendos etiam ſeptuagies ſepties, & rursùs ipſum relapſum non eſſe ſufficiens argumentum impœnitentiæ præteritæ, aut præſentis.

Reſpondet ad primam *probationem, quod verum eſt, quod ſeptuagies ſépties eſt parcendum, & abſolvendi ſunt, qui peccarint, dum tamen non ponant obicem volendo permanere in occaſione pariente periculum probabile peccati mortalis, propoſito carentes eam vitandi. Ad ſecundam ejus propoſitionem dicimus, quod non negamus recidivum non eſſe ſufficiens argumentum, neque convincens retroactam pœnitentiam non fuiſſe veram. Sed non propterea* QUIA RECIDIT, ſed *quia vult manere in occaſione probabili*

*peccandi mortaliter, talis indignus efficitur abſolutione*. In his ergo duobus conveniebant omnes Doctores, nec relapſum eſſe ſufficiens indicium impœnitentiæ, nec ex ſolo relapſu peccatorem effici indignum abſolutione, ſed ex relapſu nimis facili, aut orto ex non remota occaſione.

13 Cap. 23. benè notat, falſum eſſe, *quod occaſio, quæ de ſe non eſt peccatum, ut obliget ad ſui expulſionem, & vitationem, neceſſe eſt, quod ſemper, aut quaſi ſemper inducat ad peccandum mortaliter*, docetque, *ſatis eſſe quod ſtante experientiâ propriæ fragilitatis, exiſtimet quis, probabile ſibi periculum paratum, niſi talem occaſionem evitet*. Ex hoc multa infert, quę ſanè demonſtrant, hunc Doctorem fuiſſe laxitatis inimicum.

14 Sed neque juſto rigidior fuit, hinc cap. 27. monet, uti *prudentis Confeſſoris officium eſt, non cauterizate conſcientias pœnitentium infirmas, vel extinguere lignum fumigans, eligendo opiniones rigidiores, & magis auſteras; quia ſatis eſt, ut pœnitens poſſit abſolvi, quòd opinionem probabilem Doctorum ſequatur*.

15 Cap. 27. loquens de pœnitentibus, Doctrinæ Chriſtianæ ignatis, monet, non eſſe ex iſto capite abjiciendos, ſi mancipia ſint, ſeu perſonæ non liberæ, quæ non potuerint in fide ſatis inſtrui. Id (inquit) hominum genus, quandoquidem *per quotidiana occupationum onera ab heris impoſita, vel propter divagationem itinerum, vel manſionem continuam in agris & villis, non potuerunt habere ad eos, qui poſſint*

*ſint docere*, *recurſum*, & ideò *in culpâ tantâ non fuerunt*, *nec per eos ſtetit non didiciſſe doctrinam*, *&*, ſi aliàs *deſperati abibunt*, *& ſine remedio per multum temporis manebunt inconfeſſi*, *ſi hac ratione abjiciantur*, *à Confeſſoribus non ſunt ſic explodendi*, *ſed potius juxta Concilium Vormacienſe*, *ut ait Canus in Relect. de pœnit. quia Confeſſor eſt Paſtor*, *& Doctor*, *& medicus*, *per modum hiſtoriæ*, *Divinæ tamen*, *& certæ*, *eos craſsâ minervâ in myſterio Trinitatis*, *& Incarnationis*, *& in reliquis articulis fidei inſtituant*, *& intelligant Confeſſores*, *id ſibi negotii dari*, *ut non modò pœnitentes audiant*, *& abſolvant*, *verùm etiam erroribus amotis inſtituant*, *neque rem perdifficilem*, *& tam arduam*, *id reputent*, *ſed mihi experto credant*, *qui in regionibus Indorum multos ſic ignaros*, *& deſperatos*, *& ab aliquibus pigris Confeſſoribus abjectos tanquam doctrinæ ignaros*, *paululum cum illis in Confeſſione immoratus*, *ita edocui*, *ut jam ad Myſteria articulorum fidei Incarnationis*, *& Trinitatis interrogati bis*, *& ter*, *& multoties*, *rectè reſponderent*: *cum aliàs ad Confeſſionem veluti muta animantia acceſſiſſent*.

16 Cap. 18. dicit, debere aliquando Confeſſarium non rejicere, ſed audire, & abſolvere pœnitentem, qui craſsè & parùm examinavit conſcientiam ſuam, cùm videlicet pœnitens rejectus, gravem infamiæ notam incurreret, & eſt talis, ut poſſit Confeſſarius ſuis interrogationibus defectum examinis ſupplere.

17 Monet inſuper Confeſſarium, ut *puellas*, *quan-*

*quandò viderit eſſe neceſſe, tantâ cautelâ, & tam honeſtis verbis interroget, ut, ſicut dixit Victoria, ſi ad iſtam primam interrogationem, quæ primò fieri debet eis, ſcilicet, an aliquid inhoneſtè cogitaverint, reſponderint, non, non eſt ulterius procedendum &c.*

18 Circa ſatisfactionem, ultimam hujus Sacramenti partem, monet in fine cap. 18. debere Pœnitentem eſſe paratum acceptare ſatisfactionem, pro peccatis ſuis debitam, ſecundum Cajet. ſeu clave non errante injunctam, ſecundum Sotum,& cap.27. monet, uti *Ad prudentiam Confeſſoris ſpectat, in injungendis pœnitentiis eum modum obſervare,qui congruat qualitatibus peccatorum, & perſonarum conditionibus & ſtatibus, eorumque facultatibus & viribus, et juxta conſilium D. Aug. perditiſſimos, et magnos peccatores, in principio mitiùs, & blandiùs tractandos* &c. cum reliquis ad verbum, quæ ſupra docuit Medina.

Hæc Ludovicus Lopez, initio partis primæ ſui Inſtructorii, in quo quæſtiones morales, præſertim majoris momenti, eâ diligentiâ, claritate, & ſoliditate tractat, quâ fortè nullus alius ante ipſum, & pauci poſt ipſum.

## §. V.

### *Doctrina Franciſci Toleti.*

1 INſignis non ſolum Cardinalis, ſed Theologi moralis nomen hoc eſt. Diù quippe antequam ad Purpuram eveheretur, moralis Theologiæ quæſtio-

ſtiones Romæ explicuit Lector in Gymnaſio Soc. Jeſu, & poſteà Sacræ Pœnitentiariæ Theologus, eâ tutæ, ſolidæque doctrinæ famâ, quâ majorem ſperare vix alius poſſit, quamque colligere quivis facilè poſſit ex hoc Gregorii XIII. tunc ſedentis ad eum reſcripto. *Tanta eſt doctrina, prudentia, fides, & diligentia tua, qua graviſſimis in muneribus, longo & intimo uſu nobis cognitæ ſunt, ac perſpectæ, ut tua ſcripta, ſicut cæterorum, aliorum judicio & examini ſubjici æquum non ſit. Itaque Commentaria illa tua in D. Joannem, ſine alterius cujuſquam approbatione aut licentiâ, quandocunque tibi videbitur, in lucem edendi, plenam ac liberam tibi damus facultatem.* ( Apud Alegambe in bibliothecâ Scriptorum Soc. Jeſu. )

Cùm verò tanti habita fuerint à tanto Pontifice Toleti ſcripta, debet abſque dubio plurimi ab omnibus fieri illud ejus Volumen quod inſcribitur *Inſtructio Sacerdotum*, dirigèndis videlicet in Sacramentorum adminiſtratione Sacerdotibus, ab eo concinnatum, cum argumenti gravitas ſummam fidem expoſceret, cumque ad ipſum, qui ſupremi fori pœnitentiæ Theologus erat, potiſſimum pertineret tradere praxim tutiſſimam pœnitentiæ.

2 In hac Inſtructione lib. 3. qui totus eſt de pertinentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ cap. 4. n. 5. agens de contritione, nullam in eâ intenſionem requirit, *Non eſt*, inquit, *determinata intenſio actus neceſſaria; imò contritio una, vel remiſſa poteſt delere quodcunque peccatum, quamvis graviſſimum; nec*

*homo*

*homo tenetur magis conteri de peccato uno, quàm de alio, dummodò conteratur: quamvis ſit utile magis conteri, & de peccato graviori plus dolere: hoc enim valet ad pœnæ majoris remiſſionem, & majoris etiam gratiæ conſequutionem.* Aſſignat poſtea rationem; quia contritio vera (quam dicit eſſe illam, quæ deteſtatur peccatum ſuper omne deteſtabile) ſemper eſt cum gratiâ. Cum autem contritio concepta etiam ex ſolâ charitate inchoatâ deteſtetur peccatum ſuper omne deteſtabile, ſequitur quod etiam talis contritio, ſemper ſit cum gratia. Id autem docet Toletus tanquam indubitatum.

3 Cap. 10. agens de caſibus, quibus eſt iteranda confeſſio, dicit, non eſſe iterandam, ſed valere, & conferre gratiam, ſi fiat cum ea attritione, quæ eſt vera deteſtatio culpæ, & propoſitum cavendi ob pœnas Inferni, & quidem, etiam ſi fiat cum tali attritione cognita, idque colligi ex Tridentino. Oſtendi autem in Tract. de Dolore &c. lib.2. cap.6. §. 2. num. 17. uti olim Toletus, utpotè qui fuerat Soti diſcipulus, docuerat non ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ attritionem cognitam,& requiri contritionem putatam, ut ſæpè docet Sotus. At poſtea docuit ſufficere etiam attritionem cognitam,unde in hac Sacerdotum Inſtructione ſcripta manu ipſius Cardinalis, quæ aſſervatur in Collegio Romano,ubi dicitur, non valere attritionem cognitam, ſi concipiatur ex peccato non ut eſt offenſa Dei, ſed ut eſt cauſa alicujus mali, & pœnæ inferni, ſic legitur in margine, ſcriptum pariter manu ejuſdem Cardinalis.

lis. *Quod intelligendum eſt de attritione, quæ eſt imperfectus dolor præteriti, & imperfectum propoſitum futuri &c. Nam de Attritione illa, quæ eſt deteſtatio cum verò propoſito, ſed ob pœnas Inferni, dico, quod, licet ſciat homo, ſe eſſe attritum, quod eſt vera confeſſio, & accedens abſolutio dat gratiam, ut colligitur ex Trident. &c.* Conſule prædictum lib. De Dolore &c. ubi quod hìc refero, probo certiſſimis, & authenticis documentis, eaque diluo, quæ poſſent opponi.

Cæterùm, quamvis docuiſſet Toletus cum ſuo Magiſtro Soto non ſufficere attritionem cognitam, nihil obeſſet nobis, id ſolùm contendentibus, re ipsâ, & coram Deo prædictum dolorem ſufficere, & non requiri, vel inchoatam charitatem, quod certè docuit ſemper Toletus, cum docuerit, ab actu charitatis etiam *remiſſe poſſe* deleri quodcunque peccatum, nec unquam poſtularit in hoc Sacramento contritionem, & charitatem, quæ per ſe delere poſſit omne peccatum, imò nec contritionem veram, ſed ad ſummum ſolum putatam.

5 Cap. 17. num. 4. monet, uti, cùm Pœnitens debet, ſeu pecuniam, ſeu famam reſtituere, ſeu votum implere, *conſiderare debet Confeſſarius, an poſſit pœnitens implere, quod ſi non poſſit, ſufficit propoſitum; ſi verò poteſt, videndum eſt, an urget neceſſitas Confeſſionis, & illud facilè, & brevi tempore implere poſſit: tunc enim deberet priùs facere, ut impleat, maximè cùm reſtitutio eſt pecuniæ, aut votum dandi aliquas eleemoſynas. Quod ſi pœnitens eſt fidelis,*

*delis, & homo, cui fides probabiliter eſt adhibenda, ſufficiet propoſitum, quamprimùm vacaverit, implendi: dummodò pœnitens non propoſuerit ſimile in alia unâ, aut duabus Confeſſionibus, & illud non impleverit: tunc enim non eſt abſolvendus, debet enim Confeſſarius id interrogare, an, puta, in aliis Confeſſionibus dixerit illud debitum, & promiſerit, ſe facturum, & non fecit.*

6 Num. 9. ejuſdem capitis loquens de iis Pœnitentibus, qui fidei doctrinam ignorant, *Deplorandus eſt*, inquit, *abuſus & ignorantia plurimorum, qui ſummam inſcitiam habent, non ſcientes quid ſit Chriſtus, nec quid Deus, nec quæ ſint mandata obſervanda &c. Tales non ſunt abſolvendi, quin ponatur eis grandis obligatio illa in futurum ſciendi, & pro tunc de principalibus ſaltem uno verbo inſtruantur* &c. ideſt, breviter, & quantum ſatis eſt.

7 Cap. 18. num. 6. circa inveteratas peccandi conſuetudines hanc tradit regulam. *Si ſunt peccata nimia conſuetudine inveterata, & præſertim carnalia, debet Confeſſarius tempus illius peccati petere, & frequentiam conſiderare, & an tempore aliquo ante Confeſſionem abſtinuerit. In his enim utile conſilium eſt, cùm neceſſitas non urget, vel periculum non amplius confitendi, differri abſolutionem integrâ audita Confeſſione, donec appareat emendatio aliqua. Univerſaliter debet Confeſſarius uti uno generaliſſimo, & utiliſſimo remedio pro his omnibus, ſcilicet frequenti Confeſſione, & Communione, non quòd imponat Pœnitenti, nec obliget ipſum, ſed aperiat delicti gra-*

*vita-*

*vitatem, & periculum, & difficultatem liberandi ſe ab illo, ſimulque dicat Pœnitenti ipſi, hoc eſſe unicum fere remedium, ut vel in ſingulis hebdomadis, vel intra ſingulos quindecim dies, vel menſes ſingulos ad Confeſſarium accedat, Ego non te obligo, ſed ſolum doceo, quod tu aliàs facere teneris. Et ſic Confeſſarii conſcientia manebit tuta: difficilè enim eſt profectò rectè ſe gerere erga ſimilia peccata.*

8 Hìc notanda ſunt aliqua. Et 1. non de quavis pravâ conſuetudine hìc agit Toletus, ſed de eâ quę eſt nimis inveterata, nempe admodum inveterata, quę proindè remediis ordinariis, & ſimul aliquo extraordinario eſt curanda. 2. Uult peti, *an tempore aliquo ante Confeſſionem abſtinuerit*, nimirum, ut, ſi id fecit, abſolvi poſſit. 3. Si id non fecit, *utile conſilium eſt*, inquit, non autem præceptum differendi abſolutionem. 4. Utile conſilium hoc eſt, *cùm neceſſitas abſolvendi non urget, vel periculum non amplius confitendi*. Hæc autem neceſſitas magnam latitudinem habet, & hac neceſſitate pręmitur, qui, aut nullo modo poteſt, aut ſolum poſt longum tempus, aut perdifficilè poteſt (ut ſunt plerique, aut certè multi) ad Confeſſarium redire. 5. *Utile conſilium eſt*, inquit, *differre donec emendatio aliqua appareat*, non autem donec appareat emendatio plena, aut quaſi plena, donec non relabatur amplius, donec ſublata penitùs ſit prava conſuetuno. 6. Vocat generaliſſimum, & utiliſſimum remedium in his omnibns frequentem Confeſſionem, & Communionem; non ergo ex Toleto eſt utiliſſimum pœnitentiæ

tiæ genus longa dilatio abſolutionis, & abſtinentia longi temporis ab Euchariſtiâ. 7. Tandem ad id obligari non vult pœnitentem, ſed ſolum impelli conſilio, aut ſuæ obligationis ſignificatione. Id profectò eſt Confeſſariis, & Pœnitentibus non injicere laqueos, ſed manum præbere; non claudere Cœlum, ſed aperire; non agere deſtructorem, ſed Inſtructorem.

9 Cap. 20. num. 7. docet cum allegatis ſupra Doctoribus debere Confeſſarium abſolvere Pœnitentem ſequentem opinionem probabilem, quamvis ipſe ſequatur aliam. Et cap. 12. num. 4. docet poſſe dari abſolutionem cum conditione de præſenti hoc modo. *Si non es abſolutus, ego te abſolvo*, cum videlicet dubitat Confeſſarius, an abſolverit.

10 Circa Pœnitentiam cap. 11. num. 7. docet, quod, *quamvis quantum fieri poteſt, ſatisfactio juſta, & æqualis imponi debeat, & à Pœnitente acceptari, tamen Confeſſarius poteſt multis de cauſis eam diminuere. Primò quando Pœnitens accedit nimis contritus. Secundò quando eſt tempus Indulgentiæ, vel Jubilæi alicujus, quod etiam remittit magnam partem pœnæ, & aliquando totam: adhuc tamen imponenda eſt aliqua pœnitentia propter conſuetudinem. Tertiò, quando Pœnitens eſt ita imperfectus, ut timor ſit, ipſum non acceptaturum pœnitentiam; vel ſi accipit, non impleturum. Quartò, quando Pœnitens impedimentum habet, vel quia ſenex, vel quia debilis. Quintò quando aliâ viâ juvatur pœnitentia, & ſatisfactio, ſcilicet imponendo illi omnia, quæ*

*quæ facturus eſt bona, & quæ paſſurus eſt patienter mala loco Pœnitentiæ &c. Unde optimo conſilio in formâ abſolvendi adjungitur, illud quidquid boni feceris &c. Unde poteſt Confeſſarius pro pœnitentiâ imponere opera aliàs debita &c. Quando autem Confeſſarius abſolutè imponit pœnitentiam, intelligitur de opere aliàs indebito. Advertendum verò eſt, quod unus Confeſſarius non debet mutare pœnitentiam impoſitam ab altero, ſine causâ: Cùm verò cauſa eſt, vel quando videt Pœnitentem non impleviſſe, & timet etiam non impleturum, vel videt Pœnitenti non eſſe aptam, vel alia juſta de causâ, poteſt eam commutare in aliam, prout expedire meliùs judicaverit, vel illam etiam minuere. Nec opus eſt ad hoc, ut Pœnitens repetat peccata, pro quibus talem accepit pœnitentiam.*

Similiter cap. 10. loquens de caſibus, in quibus confeſſio fuit invalida, docet num. 11. non eſſe in his caſibus neceſſarium iterum confiteri in particulari peccata, *dummodò tamen Confeſſarius, aut peccatorum recordetur, aut ſaltem pœnitentiæ à ſe impoſitæ, aut ſaltem ſtatus, & vitæ hominis in communi.*

## §. VI.

### *Doctrina Gregorii Sayri.*

VErtente hoc ſæculo decimo ſexto, publici juris fecit lucubrationes ſuas doctiſſimas Gregorius Sayrus Anglus, Monachus Caſinenſis, acris & peracuti ingenii vir, juris præſertim Eccleſiaſtici

conſultiſſimus, & nulli ejus temporis Theologo morali ex innumeris, qui ſimul floruere, ſecundus.

1 Is in Clave regiâ Sacerdotum, lib. 1. cap. 7. agens de ſententiâ exigente in Sacramento Pœnitentiæ Contritionem, non quidem veram determinatè, ſed aut veram, aut ſaltem putatam, & de ſententiâ docente ſufficere attritionem notam, attritionem inquam conceptam ob turpitudinem peccati, vel timorem inferni, pro prima ſententiâ allegat ſolos quinque, nempe Durandum, Sotum, Navarrum, Vivaldum, & Philiarchum. Pro ſententiâ verò docente ſufficere attritionem notam, allegat Paludanum, Scotum, Sylveſtrum (à quo dicit allegari D. Thomam) Adrianum, S. Antoninum Canum, Mart. Ledeſmam, Bartholomæum Medinam, Card. Bellarminum, Gregorium de Valentiâ, Henriquez aſſerentem, in publicis actibus Salmantinis diverſos Magiſtros, quos nominat, & alios doctiſſimos hoc ita certum reputaſſe, ut ſine temeritate, vel errore, negari non poſſit, & concludit in fine numeri 4. *Licitum eſt abſolvere Pœnitentem accedentem cum attritione cognitâ*. Loquitur autem de ſola attritione cognita, quia jam omnes communi conſenſu docebant, attritionem in re ſufficere, & ſolum dubitabatur, aut dubitatum paulò ante fuerat ab aliquibus, an ſufficeret cognita. Dum autem Doctores quærunt, an ſufficiat attritio cognita, ſemper loquuntur, de ea, quæ non concipitur ex ulla charitate, ut aliàs monui, & ſemper debes meminiſſe: nemo enim dubitavit unquam, quin in Sacra-

cramento ſufficiat ea attritio cognita, quæ concipitur ex charitate, quamvis non intenſa.

2 In eodem lib. cap. 9. tractans eam quæſtionem, an Confeſſarius poſſit, & teneatur in favorem pœnitentis ſequi illius opinionem, vel propriam, relatis Authorum ſententiis, concludit, *Verior mihi videtur, & eſt* COMMUNIS OPINIO *Angeli in ſumma &c. Ledeſm. Soti, Navarri, Med. Salon. Henriq. Greg. de Valent, Vaſq. & aliorum recentiorum, dicentium, Confeſſarium quemcunque abſolvere poſſe Pœnitentem ſequentem opinionem probabilem, relictâ ſuâ opinione probabiliori, ſive opinio, quam ſequitur pœnitens, ſit in damnum tertii, ſive non.* Addit in fine capitis Author Additionum. *Sequitur Azor. l. 2. tom. 1. &c. Alphonſus de Vega in ſumma &c. Suar. tom. 4. diſp. 32. ſect. 5. ubi ex ſententia Soti, Ledeſm. Navar. & D. Anton. docet diſertis verbis, Confeſſorem in hoc caſu non ſolum poſſe, quod unum aſſerit Author; verùm etiam debere abſolvere Pœnitentem. Et profectò ratio, quam omnes afferunt, id manifeſtè oſtendit: cum pœnitens ſic integrè confeſſus ſit, & benè diſpoſitus exiſtat, & nihil contra conſcientiam agat.*

3 Tomo de Cenſuris lib. 7. de Irregular. cap. 11. num. 20. *Sciendum eſt* (inquit) *triplicem fuiſſe olim pœnitentiam in uſu in Eccleſiâ; una erat ſecreta, quæ in Confeſſione Sacramentali à Sacerdote injungebatur; Alia publica ob peccatum non tamen enorme, nec multùm ſcandaloſum, ſed tamen publicum; Tertia publica & ſolemnis, quæ cum certâ quadam for-*

*ma, & ſolemnitate verborum, ob crimen publicum, & ſcandaloſum imponebatur, de qua in capite, diſt. 50. habetur, quæ tantùm ab Epiſcopo, vel de ejus mandato imponitur &c. Ex his tribus prima ſolùm hodiè in uſu eſt, non autem duæ poſteriores, etiamſi media illa deberet imponi, de licentiâ tamen, & voluntate ipſius Pœnitentis &c.* Hanc triplicis pœnitentiæ diſtinctionem, quamvis in D. Auguſtino clarè fundatam, ut alibi oſtendi, & ab omnibus Theologis aſſertam, irrident modò nonnulli ex noſtris Adverſariis, qui præterea ad mediam illam, nempè publicam nimis ſæpè compulſum olim fuiſſe pœnitentem, & compellendum docent, ut alibi oſtendi.

4 In Summa Sacramenti Pœnitentiæ cap. 12. expendens eam conditionem quam debet habere confeſſio, quod nempè ſit lachrymalis, exigit ſolum, quod fiat *cum dolore & diſplicentiâ omnium peccatorum mortalium commiſſorum & cum propoſito illa iterum non committendi*, non autem requirit, ut talis dolor ſit ex Dei dilectione, additque. *Et, ſi meritò Confeſſarius dubitet de nimiùm tenui pœnitentis diſplicentiâ, vel propoſito vitandi, ſolùm aliquibus bonis, & ſanctis motivis eum ad dolorem de peccatis concipiendum hortetur.* Satis illi eſt, quod ſancta motiva proponantur, ex quibus eliciatur dolor ſupernaturalis, & efficax, quicunque ſit. Rursùs in prædicto dubio non vult differri abſolutionem pœnitenti, ſed excitari ad certum dolorem, quo excitato, abſolvatur: putavit ergo non eſſe opus multo tem-

tempore, ad concipiendum dolorem in hoc Sacramento requiſitum.

5 Cap. 15. in quo quærit, *quæ & qualis diligentia ſufficiens, & neceſſaria ſit ad examen conſcientiæ*, rejicit aliquorum Doctorum rigidas opiniones, additque num. 5. *Multi, maximè ſimplices, etſi non ſe ſufficienter præparaverint, ex propoſito tamen, & voluntate, quam habent reſpondendi interrogationibus Confeſſarii, quia ſciunt, illum interrogaturum, præſertim, ſi ſciant Confeſſarium eſſe prudentem, & doctum, cum tali propoſito reſpondendi, cenſeri debent ſufficientem diligentiam adhibuiſſe*. Quod docuit etiam Navar. Docet præterea n. 8. debere aliquando Confeſſarium ſuis interrogationibus ſupplere defectum culpabilem talis diligentiæ, nec dimittere pœnitentem inabſolutum, nempè in caſibus quos infra recenſet de Graffiis.

6 Cap. 16. in ea quæſt. an ſit reticendum aliquando peccatum, ne reveletur perſona complicis, ut cùm quis peccavit cum unica conſanguinea, quæ eſt nepos, aut filia Confeſſarii, vel cum ſua ſorore, & eſt notus Confeſſario, nec poteſt alium adire, aut alio modò impedire infamiam complicis, & urget neceſſitas confitendi, dicit eſſe *veriorem eam ſententiam, quæ docet in hoc caſu tacendam eſſe perſonam & peccatum*, quod ipſum alii Doctores, quos allegat ibidem, docuere.

7 Cap. 26. num. 6. affert quod dicitur *in cap. quod quidam de pœn. & remiſſ.* nempè *confeſſionem illius qui à peccato recedere nolit, non eſſe reſpuendam, ſed*

*audiendam*. Et ſubdit. *Frequenter etiam contingit, ut monitionibus, & exbortationibus Sacerdotis, quæ poſt confeſſionem fiunt, pœnitens conteratur*, quo iterum redarguitur, qui putavit eſſe notâ dignam hanc propoſitionem, quam tradunt intrepidè Doctores innumeri, ut non ſemel notavi.

Cap. ult. circa ſatisfactionem non ſolùm amplectitur benignas Doctorum ſententias ſupra relatas, ſed etiam aliquam benigniorem tributam Scoto.

## §. VII.

### *Doctrina Jacobi de Graffiis*.

SUB initium hujus ſæculi decimi ſeptimi Jacobus de Graffiis à Capua, & ipſe Monachus Caſinenſis I. V. D. & Pœnitentiarius major in civitate Neapoli doctè ſcripſit de controverſiis morum. Inter alia, quæ typis mandavit, eſt Opus, cui titulus, *Deciſiones aureæ caſuum conſcientiæ in quatuor libros diſtributæ Confeſſariis, & Pœnitentibus maximè utiles, ac perneceſſariæ*. In hoc autem.

1 Lib. 1. cap.2. num.5. ſic habet. *Contritio eſt dolor perfectus, attritio dolor imperfectus. Item, contritio eſt dolor de offenſa Dei propter Deum, attritio verò eſt, quando dolor concipitur, vel ex gehennæ, & pœnarum metu juxta Concilium Trid. ſeſs.14. cap.4. &c. vel ob timorem aliorum incommodorum temporalium &c. ex hac ſequitur alia differentia, quod attritio oritur ex timore ſervili pœnarum, contritio verò ex timore filiali*. Et ſubdit. *Hæc tamen*

*attri-*

*attritio non eſt mala, ſed potiùs laudanda &c. Concilium Trid. ſeſs.* 14. *cap.* 4. *inquit, hanc attritionem donum Dei eſſe &c. quo pœnitens adiutus viam ſibi ad juſtitiam parat: modò duo concurrant. Primum quod hìc timor excludat voluntatem peccandi. Secundum, ut ſit cum ſpe veniæ: nam tunc adjunčto Sacramento Pœnitentiæ* SUFFICIT *ad veniam peccati, & ad validè recipiendam abſolutionem*. Et paulò poſt. *Hæc attritio modò cenſeatur contritio, adjunčto Sacramento ſufficit ad veniam peccati, & ad validandam confeſſionem*. Imò paulò ante dicit ſatis eſſe, quod *Pœnitenti non videatur hunc dolorem non ſufficere*. Et iterum paucis interjectis. *Attritio eſt illa, quæ etiam tranſit in contritionem virtute Sacramenti, quando homo putans ſe dolere propter Deum, non dolet* NISI *propter pœnas Inferni, hæc enim attritio cum Sacramento ſufficit ad gratiam*. Inde num. 18. affert quatuor genera attrionum ſufficientium cum Sacramento ad remiſſionem peccatorum, quas vocat perfectas, & nulla ex ipſis concipitur ex amore Dei ſuper omnia, ut conſtat ex deſcriptione ſeu definitione ſingularum.

2 Cap. 15. num. 21. In caſu diverſarum æquè probabilium opinionum monet Confeſſarium, *ut ſive ordinarius ſit, ſive delegatus ſuadeat primò pœnitenti quod tutius eſt, & ſi nolit acquieſcere, etiam abſolvat &c.* & ſubdit. *Quod idem facere debet, quando pœnitens non vult ab aliquo deſiſtere, quod Sacerdos credit eſſe mortale, Pœnitens verò non vult illud pro mortali agnoſcere, & ita communiter exiſti-*

*matur*. Sed diſtinguenda eſt opinio à dubio, nam in dubio tutius eligendum, *ſi agitur in foro animæ*, monet cap.22. num.9.

3 Cap. 20. num. 24. monet quidem Confeſſarium, ut *malo aſſuetos non ſtatim abſolvat, ſed in menſem plùs vel minùs, ſecundum ipſius prudentiam, abſolutionem differat, auditâ tamen ſingulis hebdomadis ipſorum confeſſione, & hoc modò per ſalutaria monita, & opportuna remedia ad ipſam abſolutionem impetrandam diſponat*. Sed nec docet ad id teneri Confeſſarium, nec loquitur de omnibus malo aſſuetis, ſed de *concubinario qui perinde ac maritus concubinam in domo, ac in lecto habet, aut qui perverſa conſuetudine ducti peccant ſemper blaſphemando, pejerando, atque* SEMPER *pravis cogitationibus conſenſum præbendo*. Hinc cap. 24. num.24. agens de iis qui ſine abſolutione dimittendi ſunt, meminit eorum tantùm, qui non ſunt parati *peccata relinquere*. Eodem cap.24. num.18. ſic monet Confeſſarium. *Si verò conjectet Pœnitentem verè non adhibuiſſe quam neceſſariò adhibere tenebatur diligentiam peccatis memorandis, in hoc caſu habenda eſt ratio temporis, nam ſi neceſſitas urgeat, nempè morbus, aut naufragium, vel ſi inſtet communio, quæ ſine ſcandalo differri nequeat, audiendus eſt, & abſolvendus. Verùm circa communionem tunc demum audiendus, & abſolvendus eſt, quando perpendit Confeſſarius, quod ea qualis qualis diligentia cum interrogationibus à ſe factis tanta ſit, ut ſaltem mediocrem conſtituat diligentiam, præmiſſis tamen,*

*quæ neceſſariæ videbuntur, interrogationibus*. Putavit ergo poſſe indiſpoſitum ſtatim diſponi operâ interrogantis, & monentis Confeſſarii, hinc n. 29. hunc monet, ut *ſuavi eloquio pœnitentem ſicut, & quando viderit expedire, ad confeſſionem, & contritionem alliciat*.

4 Cap. 25. fusè redarguit eos Confeſſarios, qui nimiis interrogationibus pœnitentem fatigant, putantes eas omnes interrogationes faciendas, quas legunt in libris Confeſſionalibus, & Directoriis, quod eſſe falſum, dicit.

5 Cap. 29. agit de remediis contra recidivum. Ea autem ſola proponit quæ ex Gerſone proponunt Polancus & alii, inter quæ non ſunt ea, quæ proponuntur modò à quibuſdam, ut alibi notavimus, quia videlicet non hæc ſunt ordinaria remedia, ſed illa.

6 Cap. 31. agit de pœnitentiâ injungenda, ubi poſtquam num. 5. monuit conſiderandam qualitatem pœnitentis, & aliam injungendam non aſſueto ad peccandum, aliam, nempè graviorem, aſſueto, *aliam diſpoſito ad faciendam majorem, aliam infirmis, qui probabiliter non videntur expleturi, ſicut, ut plurimùm ſunt rei magnorum criminum, hoſque non debere jejuniis onerari, ac diſciplinis, cum magnopere ſint in bonis operibus debiles, & ita de facili caderent, ſi eis gravia imponerentur onera; ſemperque eas pœnitentias imponendas, quas veriſimiliter credat pœnitens debere implere: ne ipſas violando deterius ei contingat*, concludit num. 9. *Demum ſecum Sacerdos circumſpiciat, ſecumque diligenter conſide-*

*ret*

ret in æſtimandâ pœnitentiâ, ne adeo levem imponat, ut eam contemnat, & pœnitentiæ levitate allectus relabatur: neque adeo gravem, ut eam pœnitens dimittat, ſed ita gravitatem cum levitate temperet, ut neque nimis rigida, neque nimis diſſoluta, aut facilis videatur. Sed quando viderit Confeſſarius pœnitentem dicere, ſe non poſſe facere pœnitentiam, quàm meretur judicio Confeſſoris mediocrem, ſed tantùm velle facere parvam, debet ei morem facere, & uti prudens medicus &c. Ita Sacerdos licet admonere debeat pœnitentem, quantam peccata ſua exigant ſatisfactionem, eumque hortari, ut ſatisfaciat, nihilominus, ſi pœnitens ei ſuam imbecillitatem exponit, præſumiturque aut propter debilitatem corporis, aut propter animi, ſpirituſque languorem, & teporem non eſſe condignam pœnitentiam completurum, debet illi morem gerere, & injungere illam, quam libenter ſuſcipit, ut inquit Ray. & Hoſtienſ. &c.

Quod quidem adeo verum eſt, ut procedat etiam in pœnitentiâ injunctâ, & acceptata à pœnitente, quæ quidem mutari poteſt, ac diminui à Confeſſore hac de cauſa, quia bona fide exiſtimat, pœnitentem adimplere non poſſe, aut non ſine difficultate, aut non ſine periculo ſalutis animæ, & corporis: quia tunc non ſolum is, qui eam impoſuit, ſed etiam alius (ſi is facilè adiri non poſſet) quamvis eo inferior, mutare poteſt &c. Et quamvis gloſ. fin. in cap. cum P. de accuſat. &c. teneat partem negativam, tamen illæ gloſſæ procedunt, quando inferior vellet minuere pœnitentiam injunctam, abſque cauſa, ſecùs ſi cum

cauſa

*cauſa &c. etiamſi peccata, pro quibus impoſita fuit pœnitentia, ſint ſuperiori reſervata, quia pium eſt in caſibus, in quibus neceſſitas urget, vel ſuadet utilitas, interpretari, quòd ſuperior licentiam commutandi, vel relaxandi conceſſiſſet &c.* Et poſt aliqua. *Quando videt Sacerdos pœnitentem nolle acceptare pœnitentiam, quia fortè videtur ei quod non poſſit adimplere, non dimittat eum abſque abſolutione, ſed potiùs imponat illi unum Pater noſter, vel aliud leve, exemplo Domini noſtri Jeſu Chriſti &c. & alia bona quæ faciet, quàm permittere pœnitentem à ſe recedere deſperatum &c. Eſſet tamen (niſi nimia dejectio, aut diffidentia pœnitentis timeretur) indicanda ipſi pœnitentia, quantò graviorem mereretur &c.*

Rejicit tamen num. 20. ſententiam eorum, qui dicunt,poſſe pœnitentem recuſare omnem pœnitentiam à Confeſſario injunctam. Demum num. 21. monet Confeſſarium ut injungens jejunia *concedat, ut redimi poſſint eleemoſynis, &, ſi die præſcripta, jejunia non fiant oblivione vel ignorantia, ut poſſint fieri alio.*

## §. VIII.

### *Doctrina Franciſci Suarez.*

ANno hujus ſæculi 1604. primùm prodiit quartus in tertiam partem D. Thomæ tomus Franciſci Suarii, in quo pro more ſuo, nempè pro dignitate Doctoris ſupra quam dici poſſit, eximii,

fusè,

fuſè, & profundè, ſubtiliter & ſolidè, totam quæ ſpectat ad Sacramentum Pœnitentiæ, & fori interni doctrinam proponit. Summam tibi dabo eorum quæ ſpectant ad præſentes noſtras controverſias.

1 Diſp.4. ſect.2. ad contritionem (ſumpto hoc nomine, ut in exordio diſputationis explicat *pro quodam actu perfecto, & ſufficiente ad remiſſionem peccati in ratione diſpoſitionis etiam abſque reali ſuſceptione Sacramenti,*) requirit quod aliquo modo ſit ex amore Dei ſuper omnia, nempè aut formali, aut virtuali, non autem quod ſit ex amore non remiſſo ſed intenſo, aut expellente metum. Imò ſect.4. referens opinionem quæ exigit aliquam intenſionem, quam non dicit eſſe Scoti, ſed tribui Scoto, ſic habet. *Neque Auctorem pro hac opinione invenio, nec illius fundamentum video*; quare paulò poſt ita concludit. *Dicendum igitur eſt ad rationem contritionis* (quæ nempè ſine Sacramento ſufficit ad remiſſionem peccati, ut initio dixit) *nullam definitam intenſionem requiri, ſed ſufficere ſubſtantiam actus in quocunque gradu fiat*. Et ſect. 7. loquendo pariter de contritione prædicta dicit, *ſemper eſſe formatam gratia, quia nullo tempore, vel momento ab ea ſeparatur*.

2 Diſp. 5. quærens, quæ ſint diſcrimina contritionis ab attritione, ut hoc nomen ſumitur ab omnibus Doctoribus, *Contritio* (inquit) *ex propria ratione includit formaliter, vel virtute dilectionem Dei ſuper omnia, attritio verò minimè*. Demum in hac utraque diſputatione, quamvis omnes ſententias referat,

ferat, omnia expendat, totque Auctores alleget, ut facere ſolet Suarius, non alios refert Doctores ſententiæ exigentis in prædictâ contritione juſtificante aliquam intenſionem, quàm duos vel tres, eoſque ab omnibus rejectos tanquam Auctores ſententiæ diſſonæ Scripturis & Patribus, quod ſupra non ſemel notavimus, ſed notandum eſt potiſſimum in Suario qui legerat omnes, omneſque perdiligenter notarat, ut conſtat ex ejus allegationibus adeò diſtinctis, & religioſis. Semper autem meminiſſe debes, quod alias monui, me nulli ſententiæ inferre notam, ſed unicè referre notas illatas, ut conſtet, quod tunc eſſet de aliquibus ſententiis Doctorum judicium, non autem, ut eaſdem notas confirmem. Idipſum aſsero de Doctorum ſententiis, quas refero tantùm.

3 Diſp. 15. diſtinguit bene actum internum pœnitentiæ qui eſt contritio, ab actibus externis, quibus affligatur etiam corpus, & ſect. 1. docet dari quidem præceptum Divinum, ut qui mortaliter peccavit, Deo ſatisfaciat in hac vita per actum internum contritionis vel perfectæ & per ſe reconciliantis cum Deo, vel imperfectæ & reconciliantis in Sacramento. Loquendo verò de actibus externis de quibus loquitur ſect. 7. negat, dari naturale præceptũ pœnitentiæ per ſe ad illos obligans, ac docet, ſolùm dari præceptum poſitivum in lege nova exhibendi eam ſatisfactionem, quam Confeſsarius injunxerit ei: dicit autem hanc eſse communem Theologorum ſententiam. Dixi *per ſe*, nam, ut bene addit in fine

hujus

hujus diſp. & ſect. *Poteſt obligatio eſſe alicujus actus externi, ſi ita conjunctus ſit cum contritione, ut moraliter judicetur neceſſarius ad illam habendam, & hoc modo poteſt interdum eſſe neceſſarium peccatori indurato audire v. g. concionem &c. à ſe abjicere pecunias, aut tollere aliam ſimilem occaſionem externam, quæ impedit animum, ne à peccato avertatur, aut facere aliqua pietatis, vel afflictionis opera, quibus & à Deo impetret auxilium, & ſe ipſum ad veram pœnitentiam emolliat.* Et hoc modo explicat optimè Patres (quorum textus allegat num.2. & 3. & ſolent allegari à rigidis Doctoribus) itaut non ſignificent, illa eſse per ſe neceſsaria ad obtinendam veniam; cùm ad id ſufficiat contritio, nec ad obtinendam contritionem ſeu auxilium, quo conteramur; cùm plerique ſine præviis his externæ pœnitentiæ operibus conterantur; ſed per accidens, & aliquando, nempè cùm peccator eſt induratus, & difficillimè ad efficacem pænitentiam & contritionem commovetur.

4 Diſp. 20. ſect. 1. loquens *de dolore* ad ſubſtantiam & effectum hujus Sacramenti neceſsario n. 10. hanc concluſionem ſtatuit. *Sacramentum hoc habet virtutem ad juſtificandum peccatorem per ſolam veram, ſupernaturalem, & integram attritionem diſpoſitum, & in hoc ſenſu efficaciam habet ad efficiendum hominem ex attrito contritum. Hanc concluſionem exiſtimo hoc tempore adeò certam, ut non poſſit abſque errore negari, loquendo, ut loquimur, abſolutè de efficacia, abſtrahendo à modo, quod id ſit.*

Addit

Addit hæc ultima verba, quia aliqui docebant, id effici à Sacramento, quatenus in pœnitente ſolum attrito excitat contritionem, ac proindè immutat attritionem in contritionem, quam ſententiam hìc non impugnat, ſed num. 13. ubi ſtatuit hanc alteram concluſionem. *Hoc Sacramentum confert gratiam homini attrito immediatè, & abſque immutatione intrinſecâ, ſeu perfectione interioris doloris. Unde attritio manens intrinſecè attritio, eſt ſufficiens diſpoſitio proxima ad effectum hujus Sacramenti, & tunc ſolum dicitur homo fieri ex attrito contritus, per informationem gratiæ habitualis. Hæc aſſertio non eſt tam certa ſicut præcedens, eſt tamen ita certa, ut contraria non ſit probabilis.* Et num. 19. loquens de ſententiâ exigente contritionem, dicit, eam *nullo firmo fundamento niti*. Tandem num: 20. ſtatuit hanc tertiam aſſertionem. *Vera & integra attritio eſt ſufficiens diſpoſitio ad effectum hujus Sacramenti, quamvis ſit cognita, neque oportet illam reputare contritionem. Hæc aſſertio eſt minùs certa quam præcedens, tamen cenſeo eſſe longè probabiliorem, quam oppoſitam, & hoc tempore practicè certam.* Nec per hoc ſibi contradicit Suarius, qui antea nempè diſp. 5. ſect. 4. num. 17. quærens an peccator qui cum attritione cognita ſuſcepit Sacramentum Pœnitentiæ, teneatur in articulo mortis etiam conteri, dicit, *Licet ſit probabilis opinio, attritionem cognitam cum Sacramento ſufficere ad juſtificationem, tamen non eſt certa, & poteſt eſſe falſa*. Unde concludit, debere hunc procurare contritionem: Non con-

tra-

tradicit ſibi, uti dicebam, primò quia dicit, hanc opinionem non eſſe certam, quatenus *poteſt eſſe falſa*, ut ſubdit; non enim eſt veritas evidens, aut certè definita, adhuc tamen eſt *certa practicè*, & tuta, quo eodem ſenſu ſententia Adverſariorum docentium ſufficere contritionem non intenſam, non eſt certa; non enim eſt veritas evidens aut certè & explicitè definita, adhuc tamen eſt certa practicè & tuta. Rursùs loquitur hìc Suarius de mortis articulo, ac proindè non negat, eam opinionem eſſe certam abſolutè, ſed ſolùm pro eo articulo, in quo eſt adeò majus periculum, & *damnum eſſet irreparabile*, ut idem monet num. 20. ubi negat, extra iſtum caſum obligari peccatorem ad procurandam contritionem. Demum quæcunque fuerit ejus opinio de ſufficientia attritionis *cognitæ*, præſertim pro mortis articulo, id nobis ſatis eſt, attritionem ſufficere in hoc Sacramento, cùm peccator non cognoſcit, ſe ſolùm atteri, & moveri ſolo metu gehennæ, idque fuiſſe tunc ex Suario, & aliis quos ſupra allegavi, & allegabo infra, penitùs certum. Hæc enim eſt noſtra ſententia, quam modò defendimus, quamque modo, ut ſupra monui non ſemel, oppugnant qui veram & realem contritionem ex charitate ſaltem inchoatâ conceptam exigunt in hoc Sacramento.

Nomine autem attritionis integræ, quam ſufficere hìc docet Suarius ſignificat attritionem omnium peccatorum non remiſſorum, ut idem explicat ſect.2. num.11.

Diſp.21.

5 Diſp. 21. ſect. 2. num. 7. docet *non poſſe Confeſſorem cogere Pœnitentem ad manifeſtanda illi peccata alio modo magis publico quàm per auricularem confeſſionem*. Et objiciens ſibi, impoſitam olim fuiſſe publicam confeſſionem, ſic reſpondet. *Multò certiùs exiſtimo, in hoc foro, nunquam id factum ex præcepto Eccleſiæ, aut Confeſſoris, niſi quando ad publicam ſatisfactionem, & tollendum ſcandalum de publico peccato id neceſſarium erat, quod eſt rariſſimum. Regulariter ergo id fiebat voluntariè ex conſilio, & juxta judicium prudens Confeſſoris; non enim de omnibus id permittebatur, ſed vel de alias publicis, vel de iis, quæ nec ſcandalum nec gravem infamiam generare poſſent. Aliquando verò illa pœnitentia publica non oriebatur ex Sacramento Confeſſionis, ſed ex alia denunciatione, vel accuſatione Eccleſiaſtica: & tunc eſſe poterat magis coacta, & oneroſa: illa verò non pertinebat ullo modo ad forum pœnitentiæ, ſed ad forum contentioſum*. Suarius autem, ut ex his diſputationibus apparet, legerat quidquid Scriptores referunt de antiqua in plectendis delinquentibus, & curandis pœnitentibus diſciplinâ.

6 Diſp. 32. ſect. 2. quærit, *Quomodo debeat Confeſſor certus fieri de diſpoſitione pœnitentis*. Monet autem quæ ſequuntur. 1. *Neceſſe eſſe, ut Confeſſor priuſquam abſolvat, prudenter & probabiliter judicet, pœnitentem eſſe diſpoſitum*. 2. *Hanc diſpoſitionem pœnitentis ex duobus conſurgere, ſcilicet diſplicentia præteritorum, & propoſito in futurum*. Additque. *Et quidem quoad diſplicentiam attinet,*

*facilè poteſt ſibi ſatisfacere Confeſſor, quia, ſi pœnitens in ipſo modo confeſſionis, & accuſationis ſuæ præbet ſigna doloris, vel certè, ſi eſt homo non valde rudis, & apparet moratus, nullam diligentiam in hoc Confeſſor tenetur adhibere: bene tamen ſemper faciet proponendo, & conſulendo deteſtationem peccati: & quando non habet ſufficientia ſigna doloris poteſt, & debet interrogare Pœnitentem, an ex animo deteſtetur peccatum, cui affirmanti credere tenetur. Et hoc idem dicendum eſt de propoſito in futurum, quando ex confeſſione non oritur ſpecialis aliqua obligatio reſtituendi, vel relinquendi aliquam occaſionem proximam peccandi, ſed ſolùm communis, & generalis obligatio non peccandi de cætero &c. Neque oportet, ut Confeſſor ſibi perſuadeat, & judicet etiam probabiliter ita eſſe futurnm, ut pœnitens à peccando abſtineat, ſed ſatis eſt, ut exiſtimet, tunc habere tale propoſitum, quamvis poſt breve tempus illud ſit mutaturus. Ita Doctores omnes.*

*Cler.* Igitur Doctores omnes docent, poſſe Pęnitentem abſolvi, licet ſpes nulla emendationis appareat, quod eſt damnatum.

*Auct.* Non id docet Suarius. Aliud enim eſt, quod Confeſſarius non habeat judicium probabile, quod pœnitens non relabetur, aliud eſt quod non ſperet ejus emendationem. Innumeri enim ſunt, qui emendantur quidem, ſed non ſtatim penitùs emendantur, ſed intra aliquod ſpatium temporis, quos proindè, & judicamus eſſe aliquando relapſuros, & ſimul ſperamus eſſe emendandos, ſi præſertim Sacra-

cramenta frequentent, & ideò eos abſolvimus, ut adjuti Sacramento tandem penitùs emendentur.

7 *Tota ergo difficultas* (proſequitur Suarius) *ad hoc revocatur, quando ex Confeſſione reſultat ſpecialis obligatio reſtituendi, vel relinquendi occaſionem in futurum. Circa quod primùm obſervandum eſt, non ſemper debere Confeſſarium cogere Pœnitentem, priuſquam illum abſolvat, ut id exequatur quod facere tenetur, ideſt ut reſtituat &c. quia hæc obligatio non ſemper urget pro ſtatim, & quia ſatis eſt, ut pœnitens credatur habere firmum propoſitum ſuam obligationem implendi, cui credendum eſt, præſertim ſi tunc primùm incidit in eam occaſionem, ſeu obligationem, & non eſt inventus infidelis, vel inconſtans in ſimilibus propoſitis, neque ex aliis conjecturis poteſt talis ſuſpicio probabiliter concipi &c. Aliquando verò oportet remittere pœnitentem, & illum non abſolvere, donec ſuam obligationem impleat, præſertim quando iterum atque iterum illam confeſſus eſt, & implere promiſit, neque implevit, quia aliàs relinquetur in morali occaſione peccandi, & ejus propoſitum moraliter non poteſt judicari efficax, quandoquidem convincitur eſſe in magnâ morâ, & poſſe, & non facere. Quapropter oportet, Confeſſores in hoc eſſe cautos & conſtantes, ne graventur peccatis alienis, quod notavit Cajet. Antonin. & Navar.*

8 Sect. 5. ejuſdem diſp.32. num.2. *Certum eſt,* inquit, *ſi Confeſſori conſtet, pœnitentem eſſe ritè confeſſum, & diſpoſitam, teneri ſub gravi peccato illum abſolvere, quod omnes Theologi docent; quia hoc po-*

 *ſtulat*

*ſtulat ratio juſti judicii, & æquitas inter Pœnitentem, & Confeſſorem. Debet enim Judex auditâ causâ judicare, & abſolvere reum ſi dignus, ſit.* Hinc ad eam quæſtionem, quid Confeſſor facere debeat, *quando pœnitens adhæret opinioni probabili, Confeſſor autem judicat contrariam probabiliorem*, reſpondet num. 4. *non ſolum poſſe, ſed debere abſolvere pęnitentem, quia in eo caſu pęnitens integrè confeſſus eſt, & eſt benè diſpoſitus, & nihil agit contra conſcientiam*: ergo jus habet, ut abſolvatur à Confeſſore; & quidem vel proprius ſit, vel delegatus, ut probat num. 3. *quia, licèt delegatus differat à proprio in hoc, quòd in principio non tenebatur Confeſſionem audire, ſed ſpontè audit; tamen poſtquam aſſumpſit illud munus, debet juſtum judicium ferre, & abſolvere pęnitentem diſpoſitum.*

9 Diſp. 38. quæ eſt de ſatisfactione ſacramentali, docet ſect. 2. eam non exercere ſuam efficaciam & virtutem, ſi impleatur ante abſolutionem à Pœnitente etiam contrito, & juſtificato, *quia Sacramentum non incipit habere effectum, donec eſſentialiter conſummatum ſit per formam.* Docet ſect. 3. *Per ſe loquendo teneri Confeſſorem ſatisfactionem imponere. Et regulariter* debere eam imponere per modum præcepti, quod colligit ex Conc. Trid. poſſe tamen interdum *imponere, ſeu applicare, vel totam, vel partem ſine obligatione ſub illâ formâ quaſi conditionatâ, ſi hoc feceris, tibi ſerviat in ſatisfactionem.* Dicit autem *vel totam, vel partem*, quia hic præſcindit ab eâ quæſtione, an Confeſſarius poſſit ad accep-

ceptandam pœnitentiam obligare Pœnitentem recuſantem, quam poſtea tractat. Nam ſi non poteſt obligare, ut aliqui dixerunt, utique non tenetur quidquam imponere per modum præcepti, & poteſt imponere totam illo modo conditionato, quare ille modus loquendi diſiunctivus non eſt concedentis utrumlibet, ſed præſcindentis, dicentiſque, *Poteſt imponere eo modo conditionato ſaltem partem pœnitentiæ*. Rursùs Suarius hìc loquitur de caſu aliquo raro, nam dixit, regulariter eſſe pœnitentiam imponendam per modum præcepti, & licet aſſereret, abſolutè, poſſe aliquando imponi totam per modum conſilii, ſeu modo conditionato, ſenſus eſſet, quod poſſet ſic imponi *ferè tota*; nam, ut notavit Navarrus ſupra, & alii notant, nemo eſt tam ſaxeus, qui recuſet preces aliquas breves recitare ſibi ſub præcepto impoſitas. Quia verò fere totum perindè eſt, ac totum, ideò dixit Suarius poſſe ſic imponi partem, vel totam.

Cæterum ſect. 7. ejuſdem diſp. 38. docet, *Confeſſorem obligare poſſe pęnitentem, ut ſatisfactionem impoſitam acceptet, & impleat*, idque dicit eſſe *hoc tempore adeò certum, ut ſine temeritate negari non poſſit*, utpotè ferè apertè definitum in Tridentino, additque hanc *obligationem ex genere ſuo eſſe gravem*. Unde infert, quod *ſi confeſſio ſit de materiâ mortali, & neceſſariâ, & pęnitentia impoſita etiam ſit gravis, tunc ſit peccatum mortale, ſi voluntariè, & ſine cauſa rationabili omittatur*.

Hic autem quærit. *Quid, ſi pęnitens nolit ac-*



Google

*ceptare, neque abſolutionem recipere, ſed alium adire Confeſſorem?* & reſpondet, quod *ſi Confeſſor nullam moralem vim inferat, ſed convenientem ſatisfactionem imponat, non eſt abſolutè liberum, nec licitum pęnitenti Sacramentum inchoatum relinquere, et effugere Sacerdotis juſtum judicium, cui jam ſemel ſe ſubdidit*. Addit verò, *Confeſſores tamen in hoc non debent eſſe nimis difficiles, ſed accommodari oportet fragilitati pęnitentis, et leviores illis pęnitentias imponere, ſi graviores acceptare nolint; præſertim quando non eſt aperta eorum malitia, et medicinæ neceſſitas in futurum non urget, & ita fiet, ut moraliter vix poſſit fieri magna diſſenſio inter Confeſſorem, & Pęnitentem, ſi uterque licitè, & juſtè ſuo munere fungatur*.

Hæc doctrina colligitur ex iis, quæ antea ſtatuit ſect. 4. in quâ ſic docet. *Dico* 1. *Nulla eſt certa ſatisfactionis menſura lege Eccleſiaſtica taxata, quam Confeſſor imponere teneatur, ſed arbitrio illi utendum eſt. Hæc concluſio eſt certa &c. Dico* 2. *Hoc judicium, & arbitrium Confeſſoris non eſt ejus voluntati abſolutè relictum, ſed conſiderata gravitate peccatorum, & diſpoſitione Pęnitentis, ſervataque ratione juſtitiæ, debet proportionatam ſatisfactionem imponere &c.* (idque probat celebri textu capitis 8. ſeſs. 18. Conc. Trid.) *Nihilominus dico* 3. *ex rationabili cauſa propter impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis poteſt Confeſſor diſſimulare, & leviorem ſatisfactionem imponere*.

10 Contra primam concluſionem negantem, eſſe

eſſe ab Eccleſiâ taxatas pœnitentias objicit ſibi n. 2. hujus ſect. 4. decreta, aut ſententias Patrum, & Conciliorum allatas à Burchardo, & Gratiano, & præſertim *Canones pœnitentiales, in quibus, ſingulis peccatis certum pœnitentiæ tempus, & modus taxabatur, &, ut quidam dicunt, ſeptennis pœnitentia pro ſingulis mortalibus præcipiebatur*. Quibus omnibus hoc modo ſatisfacit.

*Reſpondetur primò, illud quod dicitur de ſeptenni pœnitentiâ pro ſingulis mortalibus fabuloſum eſſe; nullibi enim extat tale decretum; imò nec illæ pęnitentiæ erant univerſales pro omnibus delictis, ſed pro quibuſdam gravioribus, & interdum erant breviores, interdum diuturniores: relinquebantur etiam interdum arbitrio Epiſcopi, ut videre licet in Concilio Carthag. 3. cap. 31. Denique in eis magis conſulebatur ædificationi Eccleſiæ, quàm neceſſitati pęnitentis. Secundò non conſtat illas pertinuiſſe ad forum pęnitentiæ, ſed fortaſsè ſæpè ad externum forum Eccleſiaſticum. Et patet, quia interdum erat pęna depoſitionis, vel privationis Eccleſiaſticæ dignitatis, vel quid ſimile. Tertiò etiamſi aliquæ pertinerent ad forum pęnitentiæ, ſemper dabatur locus arbitrio Confeſſoris, ut conſtat ex decretis citatis: unde illa ſolùm erat quædam regula directiva, ut illam Confeſſores ſequerentur, quantum expedire cenſerent. Quartò jam tota hæc conſuetudo antiquata eſt, & ad arbitrium Sacerdotis totum, hoc negotium revocatum eſt &c.* ad arbitrium tamen regulatum eo modo, quo dicit in ſecundâ concluſione. De inſtaurando autem uſu præ-

prædictorum Canonum Pœnitentialium, ne verbum quidem habet, ut nec reliqui viri ſanctiſſimi ſupra à nobis ſuo loco allegati, quamvis horum Canonum fecerint mentionem.

11 Sect. 6. multa quærit, inter quæ, an poſſit imponi pœnitentia publica &c. *itaut ex illa colligi poſſit, Confeſſorem propter grave crimen illam impoſuiſſe*, ut ſemper colligitur: & ratio dubitandi ea eſt, quod *videtur id eſſe contra ſigillum*. Reſpondet autem. *Communis opinio eſt, propter peccata occulta non debere imponi pęnitentias publicas, quia ſunt improportionatæ, & contra bonam famam pœnitentis: pro peccatis verò publicis imponendas eſſe &c. Ad difficultatem verò de ſigillo reſpondet Durand. quæſt.4. non revelari peccatum, quia eſt publicum. Sed contra, quia revelatur Confeſſio ejus, quod non licet, ut ſupra dixi. Melius D. Th. negat eſſe revelationem, quia ſit ex conſenſu ipſius pœnitentis. Urgebis, quia hic conſenſus eſt veluti coactus, & involuntarius. Propter hoc dico, ſi Pœnitens habeat rationabilem cauſam ad non acceptandam hujuſmodi pœnitentiam, & illa non ſit neceſſaria ad tollendum aliquod ſcandalum, non eſſe obligandum*. Cum enim eſt neceſſariâ ad hunc finem, non obligatur pœnitens à Confeſſario, ſed aliundè, & lege ipsâ naturali.

12 Quærit ibidem num. 5. an opus ſatisfactorium, quod imponitur debeat eſſe ſupererogationis, vel poſſit eſſe ex aliàs prçceptis. Et reſpondet, *regulariter imponi opera ſupererogationis. Nibilominus*

*minus dubium non eſse, quin opera etiam præcepta poſſint imponi &c. Addunt etiam Doctores* ( ſubdit ) *ſi quis recitet roſarium, aut horas eo tempore, quo ex præcepto audit ſacrum, & ſatisfacere.*

Et num. 6. quærit, *an oporteat hoc opus eſse aliquod particulare, vel per clauſulam generalem, Quidquid boni feceris &c. eleventur opera ad ſatisfactionem ex opere operato. Et reſpondet ſic. Hanc quæſtionem ponit S. Thomas Quodlib. 3. art.28. & reſpondet hoc poſterius affirmando, quem ſequuti ſunt Palud. Soto, Navar. quibus in re pia, & favorabili ego non contradicam.*

13 Sect. 7. ejuſdem diſp. 38. num. 7. quærit, *an poſſit Sacerdos obligare Pœnitentem ad implendam pœnitentiam priuſquam illum abſolvat.* Et reſpondet. *Dico, ſi ſermo ſit de ſatisfactione tantùm ut eſt vindicta, non poſſe Sacerdotem hoc facere per ſe loquendo, quia nullum ad hoc habet jus, nec habet per ſe cauſam differendi abſolutionem, ſi pœnitens acceptet pœnitentiam, & nulla eſt ratio exiſtimandi non impleturum illam. Et ideò dixi, per ſe loquendo, nam per accidens ob tale periculum, ſi verum ſit, poterit Sacerdos juſtè id facere. Sicut etiam poteſt, & interdum debet non abſolvere, donec impleat pœnitentiam in præcedenti Confeſſione impoſitam, &* INIQUE' ET SÆPIUS OMISSAM. *Quamquam in hoc prudentia Confeſſoris neceſſaria eſt.* ( Quis credat, olim factum ſemper ab Eccleſiâ, quod Suarius dicit per ſe loquendo, adeòque regulariter non poſſe juſtè, & rationabiliter fieri? ) *At verò ſi propter*

*ter*

*ter curationem, & medicinam judicet Confeſſor id expedire, poterit facere, & pœnitens tenebitur obedire &c.* nempe, *ut poſſit de illius diſpoſitione, & propoſito vitandi peccata moraliter conſtare, & ad ſummum videtur Sacerdos tunc modum, ſeu medium determinare, in quo, ſi ſint plura, & ſufficientia, poteſt ſe voluntati pœnitentis accommodare, ut medicinam eligat, quia hoc ſatis eſt ad illius curationem, ad quam ſolam Sacerdos jus habet & poteſtatem in eo actu.* Qui verò ſint, & quam rari illi caſus, in quibus Sacerdos teneatur exigere, ut Pœnitens impleat id genus pœnitentiæ, antequam eum abſolvat, conſtat ex ejuſdem ſuperiori doctrinâ, ex quâ colligitur, nec poſſe fieri quod modò tam ſæpè faciendum docent aliqui, nec potuiſſe id ſemper fieri ab Eccleſiâ veteri, quamvis omnes pœnitentiæ tunc injunctæ in medelam, & non in ſolam vindictam injunctæ fuiſſe dicantur.

14 Sect. 10. ejuſdem diſp. 38. num. 5. dicit, *poſſe æqualem Sacerdotem auditâ Confeſſione eorundem peccatorum pœnitentiam ab aliquo alio impoſitam mutare non ſolum in aliam æqualem, ſed etiam in mitiorem, ſi ita prudenter judicaverit ad bonum animæ pœnitentis expedire.* Additque, *Imò etiam interdum poterit omnino tollere, & vel leviſſimam, vel nullam imponere, ut ſi pœnitens accedat multò meliùs diſpoſitus, magiſque contritus, & aliis viis ſatiſfeciſſe intelligitur, ſi fortè indulgentiam aliquam lucratus eſt, & propter curationem non intelligatur indigere tali medicina &c.* Quæ doctrina fortè congruit

decla-

declarationi Bonifacii VIII. ſæculo 3. allægatæ.

Hæc Suarius ex multis quæ afferri poſſunt, niſi eſſet brevitati conſulendum.

## §. IX.

### *Doctrina Emmanuelis Rodriquez.*

PAulò poſt Suarium, anno videlicet hujus ſæculi ſexto decimo Emmanuel Rodriquez Ordinis Minorum de Obſervantia, laude dignus *tum propter Juris Canonici, & Theologiæ moralis egregiam notitiam, tum propter diſciplinæ regularis conſtantiſſimum zelum, & vitæ ſanctimoniam*, ut teſtatur Wadingus de Scriptoribus ſui Ordinis, ſummam edidit Confeſſariis, ut idem dicit, perutilem, quam propterea eodem anno ex Hiſpano idiomate, quo eam ſcripſerat Author, vulgavit in Latinum Balthaſar de Canizal. Seligam ex ipsâ pauca, ne ſemper eadem repetam.

Cap. 48. Poſt communem definitionem contritionis, ita ſubdit Author. *Nota quod ſunt duo modi contritionis, unus perfectus, alius imperfectus, primum definivimus, ſecundus vocatur attritio, quæ naſcitur ex turpitudinis peccati conſideratione, & timore pœnarum Inferni.* Et paulò poſt num. 3. *Quæcunque contritio vera, quantumvis remiſſa, concepta etiam num in inſtanti eſt ſufficiens ad remiſſionem omnium peccatorum mortalium, ſecundum Divum Thomam*, & COMMUNEM. Cùm autem, nec ad Baptiſmum, nec ad Pœnitentiam requirat contritio-

tritionem per ſe ſufficientem ad remiſſionem mortalium, ſequitur quod doceat ſufficere in utroque Sacramento attritionem non conceptam ex charitate, nempe quam ſupra definivit, quod poſtea aſſerit cap. 50. & 58. & quidem ad Baptiſmum ſufficere attritionem etiam cognitam docet expreſsè prædicto cap. 50.

Cap. 62. Vult etiam ipſe, ut Confeſſarius abſolvat pœnitentem, qui ſequitur opinionem probabilem, quamvis contrariam opinioni ipſius Confeſſarii.

Circa ſatisfactionem ſequitur valdè benignas Ludovici Lopez ſententias.

## §. X.

### *Doctrina Ægidii de Coninck.*

AB Hiſpaniâ migremus in Belgium, ut quæ ibi doctrina hoc tempore traderetur, inſpiciamus. Utramque autem Theologiam ſpeculativam, & moralem ibi in ipſa Urbe Lovanii tunc ſummâ cum laude profitebatur Ægidius de Coninck, cujus in utraque facultate lucubrationes,& præſertim morales de Sacramentis & cenſuris, editæ primùm anno hujus ſæculi ſexto decimo, quanti fuerint habitę, & habendæ ſint, ſatis oſtendunt Authores, qui poſt ipſum ſcripſere, ejuſque doctrinam paſſim laudant, & ſententias ſequuntur.

1 Is de Sacram. Pœnit. diſp. 2. num. 49. nihil exigit aliud ad contritionem, qua peccatum lethale remit-

remittitur, quam quod ex charitate promanet.

Diſp. 3. ſic docet num. 4. *Peccator ſuſcipiens Sacramentum Baptiſmi aut pœnitentiæ, ſaltem extra periculum mortis ſatisfacit præcepto pœnitentiæ per ſolam attritionem*. Quid autem intelligat nomine attritionis, declarat diſp. 4. num. 36. ubi ſic. *Nota* 1. *nos ob varia motiva poſſe deteſtari peccatum, ut oſtendi diſp.* 1. *num.* 21. *&* 22. *Inter omnes autem peccati deteſtationes, illa optima eſt, quæ procedit ex amore Dei ſuper omnia dilecti, quæ dicitur contritio. Omnis autem alia deteſtatio peccati ab illius perfectione deficiens poteſt generatim dici attritio*. Hanc ergo attritionem charitatis expertem dicit ſufficere, ſaltem extra periculum mortis, quia in hoc periculo tenemur aliundè ad procurandam contritionem, ut ſe explicans docet n. 5. prædictæ diſp. 3. ubi non approbat rationem quam aliqui afferebant dicentes, non eſſe omninò certum, quod attritio cognita (de hac enim loquitur) cum Sacramento ſufficiat ad juſtificationem, nam (ita ſubdit) *quod attritio cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficiat, videtur jam ita certum, ut prudenter poſſimus nobis perſuadere, nullam jam de eo eſſe periculum, cùm Tridentinum ſeſs.* 14. *cap.* 4. *hoc tam expreſsè doceat, & ejus verba ſine apertâ violentiâ non poſſint aliter explicari*. Quare affert aliam rationem, eamque afferendo oſtendit iterum quod dicebam, loqui ſe de Pœnitente habente attritionem *cognitam*, & nihil conanti elicere contritionem. Ratio autem quam affert eſt hæc. *Nam qui tali articulo nollet conari ad veram con-*

*contritionem, exponeret ſe periculo ne quidem eliciendi attritionem: qui enim tali tempore deliberatè non conatur ſe excitare ad amorem Dei, & ad deteſtationem peccati eum conſequentem, valdè timendum eſt, ne adhuc totus affixus hæreat mundo, & peccatis, & hæc perfectè non deteſtetur etiam per attritionem, & non tam oderit peccatum, quam ſolas pœnas Inferni, quas videt ſibi imminere, atque ita retineat occultum aliquem affectum erga peccatum, qui metu præſentis periculi non tam ſit extinctus, quam paululum compreſſus.*

*Diverſa autem eſt ratio in iis, qui adhuc ſani de peccatis atteruntur, quia, cùm hi liberè peccata deſerant, poſſunt credere ſe ea ſeriò deſerere, ac deteſtari: qui autem ſolùm movetur ad pœnitentiam inſtante morte, magis videtur ab ipſis peccatis deſeri, quàm ea deſerere. Quare communiter Patres dicunt, talem pœnitentiam debere eſſe ſuſpectam &c.*

Ex his collige 1. tunc in Belgio, inque ipſa Urbe Lovanii, quæ Coninkii ſedes erat, omnes aut ferè omnes Doctores docuiſſe, ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ attritionem non conceptam ex charitate, ìmò conceptam ex ſolo metu gehennæ, de hac enim hìc loquitur manifeſtè, & rursùs ab hac excludi poſſe omnem peccandi voluntatem: nam ſi aliqui Doctores præſertim alicuius auctoritatis, contrarium tunc ibi docuiſſent, nom tam intrepidè dixiſſet Coninkius, *ab Tridentino hoc tam expreſsè doceri, ut ejus verba ſine apertâ violentia non poſſint aliter explicari*: nec in re tanti momenti ad ſalutem,

hanc

hanc ſententiam defendiſſet tanquam practicè tutam, & excludentem omne periculum; cùm præſertim non eſſet tunc (uti nec modo eſt, ſed multò magis tunc) hæc ſententia propria ſui Ordinis, ſed potius aliorum Doctorum, quos plerumque hìc Author allegat, ac proindè ſuſpicari nemo poſſit, ac prudenter dicere, eum fuiſſe amore ſententiæ ſuæ, & ſuorum deceptum.

Collige 2. non abs re dictum à me alibi fuiſſe, non eodem modo diſſerendum de eo, qui ſanus & ſpontè ad Confeſſionem, quamvis ex ſolo metu accedit, ac de eo qui, poſt vitam malè traductam, ſolùm in morte, & ſolo metu impellente, & perturbatum animum occupante, tumultuariâ quadam pœnitentiâ confitetur: & rursùs non ejus, ſed hujus pœnitentiam fuiſſe Patribus, & eſſe cuique debere ſuſpectam.

Collige 3. ſine ullâ inconſtantiâ doctrinæ (ut ſupra notavi in Suario) non exigi ab aliquibus in ſano confitente contritionem, eandem exigi in moribundo.

2 Diſp. 8. num. 130. ſic docet. *Quivis audiens alterius Confeſſionem, tenetur dare operam, quantam pro ratione temporis commodè poteſt, ut hic ſibi integrè, & cum ſufficienti dolore confiteatur.* Hinc docet, pœnitentes (præſertim rudes) interrogandos, ſed prudenter, & de iis, quæ ipſi probabiliter credunt commiſiſſe. Et num. 132. *Ut Confeſſarius licitè Pœnitentem abſolvat, debet ſcire, eum eſſe legitimè diſpoſitum, ſivè habere ſufficientem dolorem de peccatis*

*catis præteritis, & verum propoſitum ea in poſterum vitandi. Quare quando hac de re ex aliquâ occaſione (ut ferè contingit in rudioribus) dubitat, tenetur, Pœnitentem (proponendo ei peccati turpitudinem, & pœnas, quas meretur, quantumque Deo diſpliceat, & alia ſimilia) excitare, ut ea concipiat, & in hoc ſæpè maximè laborandum eſt. Unde etiam pœnitens interrogandus eſt, an ea verè habeat. Affirmanti verò eſt credendum, niſi aliquid obſtet, ut ſi non vellet peccati occaſiones deſerere: de quo agit ſtatim n.* 133.

3 *Quandò Sacerdos advertit Pœnitentem continuò eſſe in proxima aliquâ occaſione peccandi mortaliter, nullo modo debet eum abſolvere, niſi promittat eam omnino deſerere &c. Hinc ſi Confeſſarius haberet graves rationes ſuſpicandi, ipſum eam occaſionem poſtea non deſerturum (ut ſi bis, vel ter hac in re fefelliſſet fidem) deberet eum non abſolvere, donec de facto eam deſeruiſſet, niſi neceſſitas aliud facere cogeret, quia aliàs pœnitens perpetuò in peccatis herebit &c.*

Et num. 34. *Præcipua autem hìc eſt difficultas, quando pœnitens ſine graviſſimis incommodis non poteſt ejuſmodi occaſionem deſerere: ut ſit quando aliqua habitat in aliqua domo, in quâ ab aliquo ex domeſticis continuò ſollicitatus ad turpia, & cum eo ſæpè peccat, nec ſine graviſſimo incommodo poteſt indè diſcedere. Tali igitur primò injungenda omnia media, quæ poſſint eam ab eo peccato avertere, & firmiter præcipiendum, ut caveat unquam tali juveni ſine neceſſitate loqui, præſertim in loco ſolitario, & ut*

*ut quoties in eo peccaverit, certam aliquam pœnitentiam ſubeat. Deindè, ut & antè abſolutionem, & poſtea etiam ſæpiùs per diem coram Crucifixo proponat omninò tale peccatum vitare. Item ut frequentiùs, & ſemper eidem Sacerdoti confiteatur: & ſi promittat, omnia hæc ſe facturam, poterit ſemel, aut etiam ſecundò, ſi reincidat, abſolvi. Si tamen ſæpiùs reincideret, aliquoties differenda erit abſolutio, donec advertatur* ALIQUA *emendatio*.

3 Et num. 135. *Quando pœnitens, ſequens probabilem Doctorum opinionem, credit aliquid ſibi licere, quod Confeſſarius putat, omnino eſſe illicitum; hic eum aliàs ritè diſpoſitum tenetur abſolvere &c. nam omni ritè diſpoſito ſibi confeſſo tenetur eam impendere*.

Et num. 137. agens de pœnitentibus monendis, vel non monendis, cùm ignorantiâ laborant. *Si videat monitionem non profuturam, eò quod pœnitens ſine graviſſimo incommodo non poſſit ab eo facto abſtinere, ut ſi in caſu matrimonii, cum impedimento dirimente ignoranter, & bonâ fide contracti, putatitii conjuges haberent liberos, nec poſſet obtineri diſpenſatio, ut ſecundò contraherent, aut ſi impedimentum iis aperiretur, eſſet periculum, ne cum graviſſimis turbationibus vellent ſeparari, tunc inquam omninò tacendum eſſet, & eſſent relinquendi in bonâ fide: ut expreſsè in ſimili caſu docet Innoc. III. cap. Quia circa 6. de conſanguinitate*.

*Ex quibus patet, aliquos hìc malè diſtinguere inter eos, qui ex ignorantiâ peccant contra jus Divi-*

*num, aut naturale, & eos qui ſolùm peccant contra jus humanum: & priores quidem ajunt, ſemper corripiendos eſſe, quia putant eos, nunquam poſſe laborare ignorantiâ invincibili: ſecus autem eſſe de ſecundis. Sed prior pars apertè repugnat exemplo à nobis dato, & definitioni Innocentii. Nam talis copula eſt apertè contra jus naturæ, & fundamentum eſt apertè falſum. Nam cùm multi viri doctiſſimi diſputent, utrum quædam ſint jure naturæ licita, nec poſſint alterutram partem certò definire: itaut aliqui omninò credant, eſſe licitum, quod fortè à parte rei eſt illicitum, quomodo homines rudes non poſſint invincibiliter ignorare talia eſſe illicita?* Hæc Coninkius Lovanii.

4 Diſput. 10. in quâ agit de ſatisfactione, dicit num. 70. nulla lege Divinâ, aut humanâ præſcribi jam certam pœnitentiam, ſubditque. *Eſt communis Doctorum ſententia, & eam apertè docet Innocentius III. cap. Deus, qui 8. de pœnitentiis. Immo etiam olim ſimili modo fuiſſe permiſſum Sacerdoti, ut in hoc foro eam pœnitentiam injungeret, quam crederet hìc & nunc maximè expedire injungi, apertè colligitur ex cap. Menſuram 85. de pœnitentia d. 1. Quare Canones Pœnitentiales, qui habentur in quibuſdam Conciliis, aut ſolùm erant pro foro externo (quamvis etiam in hoc multùm permittebatur judicio Epiſcopi) vel non continebant præceptum, ſed tanùm quaſdam regulas, quibus Confeſſarii poſſent inſtrui, ut eas quantùm judicabant, commodè fieri poſſe, ſequerentur.*

*Quod autem quidam dicunt, olim pro quovis pec-*

*peccato mortali debuiſſe injungi pœnitentiam ſeptem annorum, ſine ullâ probatione dicunt. Nam tales pœnitentiæ ſolùm pro enormibus peccatis injungebantur, & maximè quando cum aliorum ſcandalo erant facta. Alioquin magna pars hominum exiguo tempore meruiſſet majores pœnitentias, quàm totâ vitâ potuiſſet implere. Nec etiam tunc multi graves peccatores deerant, ut ex hiſtoriis patet.* Quid magis appoſitè dici potuit ad confirmanda, quæ parte 2. hujus Operis dicta ſunt circa praxim veteris Eccleſiæ in injungendis pœnitentiis?

Et num. 71. *Etſi, ut docet Tridentinum ſupra, Sacerdos, quantùm fieri poteſt, debeat habere rationem gravitatis peccatorum, ut pro iis condignam pœnitentiam injungat: præcipuè tamen ſpectandus eſt fructus ſpiritualis pœnitentis. Quare gravitas pœnitentiæ ratione infirmitatis aut corporalis, aut ſpiritualis ipſius pœnitentis (quia nimirùm ſi gravior pœnitentia injungatur, fiet puſillanimis, & concipiet horrorem confeſſionis &c.) ſæpiſſimè multum moderanda eſt, ut* COMMUNITER DOCTORES FATENTUR, ET EX PRAXI ECCLESIÆ, *ac juribus num. 70. citatis patet. Unde pulchrè D. Nazianzenus orat. 26. de moderatione in diſputatione ſervandâ ſub finem. „ Hanc, inquit, rationem tene, „ ut partim eum corrigas, idque leniter, & humanè, non ut hoſtis, neque ut durus, & rigidus medicus. „ Ratio horum eſt. 1. Quia hoc Sacramentum à Chriſto primò, & per ſe inſtitutum eſt in bonum, & utilitatem pœnitentis, ut animæ ejus vul-*

*nera curentur*. 2. *Quia aliàs multi infirmiores à confeſſione deterrerentur*, *& ita fructus ejus periret*. 3. *Quia ſi injungas nimis levem pœnitentiam*, *communiter & per ſe loquendo tantùm eſt periculum*, *ne pœnitens in purgatorio graviùs puniatur*. *Si injungatur gravior*, *quàm expediat ejus infirmitati*, *periculum eſt*, *ne eam non implendo*, *peccet mortaliter*, *& alia graviora peccata non confiteatur*, *aut tales Confeſſarios quærat*, *qui ſine ullo certo judicio pro quibuſvis peccatis leviſſimam pœnitentiam injungant*. *Nec injungendo leviorem pœnitentiam*, *præſertim quando ſubeſt aliqua rationabilis cauſa*, *ſit ulla Sacramento irreverentia*, *quia hoc ad ſui integritatem non requirit*, *ut pœnitentia omninò condigna injungatur &c*. *Nec etiam Deo ſit injuria*, *quia reſtat ei ſuum jus integrum in Purgaaorio reliquam partem exigendi*.

*Hinc ſequitur* 1. *Sacerdotem nunquam debere talem pœnitentiam injungere*, *quam omninò credit*, *pœnitentem ex aliquâ imbecillitate non impleturum &c*. *Sequitur* 2. *cavendum etiam ei eſſe*, *ne ut ait Trident. ſupra*, *ſine juſtâ causâ pro gravibus peccatis leviſſimas pœnitentias injungendo*, *juſtitiam negligat*, *& alienis peccatis communicet &c*.

Num. 74. docet, pro peccatis occultis nnnquam eſſe injungendam pœnitentiam publicam, pro publicis debere injungi, *Quando ſcandalum aliàs non ceſſaret*. Additque, *quod ſi ad ſedandum ſcandalum*, *aut ob aliam cauſam non eſſet neceſſarium talem pœnitentiam injungere*, *tunc Confeſſarius*, *ſi judicaret*

*hoc*

*hoc eſſe valde expediens, poſſet quidem pœnitenti non reluctanti ejuſmodi pœnitentiam injungere, inconſultè tamen faceret, ſi eam reluctanti injungeret, negando ei aliàs abſolutionem, quia tam duræ curationes, cùm ſint valde periculoſæ, nunquam ſunt adhibendæ, quando aliter ſalus obtineri poteſt.* Hæc Conink in dictâ Urbe, eâ florentiſſimâ Academiâ nihil repugnante, ex communi Doctorum ſententiâ ſcripſit, dictavit, edidit.

## §. XI.

### *Doctrina Valerii Reginaldi.*

1 EX communi pariter, ac proindè ex doctrina ipſius Sorbonæ, hoc eodem tempore in Gallia poſt explicatas Pariſiis, & poſtea Dolæ morales Quæſtiones, ſcripſit inter alia multa, *Praxim Fori Pœnitentiarii ad directionem Confeſſarii* Valerius Reginaldus, vir tam inſignis, tam celebris, ſpectatæque probitatis, ut, cùm funus illi magnâ populi frequentiâ celebraretur, multi primarii, & Religioſi viri ( ut refert Alegambe in Bibliocheca Scriptor. Soc. ) inſolitos in animo ſenſus pietatis, & obſequii in defuncti viri cadaver, ipſumque defunctum experti fuerint, nec tam illum Deo, quàm ei ſe commendaverint, populuſque certatim curarit oſculari ejus manus, roſariis tangere, obtinere reliquias. Pręcipua tamen hujus viri laus petenda eſt ab ejus libris, in quibus eminet ubique Auctoris pietas, fides ſincera, æternæ ſalutis, ac Divinæ gloriæ, quo

ardebat unicè, amor, & ſtudium, quod impulit S. Franciſcum Saleſium ad eos celebrandos in epiſtola Paſtorali, ſeu Inſtructione ad Parochos ſuæ Diœceſis.

2 Antequam verò afferam, quid Reginaldus doceat circa hoc Sacramentum, volo, ipſum audias dicentem in Præfatione Operis, cur in his Tractatibus Moralibus non tam antiquos Doctores, quàm recentiores, imò recentiſſimos ſequatur.

*Sciebam*, inquit, *in definiendis quidem circa credenda occurrentibus difficultatibus, quò antiquiores fuerint Authores, eò majoris ponderis cenſeri ipſorum placita, tanquam viciniora traditioni, doctrinæque Apoſtolicæ. In dirimendis tamen controverſiis circa agenda enatis*, POTIOREM EX ADVERSO HABERI RATIONEM DOCTORUM RECENTIORUM, *quos conſtiterit excelluiſſe in doctrinâ, ac diligentes extitiſſe in evoluendis, & expendendis aliorum ſententiis, atque ponderandis de novo emergentibus agendorum, quæ ex earum inſpectione definienda ſunt, circumſtantiis: quarum tanta eſt inconſtantia ex varietate perſonarum, locorum, & temporum, ut plerumque nihil aliud in genere ſtatui poſſit, quàm totum eſſe relinquendum prudentis arbitrio, qui illis inſpectis, ac ponderatis, ſtatuat, quid rationi conſentaneum cenſeatur. Qua in re* POTIORES PARTES MERITO' TRIBUUNTUR RECENTIORIBUS, *qui præſentium temporum, morumque conditiones perſpectas habent.*

Hæc ſæculo præterito non dixit tantùm, ſed ſcri-

ſcripſit in fronte ſui Operis quod edebat, & Archiepiſcopo Gallicano dedicabat, Reginaldus, quod modò ſine ingenti piaculo, aut periculo vix dici clanculum poſſit.

3 Lib. 5. cap. 3. enumerans *conditiones contritionis perfectæ*, & juſtificantis, tertiam dicit eſſe hanc, ut ſit ſumma appretiativè, non requiri verò ad illam ullam intenſionem, quod probat per hæc verba. *Peccatum mortale in minimo ſuæ intenſionis gradu ſufficiens eſt ad ſtatum æternæ damnationis. Ergo conſentaneum eſt ad ſtatum æternæ ſalutis, actum charitatis, aut pœnitentiæ charitate formatæ, ſufficere etiam in minimo ſuæ intenſionis gradu &c. Unde quod dicitur de graviori peccato graviorem requiri pœnitudinem, & dolorem, intelligendum eſt, quod requiratur de conſilio, & boneſtate, vel quod ſit eo utilior, quo major eſt; non autem quod requiratur de neceſſitate*. Et paulò poſt, nempe num. 35. *Converſio igitur illa ad Deum ex toto corde, quam à nobis ſacræ Scripturæ exigunt, in eo conſiſtit, ut non partim peccata deteſtemur, partim ad illa afficiamur, neque ut unum peccatum odio habeamus, & alteri adhuc adhæreamus, ſed omnia deteſtemur*. Hæc autem docet, tanquam tunc ab omnibus admiſſa.

4 Cap. 5. dicit, ſufficere ad valorem Sacramenti Pœnit. Contritionem imperfectam, quæ non *concipitur expreſſè de peccato, ut eſt offenſa Dei*, ſed, ut explicat, quæ *concipitur ex conſideratione turpitudinis peccatorum, aut gehennæ, aut pœnarum metu, dummodò voluntatem peccandi excludat cum ſpè*

 *veniæ*,

*veniæ, ideſt, dummodò non eâ mente reſpectu malorum, quæ proveniunt ex peccato, ſic pœniteat quis, ut, ſi illa non intervenirent, ipſe non pœniteret, immo peccare pergeret, quandoquidem eſſet, ne implicitè quidem, aut virtute propter Deum offenſum de peccato ſuo pœnitere*. Igitur dolere ex metu cum dicto propoſito, & ſpe eſt ex hoc Doctore pœnitere virtualiter propter Deum offenſum, & rurſùs eſt pœnitere quantum ſufficit in hoc Sacramento. Et quidem cum is Author putarit, quavis verâ charitate expelli peccatum, cumque non exigat in hoc Sacramento dolorem, qui per ſe peccatum expellat, ſequitur manifeſtè, nec exigi ab eo dolorem ex charitate inchoatâ conceptum.

Cap. 4. in fine num. 132. proponit eam quæſtionem, an pœnitens teneatur confiteri circumſtantias notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem, & amplectitur ſententiam negantem, quia benè fundatam, & quia *benigniorem*.

5 Lib. 2. cap. 5. agens de prudentiâ quâ Confeſſarius debet ſe gerere cum Pœnitente confeſſo, ſed indiſpoſito ſic habet num. 59. *Pertinet ſecundò ad propoſitam Confeſſarii prudentiam, ut, cùm Pœnitentem ſuum deprehenderit ſine contritione, durumque eſſe, ſtudeat illum emollire, ſeu diſponere ad odium, & deteſtationem peccatorum ſuorum* &c. ut videlicet emollitum abſolvat.

6 Initio autem ſect. 1. num. 51. recenſet caſus, in quibus Pœnitens debet judicari indiſpoſitus: ſunt autem hi. Si *parvi facit donum pœnitentiæ non cu-*

*rans*

*rans illud à Deo petere, vel non ſtatuit firmiter ſtatum peccati deſerere, aut occaſiones propinquas peccandi à ſe removere, aut paratus eſt animo, malletque peccare mortaliter, quàm damnum aliquod ſuſtinere, vel alicui non obſequi etiam in illicitis, aut demum recuſet inimico reconciliari, aut aliud agere, ad quod tenetur ſub mortali.* Alios non recenſet, quia videlicet putavit; hos ſolos eſſe caſus ordinarios. Hortatur autem Confeſſarium, ut pœnitentem, ſi poteſt, attollat ad veram contritionem, ſi verò non poteſt, contentus ſit inferiori dolore, nempe attritione, quam ſaltem, ad hujus Sacramenti validitatem, ex Tridentino requiri, dicit.

7 Cap. 8. ejuſdem lib. 2. num. 104. proponit remedia adverſum recidivum, ea autem ſola ſunt, quę proponit ex Gerſone Polancus in direct. cap. 3. art. 2. & Navar. in Enchirid. ſeu Manuali cap. 26. num. 25. Inter illa autem non ſolum non eſt dilatio abſolutionis, ſed eſt frequens confeſſio cum abſolutione. *Quartum remedium eſt* (inquit) *confiteri intra triduum poſt peccatum commiſſum &c. Sextum recidivo juxta conditionem ipſius, & peccatorum gravitatem, ultra pœnitentiam quam par fuerit, impoſitam, injungere aliquid recitandum, ut Pater & Ave, aut aliquid hujuſmodi, in memoriam gratiæ reſurgendi à Deo per Sacramentum obtentæ*, Sacramentum autem ſine abſolutione non conficitur.

8 Lib. 6. cap. 4. num. 138. circa eum, qui habet pravam conſuetudinem peccandi, tria habet. Primò refert ſententiam Navarri docentis *teneri illam*

*illam explicare, ut ſtatus ipſius Confeſſario innoteſcat, & is debitam pœnitentiam poſſit injungere.* Et dicit *non eſſe hoc ita accipiendum, quaſi tale quid abſolutè ſit de neceſſitate*, quod confirmat authoritat Cani in releƈt. de Pœnit. part. *6.* qui tamen addit, *conſilium optimum eſſe, recidivum, & peccandi conſuetudinem explicare Confeſſario, non ſolum ob verecundiam, cujus fructus in Confeſſione maximus eſt, verùm etiam ob remedium: quoniam aliter ſimplici febri, aliter hectica medemur.* 2. Dicit, *negandum non eſſe, quin Pœnitens teneatur neceſſariò reſpondere Confeſſario ſecundùm conſuetudinem receptam, ut certior fiat, interroganti, an ipſe cum debitâ diſpoſitione, nempe cum dolore ſufficienti, & firmo emendationis propoſito ad Confeſſionem accedat: recidivum enim arguit tale propoſitum eſſe infirmum, Confeſſariique judicium mutat, aut an perſiſtat in aliqua propinqua occaſione peccandi mortaliter. Confeſſarius enim, quæ abſolutionem impedire poſſunt, tenetur ſe informare, & conſequenter Pœnitens tenetur illi reſpondere.* 3. Dicit *Pœnitentem debere ultro conſuetudinem detegere, ſi advertit, ſe alioqui non accepturum congruam medicinam.* Ubi obſervandum eſt, nec Navarrum, nec Canum, nec Reginaldum putaſſe, negandam, ſeu differendam abſolutionem confitenti, ex ſolo capite pravæ conſuetudinis. Non Navarrus, qui docuit hunc teneri ultro ſuam pravam conſuetudinem confiteri, ut Confeſſarius *debitam pœnitentiam poſſit injungere*, non autem ut abſolutionem differat; non Canus, qui nec cenſuit,

cum

eum teneri ad eam ſpontè manifeſtandam,non demū Reginaldus, qui putavit quidem recidivum eſſe argumentum propoſiti infirmi, ſed hanc infirmitatem, ut paulò ante oſtendi, aliis remediis curandam docuit, non autem (ſaltem regulariter, & plerumque) dilatione abſolutionis, cujus remedii nec meminit hìc, nec ſupra, ubi diſſeruit de recidivo, quem frequenti uſu Sacramenti, ac proindè frequenti abſolutione curari mavult, quàm dilatione abſolutionis.

9 Lib. 8. cap. 2. agens de ſpectantibus ad prudentiam Confeſſarii in munere abſolvendi de multis monet Confeſſarium, inter quæ num. 16. *ut curet cognoſcere diſpoſitionem pœnitentis, antequam ipſum abſolvat, nempè reſpectu præteriti, ſi ſatisfecerit ſufficienter alicui obligationi ſub mortali, quam habeat exequendi aliquid, reſpectu verò præſentis, ſi doleat ex animo de offenſâ Dei à ſe commiſſâ, reſpectu demum futuri, ſi firmum propoſitum habeat non peccandi de cætero*. Subditque circa horum primum obſervandum eſſe, non debere ſemper Confeſſarium,priuſquam pœnitentem abſolvat,cogere ipſum id exequi, quod facere tenetur, ſed interdum ſatis eſſe, ut is proponat, *eique promittenti credendum ſi præſertim tunc primùm defecerit in executione, necdum inventus ſit infidelis*, ſecùs verò, ſi iterum atque iterum contra promiſſionem in Confeſſione factam, non impleverit quod debebat. Circa ſecundum obſervandum eſſe, ut *ſi non habeat ſufficientia ſigna doloris in Pœnitente, ipſum interroget, an ex ani-*

*animo de peccatis ſuis doleat? Ei autem ſeriò affirmanti credere debere, cum nihil apparet quod obſtet.* Circa tertium obſervandum, *neceſſe non eſſe, ut Confeſſarius ipſe perſuadeat ſibi, aut etiam probabiliter judicet, pœnitentem ſervaturum ſemper propoſitum quod de præſenti habet &c.*

10 Monet etiam paulò ante, nempè num. 15. *ne abſolutionem neget pœnitenti, cùm in re inter Auctores dubiâ, ille non vult eandem, quam ipſe ſententiam ſequi, niſi crederet ſe niti textu, aut ratione evidenti.* De qua re fuſiùs agit lib.13. cap.19. n.95. ubi quærit an in conflictu opinionum, *cùm utraque pars eſt quidem probabilis, & evidens ſufficienter ad moralem certitudinem, ſed una probabilior eſt quàm altera, liberum ſit agere ſecundum eam, quæ minùs probabilis eſt?* Allataque ſententiâ Doctorum negantium, quos refert Sanchez in opere Morali lib.1. cap. 10. num. 10. & Doctorum affirmantium, quos allegat, hanc tuetur, & ſequendam dicit, cùm *non imminet periculum alicujus notabilis irreverentiæ erga res ſacras, aut alicujus damni notabilis à proximo, vel à nobis incurrendi, quod ex juſtitiâ, vel ex charitate vitare teneamur.* Unde infert num. 97. *Confeſſarium poſse abſolvere pœnitentem qui ex opinionibus probabilibus, eam quam Confeſsarius ipſe minùs probabilem putat, vult tenere, nec illi in contrariâ tutiori acquieſcere*, cum videlicet non imminet prædictum periculum. Hinc poſtea, nempè num. 99. colligit, *In adminiſtratione Sacramentorum non eſse licitum, quòad ipſorum formam, &*

*mate-*

*materiam*, *aliave*, *ex quibus pendet ipſorum validitas ſequi probabilem aliquam opinionem*, *probabiliore relictâ*, *ſicuti nec licitum eſt relicta certa*. Cum autem idem doceat pluries, ſufficere in Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ attritionem, nec requiri contritionem conceptam ex verâ charitate, quâ etiam in minimo gradu ſuæ intenſionis reconciliari extra Sacramentum peccatorem, docuit, ſequitur, hanc opinionem fuiſſe ex Reginaldo certam & indubitatam.

Lib.7. cap.4. agens de prudentia Confeſſarii in imponendâ pœnitentiâ docet num. 35. imponendam tantum eſſe Pœnitenti ſatisfactionem, quam creditur impleturus, & num. 37. Non niſi levem admittere volentem rejiciendum non eſſe, & reliqua quæ docent Navarrus, & Suarius, quæ proindè repetere non eſt opus.

## §. XII.

### *Doctrina Pauli Layman.*

EX Gallia eundem mihi eſt in vicinam Germaniam, ut magis conſtet omnium Nationum in eadem doctrina conſenſus. In tota autem Germania nullus hoc ſæculo decimo ſexto celebrior morum & canonum Doctor fuit Paulo Layman, ut ejus libri de utraque facultate, morali ſcilicet & canonica tractantes toties recuſi demonſtrant. Aliqua excerpam ex ejus Theologia morali, ubi agit de Sacramento Pœnitentiæ nempè ex tract. 6. libri quinti. Cap.1.

1 Cap. 1. num. 4. ſic docet. *Duplex eſt pœnitentiæ actus perfectus, & imperfectus. Actus perfectæ pœnitentiæ contritio in ſcholis appellari ſolet, & definitur. Dolor de peccato tanquam ſummo malo abolendo, quatenus Deo ſuper omnia dilecto repugnat.* Et num. 6. *Propter actum dilectionis, qui in vera contritione, ſeu perfecto pœnitentiæ actu continetur, Secundum Dei ordinationem hæc ipſa contritio in omni lege fuit ſufficiens & congrua diſpoſitio ad peccatorum remiſſionem.* Igitur ex hoc Auctore perfecta contritio ſufficit ad remittenda peccata quia eſt dolor de peccato tanquam contrario Deo ſuper omnia dilecto, & propter actum dilectionis, quem continet; ſed talis eſt, & hunc actum continet etiam contritio quæ manat ex charitate remiſſa, & ſolum inchoata. Ergo etiam hæc ex hoc Doctore ſufficit ad remittenda peccata. Et confirmatur ex eo quod cap. 4. num. 1. loquens de eadem contritione perfecta, & juſtificante dicit in ea ſufficere quemcumque intenſionis gradum.

2 Eodem cap. 1. num. 9. *Altera eſt (inquit) pœnitentia ſive dolor animi de peccato (in ſchola attritio dici ſolet) qui non pertingit ad deteſtationem peccati, tanquam ſummi mali repugnantis ſummo bono.* Igitur in attritione non requirit charitatem, ut patet ex data definitione, & ex eo quod poſtea negat hanc ſufficere ad remittenda peccata, quæ remitti à contritione docuit, quia continet actum dilectionis. Imò ibidem docet, ſufficere ad attritionem, quod concipiatur ex motivo ſupernaturali per fidem

dem apprehenſo, *puta quia tanquam Dei offenſa pœnam æternam meretur*, & hanc ex Tridentino eſſe actum, quo, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, peccator viam ſibi ad juſtitiam parat, quo videlicet accedente Sacramento juſtificationem obtinet, ut paulò ante, nempè num. 1. & 2. clarius, imò clariſſime docet per hæc verba. *Hoc diſcrimen eſt inter ſtatum legis Evangelicæ, & ſtatum ante gratiam Evangelii, quod ante legem gratiæ nemo adultus à peccato mortali liberari, & juſtificari poterat ſine vera contritione includente Dei charitatem ſuper omnia &c. In lege autem nova poſt commiſſum peccatum mortale non eſt neceſſaria vera contritio homini ſuſcepturo Sacramentum Baptiſmi, vel pœnitentiæ, ſed ſufficit attritio etiam cognita.* Et cap. 2. num. 5. *Quod præſtat actus contritionis extra Sacramentum, hoc idem præſtat attritio cum Sacramento*. Dum autem dicit ſufficere attritionem *etiam cognitam* magis declarat, ſe loqui de ea attritione quæ concipitur ex ſolo metu gehennæ: nam hanc ſpecialiter negabant aliqui ſufficere, ſi cognoſcatur. Ipſe verò hanc ſufficere docet etiam in morte.

3 Hìc enim movet hanc quæſtionem, & allata ſententia Suarii negantis attritionem cognitam in morte ſufficere, primò quia non eſt certum attritionem cognitam ſufficere in Sacramento. Secundò, quia lex charitatis tunc obligat ad actum charitatis, adeoque ad dolendum ex charitate, ſi adſit memoria peccati ſic reſpondet. *Verum hæ rationes non*

*ſatis*

*ſatis demonſtrant*, QUOD ENIM ATTRITIO ETIAM COGNITA SIT SUFFICIENS DISPOSITIO IN SACRAMENTO SATIS CERTUM EST, ET FERE COMMUNITER ASSERTUM POST TRIDENTINUM ſeſs.14. cap.4.

*Cler.* Is profectò eſt locus inſignis. Nam Auctor loquitur manifeſtè de attritione non concepta ullo modo ex charitate, ut patet ex præjactis definitionibus contritionis, & attritionis, ex qualitate quæſtionis, quam hìc movet, ut dicebas, & ex eo quod hìc impugnat Suarium, qui negabat in morte ſufficere eam attritionem cognitam, quæ nullo modò concipitur ex charitate, unde argumentum petebat ex eo quod tunc obligamur ad actum charitatis, quo caret qui habet ſolam attritionem. Hanc autem attritionem expertem omnis charitatis, etiam cognitam, ſufficere in Sacramento, dicit Layman, eſſe *ſatis certum*, *& communiter aſſertum poſt Tridentinum*. Igitur quod ſufficeret attritio, cùm non cognoſcitur, & putatur contritio, erat pluſquam *ſatis certum*, *& communiter aſſertum*, ſed certiſſimum, & aſſertum ab omnibus. Igitur omnes docebant, nec remiſſam, & ſolùm inchoatam charitatem requiri in Sacramento.

*Auct.* Bene colligis: non enim, ſi res ſecus haberet, ita loqueretur Layman peritiſſimus ſententiarum quæ tunc vigebant, non ſolùm in Germanis Academiis, ſed extra, cum exteros Scriptores celebres legiſſet omnes, ut ex ejus libris conſtat. At percurramus reliqua quæ docet.

Cap.4.

4 Cap. 4. circa relapſos ita docet num. 10. *Et, ſi aliquis ſæpius eandem peccati ſpeciem in confeſſionem attulerit, denuo abſolvendus eſt, ſi iterum abſolutionis propoſitum concipiat &c. Verumtamen Confeſſarius in tali homine, qui idem peccati genus, ad quod pronus ſolet eſſe, relapſus v. g. fornicationem, voluntariam pollutionem, blaſphemiam, ſæpius ad Confeſſarium affert, attendere debet, utrum ille conatum aliquem emendationis adhibuerit, quod his ſignis cognoſci poteſt. 1. Si poſt proximam confeſſionem rariùs, quam antea ſolebat, lapſus fuit. 2. Si mediis uſus eſt, quæ ipſi contra peccati recidivum à Confeſſario imperata erant. 3. Si occaſiones extrinſecas peccandi, quas removere debuerat, & pollicitus erat, re ipſa amovit. Quod ſi talia præſtitit, haud dubiè abſolvendus eſt. Sed, etſi nihil horum præſtiterit, nihilominus illi abſolutio conferri poteſt, ſi rem ſecundum ſe, & abſolutè conſideremus. Quia licet antea propoſitum ineſſicax habuerit, nunc tamen verum & efficax concipere poteſt, idque affirmanti* CREDI PLERUMQUE DEBET; *cùm ipſe ſit ſui accuſator, defenſor, & teſtis, ait Suarez, & clariùs docet Sanch. Verumtamen* INTERDUM *vehemens eſt ſuſpicio, & juſta præſumptio, propoſitum emendandi ſimulatum, aut non ſufficiens eſſe; ſi videlicet pœnitens poſt duas, aut tres confeſſiones eandem peccati ſpeciem eodem, vel majore numero afferat, &* NULLUS *emendationis conatus anteceſſiſſe videatur: hoc caſu differenda erit abſolutio, nominato aliquo temporis ſpatio, intra quod pœnitens conatum adhibeat*

*ad criminis emendationem, poſtea abſolutionem accepturus. Id verò limitari debet, niſi pœnitens in præſente confeſſione ſpecialia, qualia antea nunquam, doloris ſigna oſtendat, quibus præſumptio illa de malâ confitentis diſpoſitione meritò elidatur.*

5 *His quædam addenda ſunt. Primò conſiderandum in hac materiâ, quo præcipuè motivo pœnitens ad frequentes confeſſiones accedat. An, quia à Domino, Præfecto, Pedagogo adigitur, aliàs non acceſſurus. In tali homine magnum periculum eſt, ne malè diſpoſitus ſit. An ſolùm quia conſuetudinem habet octavo quoque die confitendi: in tali etiam magnum periculum eſt, ſi eandem mortalis peccati ſpeciem ſine emendatione ſæpiùs afferat. An denique, quia dolore, & indignatione propter relapſus ſuos conceptâ, iterum pœnitentiæ, ac confuſionis ſuæ remedium quærit? Et talis cenſeri debet bene diſpoſitus eſſe. Secundò in tali caſu difficiliùs impertienda erit abſolutio, ſi crimina publica ſint, v. g. frequentes blaſphemiæ, ebrietates; offenduntur enim Fideles, ſi videant hominem poſt confeſſionem ſæpiùs repetitam perinde ut prius in peccatis ſuis perſiſtentem: cujuſmodi ſcandalum interdum cum Sacramenti irreverentiâ junctum tolli debet, non obſtante privato incommodo, quod pœnitenti timetur; ne forte is à confeſſione abſterritus, in graviora peccata incidat. Maximè verò cavendum, ne notorii peccatores, puta manifeſti concubinarii, uſurarii &c. ad S. Euchariſtiam accedere permittantur, priuſquam ſcandalum amoveant &c. Tertiò in aliquibus peccatis facilior præ-*

*præſumptio fieri poteſt, pœnitentem in ſuperioribus confeſſionibus non habuiſſe verum emendationis propoſitum; veluti ſi à Confeſſario juſſus reſtitutionem facere, aut concubinam domo ejicere, non exequutus eſt; cùm tamen exequi potuiſſet, quo caſu, etſi jam denuo promittat, non eſt abſolvendus, antequam re ipsâ præſtet, & dicendum confitenti, tu prius præſta tuum officium, poſtea & ego præſtabo meum &c. Quamquam neque in his caſibus univerſalis regula ſtatui debet, cùm fieri poſſit, ut licet aliquis ſemel aut iterum admonitus reſtitutionem non fecerit, aut concubinam non dimiſerit, nunc tamen evidentiora mutatæ voluntatis indicia præferat, ut ejus promiſſio acceptari, & abſolutio dari poſſit.*

Hæ ſunt regulæ Theologi prudentis benignitatem cum rigore temperantis, ideoque non affirmantis intrepidè, relapſos non eſſe abſolvendos, plenam eorum emendationem expectandam, eis de ſuâ diſpoſitione teſtantibus credendum non eſſe, diù probandos &c. ſed diſtinguentis perſonas, delicta, motiva confitendi, ſigna doloris, ex quibus Confeſſarius nec ſemper veniam tribuat, nec ſemper neget, ſed non raró det & interdum neget.

5 Cap. 5. num. 7. docet, cautè miniſtrandum hoc Sacramentum pueris, nec ex ſolâ ætate, ſed multò magis ex ingenii & educationis qualitate judicandum, an ſint doli capaces, & rurſus examinandum, an cum debito dolore accedant, ut, ſi nec diſpoſiti ſint, nec appareant facilè diſponendi, dimittantur inabſoluti, impoſitâ aliquâ oratione quaſi pœ-

nitentiæ loco, & benedictione ſuper capita eorum formata, ſubditque, *expedit enim pueros, quamvis nondum abſolutionis capaces ſint, audire, ut paulatim inſtruantur, & confeſſioni aſſueſcant. Quod ſi autem, omnibus conſideratis de pueri capacitate dubium maneat, tunc obſolvi poteſt ſub conditione ſaltem animo retenta &c. imò in mortis articulo abſolvi debet.*

6 Cap. 13. num. 10. quærit, *Quibus caſibus Confeſſarius confitentem ſine abſolutione dimittere poſſit, aut debeat?* Et reſpondet. *Si Confeſſarius certò, vel probabiliter ſibi perſuadeat, pœnitentem contritum, vel ſaltem attritum non eſſe, aut non integrè, quantum ipſi poſſibile eſt, confeſſum eſſe, peccat mortaliter ſi eum abſolvat &c.* Subditque. *Si pœnitens peccata ſua narrare videatur ſine requiſito dolore, & propoſito emendationis, Confeſſarius tenetur eam ante abſolutionem de hac re examinare, & ſi defectum reperiat, pœnitentem ſalubri exhortatione diſponere.* Putavit ergo ineſſe hanc vim ſalubri exhortationi Confeſſarii, diſponendi ſubinde pœnitentem indiſpoſitum, aut non ſatis diſpoſitum.

Loquens poſtea de iis qui ſunt ita rudes, ut ex ſe nullam explicent peccati ſpeciem, nullum numerum, dicit, *Tales ex lege charitatis interrogationibus diſponendi erunt, quatenus tamen tempus permittit &c. Loquor de eo qui bonâ fide agit. Sin verò aliquis per malitiam, aut negligentiam craſſam accedat omninò imparatus, talis dimitti debet, modò*

*ſpes*

*ſpes ſit, poſtea magis diſpoſitum rediturum eſſe. Sunt enim multi, qui vix ſemel in anno adduci poſſunt ad confeſſionem, ut, etſi reditum promittant, tamen parituri non videantur.* HOS PRÆSTABIT ADHIBITA MONITIONE, ET FORMATIS INTERROGATIONIBUS STATIM DISPONERE, MODO CONFESSARIO VACET, *& pœnitentium multitudine non obruatur, alioquin homo ita indiſpoſitus dimitti debet.*

Loquens vero de iis, qui accedunt parati, ſed imperfectè, unde non exprimunt omnia quæ debent, dicit, plerumque non eſſe dimittendos, ut conſcientiam magis diſcutiant, ſed Confeſſarium teneri eos examinare, & ad abſolutionem diſponere, additque, *Ita communiter Sotus, Navarr. Sylv. Angel. Suar. de Graff. &c.* quia non poteſt Confeſſarius ſine gravi causâ dimittere pœnitentem non abſolutum, id enim pœnitenti onerosum eſſet, & præterea *Sacramento indecens eſt, ſi non perficiatur, cùm commodè perfici poſſit.*

Ex quibus colligitur, tam olim ſollicitos fuiſſe Doctores, ne Pœnitens facilè dimitteretur ſine abſolutione, quàm modò ſolliciti ſunt quidam, ne ſtatim abſolvatur, tamque illos putaſſe facilè poſſe Confeſſarium diſponere pœnitentem non ſatis diſpoſitum, quàm hi putant, id fieri vix unquam poſſe.

7 Cap. 15. num. 2. ea multa Patrum loca, quæ nunc à quibuſdam afferri ſolent, ad probandum, opus eſſe operibus pœnitentiæ ad obtinendam à Deo veniam & remiſſionem culpæ, unde probari putant,

ea præſtanda eſſe ante abſolutionem, affert omnia ad probandum, his opus eſſe ad obtinendam à Deo veniam & remiſſionem pęnę remanentis poſt remiſſionem culpæ:hunc autem eſſe verum ſenſum eorum locorum, conſtat ex more recepto non exigendi regulariter,ut pœnitens ea præſtet, antequam abſolvatur, qui mos uſus Eccleſiæ eſt, non autem abuſus.

8 Num. 11. docet, *Confeſſarium pœnitentiam deſignaturum ad duo attendere debere, peccatorum magnitudinem & pœnitentis diſpoſitionem* ſubditque. *Quapropter, ſi pœnitens probabili allatâ causâ de pœnitentiæ gravitate conqueratur, plerumque eam moderari, vel aliam leviorem decernere oportet*. Hinc poſtea num. 12. enumerans cauſas, *propter quas leviorem pœnitentiam, quàm alioquin peccata mereantur, Sacerdos injungere debeat, prima eſt* (inquit) *infirma pęnitentis diſpoſitio ſeu corporis, ſeu animi, ob quam timetur, majorem non impleturum eſſe*. Aliam cauſam dicit eſſe *tempus Jubilæi, vel alterius Indulgentiæ plenariæ*; *tunc enim* (inquit) *non cogitur pęnitens, niſi leviorem pęnitentiam acceptare, quæ ſe habeat per modum medicinæ ad tollendas peccatorum reliquias*.

Ita Layman, notitiâ juris canocici, nulli ejus temporis Doctori ſecundus.

## §. XIII.
### *Doctrina Martini Bonacinæ*.

HAbes jam, quam doctrinam labente hoc ſæculo ſeptimo decimo traderent in Hiſpania, Bel-

Belgio, Gallia & Germania celebriores hujus temporis Doctores, nunc in Italiam redeundum, ubi hoc tempore, aut paulò ſuperiori edita primùm fuerunt opera moralia Martini Bonacinæ, nempè ejus Doctoris, qui non ſolùm Eccleſiæ Mediolanenſis Sacerdos fuit, ſed Sacerdos oblatus, nempè de numero illorum quibus D. Carolus vivendi rationem & leges tradidit, ut ipſi potiſſimum invectam in eam Eccleſiam diſciplinam profiterentur, ſuoque Paſtori eam tueri ſatagenti pro viribus deſervirent, qui non ampliùs triginta aut quadraginta annis poſt obitum S. Antiſtitis in eadem Urbe morales quæſtiones explicuit, qui demum hunc ipſum tractatum de Sacramentis, qui conſulendus nobit erit, Federico Borromæo Cardinali ampliſſimo ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo vigilantiſſimo, ejuſque doctrinæ, ac diſciplinæ quam S. Carolus vivens cum tanto labore ei Eccleſiæ tradiderat, & moriens tam enixè commendaverat, conſervandæ, tuendæque cupidiſſimo dedicavit. Eſt igitur omninò credendum, eam adminiſtrandi hujus Sacramenti rationem, eam de hoc Sacramento doctrinam hìc tradi à Bonaccina, quæ tradebatur in ea Eccleſia, quamque in ea tradi voluerat D. Carolus, certè illi minimè contrariam. Quis enim ſecus ab eo factum fuiſſe credat, niſi graviſſimam injuriam laudato Authori irrogare velit? Hæc autem eſt hujus optimi Sacerdotis doctrina.

1 Diſp. 2. prædicti Tract. de Sacramentis qu. 2. punct. 6. num. 74. *Tertia diſpoſitio requiſita in adulto*

*ad recipiendum baptiſmum cum fructu, eſt attritio*: Idque docet tanquam indubitatum, nec vocatum in controverſiam, nullo allegato Doctore, & ſolùm allegatis textibus, quibus probatur, requiri in catechumeno pœnitentiam peccatorum. Quid autem intelligat nomine attritionis, ſtatim ſignificat ſubdens, *Sed modò dubium eſt, utrum ſufficiat attritio naturalis. Reſpondeo, non ſufficere, ſed requiri attritionem, quæ procedat ex auxilio ſupernaturali propter metum gehennæ, aut turpitudinem peccati, ut colligitur ex Trid. &c.*

2 Diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 1. *Nomen contritionis tripliciter accipi poteſt. Primò pro quolibet dolore de peccatis. Secundò pro dolore perfecto, quo quis ita dolet de peccatis, ut recipiat gratiam. Tertiò pro attritione, quæ eſt diſpoſitio ad recipiendam gratiam cum Sacramento. Nos in ſequentibus accipiemus nomen contritionis propriè, quatenus ſignificat dolorem perfectum, & nomen attritionis accipiemus, quatenus eſt pars Sacramenti pœnitentiæ requiſita ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ cum fructu.* Contritionem autem ſic acceptam pro dolore perfecto, quo quis recipit gratiam, definit ſtatim puncto 1. per hoc quod ſit *actus charitatis, quo quis deteſtatur omnia ſua peccata ſuper omnia deteſtabilia, quatenus ſunt contra amicitiam & voluntatem Dei cum propoſito non peccandi in futurum*, nullam exigens in tali actu intenſionem, ut infra magis disertè.

3 Punct. 3. num. 3. *Non qualibet attritio ſufficiens eſt ad gratiam, & ad fructum in Satramento Pœni-*

*Pœnitentiæ ſuſcipiendum, ſed requiritur, & ſufficit attritio ſupernaturalis, & efficax*. Et num. 9. enumerans hujus attritionis, & contritionis differentias, *Attritio*, inquit, *multum differt à contritione. Primò quia attritio dicitur dolor imperfectus; contritio verò dolor perfectus, ut conſtabit ex dicendis, tum quia diverſum eſt motivum contritionis, & attritionis: nam contritio deteſtatur peccata, quatenus ſunt offenſa, ſeu malum Dei: attritio verò deteſtatur peccata ob metum gehennæ, aut aliarum pœnarum, ut pœnæ damni, aut amiſſionis gloriæ, & gratiæ, vel ob turpitudinem ipſius peccati. Tertiò quia contritio eſt actus charitatis, ut ſuperiùs oſtendimus, attritio verò eſt actus virtutis pœnitentiæ. Quartò quia contritio eſt ex ſe diſpoſitio ad gratiam, cum peccator per contritionem conſtituatur in gratiâ: attritio verò ex ſe non ſufficit ad conſequendam gratiam, niſi conjungatur cum Sacramento, ſi verò conjungatur cum Sacramento ſufficit ad conſequendam gratiam, & dicitur efficere hominem de attrito contritum, non quia attritio fiat intrinſecè contritio, hoc enim fieri non poteſt, cum attritio verſetur circa unum motivum, contritio verò circa aliud, & ſint actus diverſæ ſpeciei, ſed quia attritus vi Sacramenti recipit gratiam, quam etiam recipit contritus per contritionem*. Hæc autem omnia docet tanquam communi Doctorum ſuffragio tunc recepta.

4 Punct. 7. num. 3. *Ad contritionem, & conſequenter ad juſtificationem non requiritur certa intenſio, & ut contritio ſit magna intenſivè intenſione*

thy-

*phyſicâ, ſed ſufficit quælibet contritio, licet remiſſa, modò ſit vera contritio*; nempè ea, quam ſupra definivit, profecta ex charitate, ex quâ peccator deteſtetur peccata ſuper omnia deteſtabilia; quod utique ſit per charitatem etiam inchoatam, & remiſſam.

5 Sect. 2. punct. 2. §. 3. difficult. 4. num. 1. *Qui dubitat, ſe peccatum aliquod mortale commiſiſſe, vel ſcit, ſe commiſiſſe peccatum aliquod, quod dubitat eſſe mortale, tenetur illud confiteri*. Et num. 4. *Quæ diximus, intelligenda ſunt de dubio propriè dicto, non verò de opinione: nam ſi quis probabiliter opinetur aliquod peccatum non eſſe mortale, ſeu non peccaſſe mortaliter, non tenetur tale dubium in confeſſione explicare, quia liberum eſt cuilibet opinionem probabilem ſequi. Ita Suar. Pitigianus, Sanch. Henriq. Coninc. & alii locis citatis*, citavit autem ſupra multos.

6 Punct. 3. num. 14. *Si Confeſſio iteretur coram eodem Confeſſario, qui priùs eadem peccata in confeſſione audierat, ſufficit pęnitentem dicere, Confiteor tibi omnia peccata quæ antea dixeram, ſubjunctis tamen peccatis in prima confeſſione prætermiſſis, & aliis poſt illam confeſſionem commiſſis &c. Hoc tamen limitandum, modò Confeſſarius aliquo modo, ſaltem in confuſo, & in genere recordetur ſtatus pœnitentis; vel ſaltem recordetur pœnitentiæ injunctæ &c.*

7 Quæſt. 7. punct. 4. §. 2. num. 14. *Confeſſio pœnitentis bonâ fide facta Sacerdoti ignoranti, & abſolu-*

*ſolutio ab hujuſmodi Sacerdote collata, valida eſt, quamvis Confeſſarius injuſtè abſolvat, aut erret in imponendâ pœnitentiâ ſalutari, & in peccatis ob inſcitiam diſcernendis. Ita Vaſq. Petrus So. Medina, Coninc. Nugn. Suar. Reginal. & alii.*

8 Num. 19. quærit, *Utrum Confeſſarius impendere poſſit abſolutionem habenti obligationem reſtituendi, vel aliquid aliud faciendi, antequam actualis reſtitutio, vel aliquid aliud fiat à Pœnitente.* Et reſpondet *affirmativè, modò pœnitens firmum habeat propoſitum faciendi quamprimùm quod facere tenetur.* Et ſubdit. *Quamobrem ſi Confeſſarius advertat, pœnitentem aliàs, datâ opportunitate, non ſatisfeciſſe ſuæ obligationi, debet, ut plurimùm denegare abſolutionem: tum quia denegatio abſolutionis prodeſſe ſolet pœnitentibus, qui tardiores ſunt in reſtitutionis onere perſolvendo, ut me longa docuit experientia in Pœnitentiarii munere obeundo; tum quia ſufficientem habet præſumendi rationem, pœnitentem in futurum ſuæ obligationi non ſatisfacturum; vel ſaltem propoſitum pœnitentis non eſſe firmum, & efficax &c.*

10 Num. 26. quærit, utrum *Confeſſarius ſive ſit Parochus, ſive Epiſcopus, ſive alius, teneatur abſolvere Pœnitentem habentem opinionem probabilem, cujus contrariam ſequitur ipſe Confeſſarius.* Et reſpondet affirmativè.

11 Num. 28. quærit, *utrum Confeſſarius poſſit abſolvere pœnitentem, antequam deſerat peccandi occaſionem, e. g. antequam dimittat concubinam, quam*

domi

*domi retinet*, *aut alibi*, cui quæſtioni reſpondet in tract. de Matrim. quæſt. 4. punct. 14. num. 11. ubi definitâ occaſione proximâ, ut ſolet definiri, eâque divisâ in voluntariam, & involuntariam, quæ vitari non poteſt, ideoque non eſt culpabilis, hæc habet ad quæſt. propoſitam. *Reſpondeo pœnitentem regulariter non eſſe abſolvendum, antequam dimittat concubinam, ſeu quandiù perſiſtit in proximâ occaſione peccandi, quam tenetur ſtatim evitare, & quam poteſt relinquere, quia is non cenſetur habere ſufficientem dolorem & propoſitum vitandi peccata in futurum. Dixi regulariter, quia fieri poteſt, ut Confeſſarius aliquando poſſit &c. Poteſt enim tantum incommodum, & tanta difficultas adeſſe in occaſione relinquendâ, ut efficiat occaſionem non voluntariam &c. Verum tamen eſt, opus eſſe magnâ prudentiâ in Confeſſario, ne abſolutionem impendat indigno &c.* Id bene monet, ut quæ poſtea docet, caute deducantur ad praxim.

Circa ſatisfactionem quæſt. 5. ſect. 3. docet ſequentia. Punct. 1. num. 3. *Validum eſt Pœnitentiæ Sacramentum, in quo Sacerdos nullam injungit ſatisfactionem, modò pœnitens malitiosè non concurrat ad omiſſionem injungendæ pœnitentiæ, etiamſi fortè Sacerdos peccet non injungendo pœnitentiam abſque rationabili cauſa.* Punct. 2. num. 1. *Confeſſarius per ſe loquendo tenetur ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam injungere.* Dicit *per ſe loquendo*, quia ſunt aliqui caſus, in quibus non tenetur, ut, cùm audit moribundum, huic tamen injungendum dicit brevem ali-

quam

quam orationem, aut invocationem nominis Jeſu, vel aliud ſimile, non verò quod *patienter ferat infirmitatem*, id enim poteſt poſtea injicere ſcrupulos. Secundum caſum dicit eſſe, *quando ſcrupuloſus intra eandem horam frequenter accedit ad Confeſſarium, aliquid novi ſemper confitens. In quo caſu* (inquit) *Sacerdos poteſt injungere pœnitentiam jam alias injunctam, nam opus aliàs debitum poteſt in ſacramentalem abſolutionem injungi*. Num. 6. *Sacerdos per ſe loquendo tenetur ſatisfactionem præcipere*. Subditque. *Fieri tamen poteſt, ut aliquando non teneatur præcipere ſatisfactionem, ſed poſſit eam conſulere, vel imponere ſub formâ quaſi conditionutâ, hoc modo; ſi tale opus feceris, ſerviat tibi in ſatisfactionem &c.* Num. 13. *Non ſolum injungi poſſunt opera in particulari, verùm etiam in generali, ut ſi Confeſſarius abſolvendo dicat, Quidquid boni feceris &c.* ſubditque, *Propterea obſervant Navarrus, Reginaldus, & alii, uſu receptum eſſe, ut modicæ pœnitentiæ injungantur, quia id, in quo deficiunt pœnitentiæ injunctæ, ſuppleri poteſt per bona opera, quæ communiter, & ut plurimùm ab hominibus præſtantur*. Num. 14. *Pro peccatis occultis non eſt injungenda pœnitentia publica, pro peccatis verò publicis injungenda eſt publica pœnitentia*. Num. 16. Monet Confeſſarios, ut *caveant, ne pro graviſſimis peccatis leviſſimas injungat pœnitentias, itaut fiant participes alienorum peccatorum*, & ut *ſtudeant imponere pœnitentiam aptam ad curationem, & præſervationem à peccatis*, adhuc tamen dicit *Confeſſarium*

*poſſe*

*poſſe homini fragili injungere pœnas juxta ipſius fragilitatem & conditionem; & tempore Jubilæi, aut indulgentiarum, poſſe mitiorem pęnitentiam præſcribere.* Num. 17. doctrinam eorum, qui dicunt, debere Confeſſarium, qui levem pro gravibus pœnitentiam imponit, monere pœnitentem, multò majorem pœnitentiam deberi ejus culpis, limitat *dupliciter, primò, modò Confeſſarius ſperet admonitionem profuturam. Secundò, niſi credat pœnitentem ſatisfacturum, etiamſi non moneatur.* Punct. 3. num. 1. & ſequ. docet, Confeſſarium ex juſtâ, & rationabili causâ poſſe in Confeſſione diminuere, & commutare pœnitentiam à ſe, vel alio Confeſſore inferiori, vel æquali, vel ſuperiori etiam propter peccata reſervata injunctam, & quidem poſſe mutare etiam pęnitentiam pręſervativam in aliam pręſervativam. Addit debere Confeſſionem iterari à Pœnitente penitùs oblito pœnitentiæ, ſi adeat Confeſſarium pariter oblitum, & ignarum ſtatus pœnitentis, nec poſſe relinquere Sacramentum mutilum. Hinc punct.4. docet, *Pęnitentem teneri tolerabilem, & humanæ fragilitati accommodatam pęnitentiam acceptare, acceptatamque adimplere.*

Nunc interrogo rigidos hujus ævi Doctores, qui tertio quoque verbo D. Caroli Inſtructiones nobis obtrudunt, cur nullus Doctor ex hactenus allegatis, & infra allegandis, qui poſt S. Antiſtitis obitum ſcripſere, eas allegat? cur nunquam earum meminit in hoc tractatu Bonacina, Sacerdos Mediolanenſis, Sacerdos oblatus, Sacerdos Pœnitentiarius, Sacer-

dos

dos ab iis inſtructus, qui Sanctum ipſum Carolum viderant, audierant, ejuſque inſtructiones imbiberant? Sed pergam, ut interea aptam reſponſionem excogitent.

## §. XIV.
### *Doctrina Cardinalis de Lugo.*

JAM verò ab Eccleſiâ, & Urbe Mediolaneſi progredi debeo ad Urbem, & Eccleſiam caput Orbis, & omnium Eccleſiarum, ubi paulò ante quadrageſimum hujus decimi ſeptimi ſæculi annum, tractatum de Pœnitentiâ, nempè ſuorum Operum Theologico-moralium tomum tertium edidit Joannes de Lugo tanto ſtudio elaboratum, ut vix ullus hac de re ſcripſerit fuſiùs, ſubtiliùs, accuratiùs, vix ullus majori cum laude, & certiori probatæ, tutæque doctrinæ teſtimonio, quando ex merito ſuæ doctrinæ, præſertim moralis, fuit ab Urbano VIII. in ampliſſimum Cardinalium Collegium cooptatus. Quam autem tibi doctrinam in hoc Tractatu exhibere voluerit is Author, quidvè aut obtinere voluerit, aut cavere, accipe ab ipſo, qui initio Operis hoc modo præfatur.

„ Ultra illa, de quibus lectorem ſuperiori to-
„ mo monuimus,ante Tractatum de Sacramentis in
„ genere, hoc unum addendum nunc eſt, noſtrum
„ hunc de Pœnitentiâ tractatum majori ex parte
„ ad mores pertinere, & ad praxim frequentiſſi-
„ mam Confeſſariorum, & Pœnitentium, in quo
„ ge-

„ genere propter maximam utrorumque neceſſita-
„ tem abundare maluimus, quàm deficere. In ſe-
„ ligendis autem ſententiis, ſicut non ſemper magis
„ rigidas, ita nec ſemper magis benignas, & laxas
„ elegimus: nec enim fieri poteſt, ut in altero ſem-
„ per extremo veritas reperiatur; conati tamen ſu-
„ mus, ubi fieri potuit, probabilitatem alterius
„ partis ſignificare. Cęterùm in hac potiſſimum
„ materiâ, ſi in quâ alia, Lectoris prudentia deſi-
„ deratur, ut non ſtatim teneatur regulis quibuſdam
„ generalibus, quæ tradi ſolent: ſed meminerit,
„ non omnia, quæ juxta Metaphyſicam, & Scho-
„ laſticam diſputationem vera ſignificantur, debere
„ eo ipſo, aut poſſe in univerſum ad praxim appli-
„ cari. Nam, ut ſuo loco iterum monebimus, ad
„ praxim hujus Sacramenti, conſiderandum non
„ ſolùm eſt, quid utcunque verum, quaſi in abſtra-
„ cto ſit, ſed quid etiam moraliter, & humano mo-
„ do fieri poſſit, ac deceat, itaut REMEDIUM
„ HOC SUAVITATE, AC DULCEDINE PLE-
„ NUM, NON FIAT SUA DIFFICULTATE
„ IMPOSSIBILE, VEL HORROREM NIMIUM
„ INGERAT HUMANÆ FRAGILITATI &c. „
Si hac mente, & conſilio ſcriberent omnes Theologi morales, convenirent omnes in doctrinâ, & praxi pœnitentiæ, aut non admodum diſcreparent.

Nunc accipe hujus doctiſſimi, ſapientiſſimique Cardinalis doctrinam.

1 Diſp. 5. ſect. 1. num. 2. docet, uti, quamvis *nomen contritionis aliquando latiùs uſurpetur, prout exten-*

*extenditur etiam ad contritionem imperfectam, ſeu attritionem, in quo* SENSU DICERE SOLEMUS IN SACRAMENTO PEONITENTIÆ REQUIRI CONTRITIONEM INTERNAM, ET CONFESSIONEM EXTERNAM; *jam tamen obtinuit inter Theologos*, ut hoc nomine ſignificetur *ſolus primus dolor perfectus diſponens ultimò ad gratiam juſtificationis etiam extra Sacramentum, ſecundus verò non contritio, ſed attritio appelletur*.

2 Tantum verò abeſt, ut putet, debere contritionem perfectam, & juſtificantem prodire ex charitate intenſa, ut nec audeat damnare eam ſententiam, quæ docet, nec requiri, ut prodeat ex charitate, ac proindè juſtificari peccatorem etiam per pœnitentiam ex motivo, aut religionis, aut juſtitię, aut aliarum hujuſmodi virtutum conceptam: & quamvis ipſe non ſequatur hanc ſententiam, affert tamen pro ea argumenta non contemnenda, inter quæ eſt illud, quod *antiquiores Theologi, dum de contritione etiam perfectâ loquuntur, dicunt generaliter, eſſe dolorem de peccato, ut eſt offenſa Dei, dolere autem de offenſâ, ut eſt offenſa, non pertinet ad ſolam charitatem, ſed etiam ad pęnitentiam, ut loquitur Scotus in* 4. *d.*17. *quæſt.* 2. *art.* 5. & ad alias virtutes. Quod notare volui, ut conſtet, hallucinari eos, qui cenſent, eſſe idem dolere de peccato ut eſt offenſa Dei, ac dolere de peccato ex charitate, unde ex primo ſæpè colligunt ſecundum.

3 Sect. 7. & 8. fusè probat, contra Sylvium, omnem contritionem, conceptam propter Deum

ſuper omnia dilectum, *habere ſecum conjunctam remiſſionem peccatorum ante actualem receptionem Sacramenti*, & ad argumentum petitum ex quodam textu Joannis Molani, & Guillelmi Eſtii, qui afferebatur, aut afferri poterat à Sylvio, reſpondet; *Sed de utroque curandum non eſt, fuerunt enim diſcipuli Baii, cujus doctrinam quacunque viâ poſſent, tueri vellent*; & quidem ſententiam, quæ prædictæ contritioni ſemper adnectit remiſſionem peccatorũ tuetur, tanquam à ſolis his Theologis relictam, & à reliquis omnibus Theologis propugnatam: loquitur autem de Sylvio, ut docuerat in prima edit.

4 Sect. 9. rejectis differentiis aliquibus inter contritionem, & attritionem, quæ à nonnullis afferuntur, approbat ſententiam Suarii, *qui cum communi Theologorum* (nempe eorum temporum) docet, diſtingui hos duos actus *penès ordinem ad diverſa motiva*; *nam contritio eſt dolor de peccatis propter Deum ſummè dilectum: attritio verò eſt dolor propter alia motiva &c. quæ communiter reducuntur ad duo capita, ſcilicet ad metum gehennæ, & pęnarum, & ad turpitudinem peccati*, & hanc attritionem ſufficere in Sacramento, docet initio ſectionis. Subdit autem num. 133. *Huic* COMMUNI DOCTRINÆ *ſeſe opponit iterum Franciſcus Sylvius quæſt. 1. ſupplem. art. 3. ubi docet, eam ſolùm attritionem ſufficere cum Sacramento, quæ includat etiam dilectionem Dei ſuper omnia, licet debilem; & imperfectam, quam dicit cum Sacramento ſufficere, imò & ſine Sacramento, quando ejus ſuſceptionem excludit neceſſitas*.

*tas*. *Hæc tamen ſententia eſt contra* OMNES *Theologos*, *& contra Tridentinum &c.* Audis intrepidam ſententiam? Non dicit, *Eſt contra ferè omnes*, *eſt contra pleroſque Theologos*, *Videtur eſſe contra omnes*, *& contra Tridentinum*, ſed, *eſt contra omnes*, *& contra Tridentinum*. Hic iterum interroga Adverſarios, cur nos modò non dicamus, eam ſententiam eſſe contra omnes Theologos? quia nimirum ſunt aliqui Theologi, qui eam ſequuntur, nempe ipſi noſtri Adverſarii. Ergo ſi tunc etiam extitiſſent, qui eam ſequerentur, non diceret intrepidè is Author, eam deſeri ab omnibus. An credant, noſtrum quemlibet eſſe prudentiorem De Lugo? an hunc virum cordatiſſimum accuſabunt temeritatis?

*Cler*. Non audebunt, ut puto.

*Auct*. At ſine inſigni temeritate dicere nequiit De Lugo, prædictam ſententiam eſſe contra omnes Theologos, ſi eam aliqui præter eum quem impugnat, & multò minùs, ſi non pauci eam propugnaverant, & propugnabant, ut dicunt Adverſarii. Crede mihi, ſe tueri haud facilè poterunt Adverſarii noſtri, quin viros ſapiētiſſimos temeritatis accuſent.

5 Num. 140. benè monet, metum pœnæ ut infligendæ ab homine, non eſſe motivum veræ attritionis, quæ debet eſſe dolor de peccato *non utcunque*, *ſed cum aliquo reſpectu ad Deum*, ex quo reſpectu habet quod ſit *converſio ad Deum ſaltem imperfecta*. Concludit, *attritionem in Sacramento non fieri contritionem*, *niſi quoad æquivalentiam*, *hoc eſt*, *accedente Sacramento attritionem æquivalere contri-*

*tioni in hoc quod ſit diſpoſitio ad gratiam, & quidem ultima ex parte doloris.*

6 Diſp. 7. ſect. 11. num. 196. docet non obligari ſtatim ad contritionem eum, qui peccavit, additque *hanc ſententiam eſſe jam communem omnibus Theologis, uno vel altero recentiore excepto*. Num. 234. docet peccatorem obligari quidem ad contritionem non ſolùm in mortis articulo, ſed etiam antea, hoc tamen tempus non eſſe idem pro omnibus.

7 Sect. 13. fusè tractat eam quæſt. *An ille, qui ſuſcepit Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione cognitâ, debeat adhuc in articulo mortis habere contritionem*. Et reſpondet negativè. Et ad argumentum petitum ex eo quod non eſt omnino certum, ſufficere in Sacramento attritionem cognitam, reſpondet nullum hoc eſſe, nam ſequeretur, quod is in eo articulo, poſt elicitum actum contritionis, teneretur elicere alium actum contritionis, & poſtea alium, nam *certius eſt attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficere ad juſtificationem, quàm ſit primum, & etiam ſecundum actum contritionis, quem infirmus conatus eſt elicere, fuiſſe verum actum contritionis*. Rursùs ſequeretur, quod qui peccavit, teneretur ſtatim conteri propter incertitudinem vitæ, quæ eſt major incertitudine illius ſententiæ, imò teneretur ſtatim confiteri propter incertitudinem veri actus contritionis, quæ incertitudo pariter major eſt incertitudine illius ſententiæ. Ad argumentum verò petitum ex eo, quod probabilis eſt ea ſententia, quæ docet, non ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ attritio-

tritionem, & requiri contritionem, ergo pro eo ſaltem articulo debemus eam ſequi, reſpondet num. 273. quod *ea ſententia probilis non eſt poſt Tridentinum*, ut ſupra etiam dicit, *neque habet fundamenta, quæ ad probabilitatem ſufficiant, imò à multis graviori cenſura notari*. Quæ ( iterum moneo refero tantùm, cùm ad me non ſpectet ſic notare ſententias. ) Non negat tamen num. 276. hunc eſſe in eo articulo aliundè obligatum, nempe ex præcepto charitatis, ad habendum actum dilectionis Dei.

8 Diſp. 15. num. 35. dicens, aliquos obligaſſe ſtatim poſt commiſſum peccatum mortale ad Confeſſionem, ſubdit, *Hæc tamen ſententia communiter rejicitur à Theologis*, & num. 37. *Dicendum eſt, ſecluſo præcepto Eccleſiaſtico, obligare quidem præceptum Confeſſionis in articulo mortis. Extra verò mortis articulum* ( ſubdit num. 39. ) *videtur ſatis juxta intentionem Chriſti, & juxta conditionem hujus præcepti eſſe, quod Eccleſia invigilet, & obliget ſubditos, ne diù negligant, aut differant Confeſſionem: cæterùm immediatè, & per ſe non videtur præceptum Divinum aliquo determinato tempore obligare, niſi radicaliter, quatenus voluit obligare pro tempore ab Eccleſiâ determinando*.

9 Diſp. 16. ſect. 2. docens confitenda eſſe peccata dubia, præmittit hanc explicationem, *dupliciter eſſe poſſe peccatum dubium, primo modo per dubium poſitivum, quando ſcilicet aliquis habet rationes, vel motiva probabilia ad credendum, ſe feciſſe tale peccatum, & ad credendum etiam oppoſitum, vel certè*

*ſaltem habet rationes probabiles ad credendam unam partem, licet ad aliam non habeat. Et in hoc ſenſu* (nempe in eo, quo ego loquor in Francolino Vindicato pag.38.ut dico diſertiſſimè) COMMUNITER DOCENT OMNES, *hunc non teneri ad confitendum illud quod probabiliter judicat ſe, vel non feciſſe, vel non peccaſſe mortaliter in illo, vel confeſſum jam fuiſſe illud.*

10 Diſp. 14. ſect. 10. quærens, an, & quando neganda, vel differenda ſit abſolutio, ob defectum propoſiti efficacis habet quæ ſequuntur.

Num. 149. aſſerit, non benè dici, occaſionem proximam eſſe eam, *qua non poſſumus ſine difficultatę uti abſque peccato*, nam S. Leo dicit, militiam non poſſe, niſi difficillimè exerceri abſque peccato, & tamen S. Jo. Baptiſta, Lucę 3.non obligavit milites, ad deſerendam militiam. Dicit ergo eam eſſe, *qua nunquam, vel ferè nunquam utitur homo, conſideratis circumſtantiis, abſque novo peccato.* Num. 150. &c. *Regula communis, & univerſalis eſt, eum, qui eſt in occaſione proximâ, quam non vult relinquere, non poſſe abſolvi.* Num. 151. &c. *Hæc regula ſolet limitari* 1. *ut poſſit abſolvi pœnitens, quando habet extraordinarium dolorem, & propoſitum: hæc enim faciunt, jam illam non eſſe occaſionem proximam, quia homo ſic armatus fortior multò eſt &c.* 2. *Limitari ſolet, quod poſſit etiam abſolvi non relictâ omnino occaſione, quando proponeret alia media adhibere &c.ut nunquam cum ſolâ colloqui &c.* 3. *Limitatur, quando occaſio relinqui non poteſt abſque*

*ſcan-*

*ſcandalo, gravi infamia, vel detrimento magno ſpirituali, vel temporali &c. tunc enim poteſt pœnitens ſperare Divinum auxilium*. Idque colligit ex reſponſo Pontificio in cap. Conſultationi, de frigid. & malefic. & num. 156. *Circa hanc communem doctrinam ſuperſunt aliqua dubia. Primum eſt. An qui ſępius abſolutus propter grave detrimentum, quod ſequeretur ex remotione occaſionis proximæ, eodem tamen modo ſemper relabitur, nec in eo ulla correctio reperitur, cogendus ſit ſubire illud detrimentum, & relinquere occaſionem illam proximam. Affirmare videntur Suar. &c. Oppoſitam ſententiam docent Vivaldus &c.* cujus ſententiam dicit eſſe veriorem per ſe loquendo, quatenus verè poteſt is cum toto ſuo pręcedenti relapſu habere verum dolorem, & propoſitum, ac emendari, addit tamen hìc, & num. 160. per accidens eſſe veram primam, *quia aliquando ex illa experientia arguetur, pœnitentem carere nunc verò dolore, & propoſito; qui enim efficaciter proponit, & ſeriò rem aliquam, quam aliundè moraliter implere poteſt, non ita facilè obliviſcitur ſtatim ſui propoſiti, ſed ſaltem per aliquod tempus perſeverat, & difficiliùs, vel rariùs cadit &c. quare ex hoc capite poſſet negari, vel differri abſolutio, ut paulò inferiùs dicemus de reincidente &c.*

11 Num. 166. agit de reincidente in eadem peccata poſt multas Confeſſiones abſque ullâ emendatione. *In quo puncto* (inquit) *doctrina communis, & vera eſt*, 1. *Poſſe hunc abſolvi, ſi, non obſtante conſuetudine præterita, judicetur habere verum dolorem,*

 *& pro-*

*& propoſitum. 2. Non poſſe abſolvi, quantumcunque pœnitens dicat, ſe dolere, ſi judicatur non averti ſufficienter à peccato. 3. Ad judicium ferendum de diſpoſitione præſenti deſervire, ſi peculiaria ſigna doloris oſtendit; item ſi jam adhibuit curam aliquam ad conſuetudinem extirpandam. Si nunquam admonitus fuit de mediis adhibendis ad tollendam conſuetudinem: nunc autem admonitus libenter ea ſuſcipit, & proponit adhibere ea media. Denique* ALIQUANDO *utile erit differre abſolutionem per aliquot dies, ut appareat correctio, & obſervatio propoſiti.* IN HOC CONVENIUNT AUCTORES COMMUNITET, *quos refert, & ſequitur Th. San. lib. 2. in Decal. cap. 32. num. 32. num. 45. & lib. 3. cap. 5. num. 18. &c.*

Circa hanc verò dilationem abſolutionis paulò infra num 168. notat hęc in quibus OMNES CONVENIRE dicit. *Primo, poſſe ex conſenſu pœnitentis differri abſolutionem, volenti enim non ſit injuria, atque adeo optimè facturum Confeſſarium, ſi pœnitentem* SUAVITER *alliciat ad conſentiendum. Secundò quando dilatio neceſſaria eſt ad explorandum firmum propoſitum pœnitentis, de quo non ſatis conſtat, poſſe, & debere differri abſolutionem. Tertiò non poſſe licitè differri abſolutionem, quando pœnitens eſt ſufficienter diſpoſitus, & ex dilatione timetur potius damnum ſpirituale, quàm ſperetur utilitas pœnitentis, ut putà, quod tædio affectus non redibit, vel in deſperationem actus, habenas vitiis laxabit. Quartò denique non debere abſolutionem differri*

*abſque*

*abſque aliquâ juſtâ, & rationabili causâ, quæ prudenter dictet, eſſe differendam.*

Inde quærit an *poſſit eſſe cauſa rationabilis differendi abſolutionem abſque conſenſu pœnitentis, licet aliunde credatur probabiliter eſſe nunc diſpoſitus.* Et rejectâ ſententiâ negativa Joannis Sancii, reſpondet num. 169. ex communi ſententiâ poſſe, quando videlicet Confeſſarius *meritò timet, pœnitentem nunc abſolutum facilè relapſurum ſtatim in eadem crimina niſi ipsâ difficultate, & dilatione abſolutionis territus, melius agnoſcat gravitatem peccati, & neceſſitatem emendationis*: in hoc caſu *poterit differre abſolutionem, ut pœnitens utiliter admonitus non maneat in tanto periculo reincidentiæ, quantum aliàs* CERTISSIME *ſubiret*, additque non ſolùm poſſe hoc facere Confeſſarium, ſed debere aliquando ut medici, & non ſolum judicis partes impleat.

12 Hæc ſunt certa, in eo autem diſcrepamus ab Adverſariis, quod hi nimis facilè putant, pœnitentem non eſſe actu diſpoſitum contra regulas hic traditas à Card. de Lugo num. 166. aut nimis facilè credunt, pœnitenti etiam diſpoſito hoc remedium dilationis eſſe neceſſarium, aut utilius, ut emendetur; conſtat enim exqerientia, ſæpiſſimè eſſe noxium tale remedium, cùm præſertim pœnitens repugnat; plerumque enim aut redire non poteſt, aut quamvis poſſit, non redit, victus difficultate redeundi,& minus amans hoc Sacramentum,à quo fuit repulſus, & ideo is Auctor cum reliquis ſupra allegatis monet id *aliquando* faciendum, *aliquando* eſſe uti-

utile, non ſemper, non plerumque, non ſæpè, ſed aliquando, & curandum *ſuaviter*, ut pœnitens conſentiat, non ignorans, eſſe non conſentientibus plerumque noxium, nec eo fieri ſemper, ut pœnitens non redeat ad peccata, ſed fieri ſæpe, ut non redeat ad confeſſionem peccatorum.

13 Diſp. 22. ſect.2. circa obligationem interrogandi pœnitentem. *In primis* (inquit num.14.) *advertendum eſt, apud Summiſtas inveniri plures interrogationes, quas debet Confeſſarius præmittere ante confeſſionem v. g. an fecerit examen diligenter, an &c. Navarrus tamen cap.10. dicit, hoc ſibi olim placuiſſe, ſed jam diſplicere quia &c. Melius probari poteſt*, non eſſe eas interrogationes faciendas, *quia, ut in plurimùm, erunt inutiles, & quia ex ipsâ confeſſione cognoſci illa poſſunt &c. Illud tamen judico utiliſſimum, quod pœnitens ignotus communiter interrogetur initio de tempore elapſo ab ultimâ confeſſione: nam id multum juvat ad numerum peccatorum poſtea melius intelligendum*. Dicit etiam utile eſſe audire eos ipſos qui ſunt indiſpoſiti, *quia ipſa met confeſſione emollietur cor pœnitentis, & concipiet dolorem & propoſitum*, QUO CAREBAT. Et n.20. *Monet prudenter Vaſq. quæſt. 93. art. 3. dub. 7. num. 5. licet ruſtici inveniantur negligenter examinati, non eſſe communiter dimittendos, ut ſe examinent, & redeant, quia de iis præſumitur, licet millies ſe examinent, non fore magis aptos, quàm ſi ab ipſo Confeſſario breviter interrogentur, & examinentur, id quod nos ſupra notavimus diſp.16. ſect.14. num.594.*

*ubi*

*ubi etiam latè probavimus, hoc examen, & interrogationem Confeſſarii debere eſſe juxta regulam prudentiæ, & non metaphyſicè, ſed moraliter, & humano modo, itaut Sacramentum non ſiat onerosum, ſed ſit facilè remedium juxta debilem hominum conditionem, prout à Chriſto fuit inſtitutum.* Ex quâ ratione monet ibidem, *minus diſtinctam notitiam exigi ab eo pœnitente qui vel propter incapacitatem, vel propter morbum, vel propter peccatorum multitudinem, vel aliam ob cauſam difficiliùs poſſet exactam notitiam reddere.*

14 Num. 39. dicit, *Confeſſarium vel proprius ſit, vel delegatus poſſe & debere ſemper ſequi opinionem probabilem pœnitentis*, & hanc dicit eſſe jam *communem ſententiam*.

15 Diſp. 25. circa ſatisfactionem, quærit n. 53. an *Confeſſarius poſſit imponere pœnitentiam abſque præcepto, ſed ſolum liberè & de conſilio implendam*, & quamvis ipſe neget, tamen hanc ſuam ſententiam vocat ſolum *veriorem*, & primam affirmantem dicit tradi à pluribus, & quidem etiam illam, quæ docet abſolutè pœnitentiã poſſe imponi ſine præcepto, non diſtinguens totam à parte, aut etiam aſſerens poſſe totam ſic imponi, de cujus veritate hìc non quæro.

Diſp. 25. circa ſatisfactionem, num. 60. dicit, Confeſſarium in imponenda pœnitentia debere arbitrari prudenter, & obſervare quod monet Trid. ſeſs. 14. cap. 8. ex cujus verbis colligit hanc eſſe materiam obligationis gravis ex genere ſuo, ſubditque. *Olim quidem definitæ erant certæ pœnitentiæ pro cer-*

*tis*

*tis peccatis, quæ habentur in fine decreti, de quibus eſt quæſtio, an fuerint ſolùm pro foro externo, an etiam pro interno. Certum eſt tamen, jam non obſervari, ſed totum hoc relinqui prudentiæ Confeſſarii &c.* Et paulò poſt. *Debet pœnitentia eſſe ſalutaris, & conveniens* (ut dicit Trid. in d. cap.) *hoc eſt primo loco attendi debet ad utilitatem ſpiritualem pœnitentis, ne ſcilicet laquei ipſi injiciantur, ut nova peccata committat. Ex hoc potiſſimum capite excuſari poteſt hodierna praxis, quâ leves pœnitentiæ imponuntur pro graviſſimis peccatis: id enim ſæpe fit propter ſpiritualem infirmitatem pœnitentium, qui gravioribus pœnitentiis ſcandalizabuntur, & vel confeſſionem fugient, vel certè Confeſſarios ineptos adibunt, qui eos curare neſciant. Denique in dubio inclinandum eſt in partem benigniorem, in quâ eſt minùs periculi, quàm in oppoſitâ. Monendi tamen ſunt pœnitentes de inſufficientiâ ſatisfactionis injunctæ, & conſulendus eſt illis uſus indulgentiarum, & aliquando imponendus, ut eâ ratione ſuppleatur defectus propriæ ſatisfactionis.*

## §. XV.

### *Doctrina Vincentii Candidi.*

DUobus poſt Cardinalem de Lugo annis, Vincentius Candidus Ord. Prædic. S. T. Mag. S. Rom. & Univ. Inquiſ. Qualificator, & Pontificius in Urbe Pœnitentiarius duos Diſquiſitionum Moralium tomos publici juris fecit, & pro ſcientiâ

mora-

morali, quâ præſtitit, pro munere Pœnitentiarii quod gerebat, & Magiſtri Sacri Palatii, quod poſtea geſſit, meretur teſtimonio ſuo confirmare, quæ tunc in Urbe circa Sacramentum Pœnitentiæ doctrina tuta & communis haberetur, quæ praxis eſſet tanquam certa & communi etiam ipſa ſuffragio recepta.

1 Is autem tom. 2. in quo fusè de Sacr. Pœnit. diſquiſ. 24. art. 11. dubit. 2. ſic habet. *Certiſſimum eſt, quod attritio, quæ concipitur ex gehennæ, & pœnarum metu, vel ex damno ſpirituali amiſſionis beatitudinis, & gratiæ, vel ex aliquo æterno motivo, quantum ad omnia ſit ſupernaturalis, donum Dei, & ſufficiens diſpoſitio nedum ad valorem Sacramenti, ſed etiam conjuncta cum Sacramento ad gratiam conſequendam*, idque centies repetit in hoc tractatu tanquam à nemine jam vocatum in controverſiam. Hinc paulò poſt num.7. reſpondens objectioni petitæ ex eo quod omnes dicunt *Contritionem* eſſe partem eſſentialem hujus Sacramenti ſic dicit, *Reſpondetur, quod, dum hoc inquiunt Concilia & Doctores, nomine contritionis intelligunt contritionem perfectam, vel imperfectam, quæ eſt attritio, quæ cum Sacramento ſufficit ad gratiam ſuſcipiendam*, UT EXPRESSE HABETUR IN CONCILIO TRIDENTINO SESS.14. CAP.4. Semper autem nomine attritionis ſignificat dolorem omnis charitatis expertem, & conceptum vel propter gehennam, vel propter turpitudinem peccati. *Differt ſpecie* (inquit art.15. dubit.1.) *contritio ab attritio-*

*ne,*

*ne, quia illa habet pro objecto peccatum, ut eſt malum, & offenſa Dei, hæc verò peccatum deteſtatur propter pœnas gehennæ, vel ejus fœditatem.* Omni autem contritioni conceptæ ex eo, quod peccatum eſt offenſa Dei, vim attribuit expellendi per ſe peccatum lethale, ut patet ex locis innumeris, in quibus agit de hac contritione, & præſertim art. 19. Addit art. 12. prædictam attritionem etiam cognitam ſufficere in hoc Sacramento ad valorem & fructum.

2 Art. 27. dubitat. 8. negat, cogi Confeſſarium negare abſolutionem ex ſolo capite ſæpius commiſſi gravis peccati, cùm videlicet non proxima occaſio, ſed fragilitas, & prava conſuetudo impellit in tale peccatum, additque. *Poteſt tamen Confeſſarius aliquando differre abſolutionem, non in caſu neceſſario, ſed utili, ut pœnitens cum majori propoſito proponat evitare hæc turpia peccata.*

3 Art. 31. circa onus injungendi, acceptandi, & implendi pœnitentias docet quidem, *Confeſſarium per ſe loquendo teneri ſub culpâ lethali ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam injungere*, eamque per modum præcepti, & non per modum conſilii, nec habendum ut diſpoſitum eum pœnitentem, qui habet animum nullam pœnitentiam acceptandi, ſed docet etiam quæ ſequuntur. Et 1. dubit. 14. dicit. *Uſu in Eccleſia receptum eſt, ut modicæ pœnitentibus ſatisfactiones in particulari injungantur, quia id, in quo deficiunt pœnitentiæ in particulari injunctæ, per bona opera generaliter injuncta*, nempè per ea verba,

ba, *quidquid boni feceris &c.* ſuppletur. 2. Dubit. 17. docet, propter peccata occulta non debere à Confeſſario injungi pœnitentiam publicam. 3. Ibidem, *non eſſe obligandum pęnitentem ad pœnitentiam publicam, ſi habeat rationabilem cauſam eam non acceptandi, & illa non ſit neceſſaria ad ſedandum aliquod ſcandalum, vel ſatisfaciendum Eccleſiæ in crimine publico & notorio &c.* 4. Docet dubit. 19. Nunquam *Sacerdotem graviter erraturum imponendo pœnitentibus remiſſiores, & leviores pœnitentias, attentâ eorum impotentiâ, vel fragilitate, vel debilitate corporis, vel animi, ſpirituſque languore, & tepore; quia Sacerdotes ſemper debent in mitiorem partem inclinare, & condeſcendere pœnitentibus, inque hoc minus periculi eſſe, quam ſi gravioribus pęnitentiis homines deterreantur, vel in deſperationem inducantur &c.* 5. Docet art. 32. *Non ſolum æqualem, ſed etiam inferiorem Confeſſarium poſſe ex juſta causa pęnitentiam à ſuo Superiore impoſitam minuere, vel commutare*, quamvis pœnitentia fuerit *pro reſervatis* impoſita, *juſtam autem cauſam commutandæ pęnitentiæ eſſe neceſſitatem, vel notabilem utilitatem, vel difficultatem pęnitentis in præſtanda pęnitentia, vel oblivionem pęnitentiæ aliàs injunctæ*. Hæc aliaque æquè benigna, aut etiam benigniora docet Candidus.

## §. XVI.

### *Doctrina Joannis à S. Thoma.*

EOdem tempore, quo editæ fuere prædictæ Diſquiſitiones Morales Candidi, publicum, regium-

giumque in Complutenſi Academia Sacræ Theologiæ profeſſorem agebat Joannes à S. Thoma cum ingenti laude, non doctrinæ dumtaxat, quam abunde patefaciunt ejus ſcripta Theologica poſt mortem Authoris edita, ſed virtutum omnium, quas brevi quidem, ſed eleganti narratione complexus eſt qui ejus Vitæ Synopſim compoſuit ultimo hujus Doctoris tomo, qui eſt de Sacramentis, præfixam, quibus profectò virtutibus Joannes in munere, quod poſtea geſſit, ſupremi Hiſpaniarum Senatus fidei Cenſoris, & Regii Confeſſarii, Chriſtianæ Reipublicæ, & Religioni mirificè profuit. Illud potiſſimùm hìc à me memorandum eſt, quod rogatus à piiſſimo Rege, & verè Catholico Philippo IV. ut facilem ſibi methodum ineuendæ confeſſionis generalis præſcriberet, breve *hac de re ſcripſit*, *Regique inſcripſit*, *ac tranſmiſit opuſculum verè forti pectore dignum*, *& integro viro*, *quem nec Aulæ artes*, *& blanditiæ frangere poſſent*, *nec primorum potentia*, *& authoritas à ſuo munere deterreret*. Id opuſculum reperies in calce Voluminis, quod aliquos hujus Doctoris tractatus complectitur quorum primus eſt Compendium totius doctrinæ Chriſtianæ. Hæc præfari libuit, ut quæ ex ejus libris excerpam, non accipias, ut hominis aulici, ſed ut ſeveri Theologi, fortiſque Cenſoris doctrinam.

1 In his, quas dicebam, diſputationibus de Sacramentis diſp. 24. quæſt.62. art.1. dub.3. ſusè probat, ſufficere in Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ attritionem, & in decurſu probationis, ſic habet,

bet, *Contritio ſemper eſt conjuncta cum gratia, & charitate*, unde infert non eſſe eam neceſſariam in his Sacramentis,& paulò poſt allegatis verbis Conc. Trid. ſeſs. 14. cap.4. quibus dicitur, quod quamvis attritio ſine Sacramento Pœnit. per ſe perducere ad juſtificationem nequeat, tamen ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam diſponit, infert, *Igitur ſecundum mentem Concilii attritio eſt ſufficiens diſpoſitio ad impetrandam gratiam Dei in Sacramento, atque adeo ut homo juſtificetur*.

2 Hanc autem doctrinam tanquam certiſſimam, & tutiſſimam tradidit etiam in Compendio totius Doctrinæ Chriſtianæ,cujus memini ſupra cap.3. §.4. poſt num.12. ex qua etiam intelliges quid intellexerit nomine contritionis, & attritionis ſiquidem parte 1. cap. 9. de Sacram. §.1. interroganti diſcipulo, *ſufficit-ne qualiſcunque dolor aut diſplicentia ad remiſſionem peccati?* Sic reſpondet. *Vera contritio conjuncta charitati per ſe ſolam ſufficit etiam ante receptionem Sacramenti ad remiſſionem peccatorum, ſed cum deſiderio, & obligatione confitendi. Attritio ſe ſola non ſufficit, niſi adjuncta Sacramento*. Poſtea verò iterum interroganti diſcipulo. *Quænam verſatur differentia inter contritionem, & attritionem*, ſic reſpondet. *Tota differentia naſcitur ex motivis, quia contritio deteſtatur peccatum, & dolet quod illud commiſerit cum propoſito de cætero non peccandi, quia peccatum eſt offenſa Dei, quem tenetur amare ſuper omnia, eique placere ſuper omnia. Attritio deteſtatur peccatum, quia eſt nocivum peccanti in ſpiritua-*

*ritualibus, timetque damnari ad pęnas Inferni, & perdere Cœlum, atque ita differentia, quæ eſt inter amorem, & timorem, diſtinguit horum actuum motiva, & principia, ex quibus naſcuntur.*

3 Paulò poſt docens, non ſatis eſſe quod quis doleat de peccato, *quia eſt nocivum honori, ſanitati &c.* ac debere attritionem eſſe ſupernaturalem, ideſt (ut explicat) *fundatam in fide ſupernaturali*, dicit quod peccator *cognoſcens ſummam Dei juſtitiam timet incidere in ſupplicia adeo horrenda, & timet, ac deteſtatur omne illud, quod poſſet eſſe cauſa meritoria eorundem, nimirum culpam peccati.* Nota ly *omne illud &c.* ac proinde deteſtatur non ſolùm peccatum externum, ſed omne peccatum, omnemque voluntatem peccaminoſam: nec illi venit in mentem dubitare, an quis ex ſolo metu poſſit à ſe excludere & abjicere omnem pravam voluntatem.

4 In prædicto tract. de Sacram. diſp. 33. de Sacr. Pœnit. art. 3. ſententiam dicentium in Sacramento Pœnitentiæ eſſe neceſſariam contritionem perfectam, & per eam cum voto Sacramenti reconciliari pęnitentem ante ipſam abſolutionem, refellit multis argumentis, quorum ultimum petit ex eo, *quod non ampliùs conduceret confeſſio, & abſolutio ad delenda peccata, quàm cujuslibet alteriùs præcepti obſervantia, cum contritio ſit omnium præceptorum votum. Unde indiſcriminatim verificaretur, quod remitterentur peccata per ſolutionem decimarum in voto, vel obſervantiam feſtorum in voto &c. ac per confeſſionem in voto.* Quibus confirmatur meum argumen-

gumentum, quod alibi confeci contra recentiſſimum Scriptorem recurrentem ad hoc votum Sacramenti, perinde ac ſi in prædicta ſententia exigente contritionem perfectam, per hujuſmodi votum, in tuto ſit doctrina Catholica docens Sacramentum Baptiſmi & pœnitentiæ inſtitutum eſſe ad reconciliandos peccatores, eoque vere reconciliari peccatores.

5 Diſp. 34. art. 4. ſic docet. *Quando quis cognoſcit ſe nihil ſupernaturalitatis habuiſſe in dolore, tenetur confeſſionem repetere, quod tamen rariſſimè continget, quia ſemper judicandum eſt de ſupernaturalitate penès motiva &c. neque eſt unde timeatur, aut inquietentur conſcientiæ, an habeant, vel non habeant fidem ſupernaturalem*, ex qua pendet quod attritio ſit ſupernaturalis. Quibus confirmatur, quod alibi dixi aſſignans rationem, cur non quæramus à pœnitente qui dolet de peccatis, an doleat ex motivo ſupernaturali, quamvis is dolor ſit omninò neceſſarius.

6 Diſp. 33. art. 4. quærit, *an peccatum dubium ſit materia neceſſaria pœnitentiæ*, an videlicet ſit neceſſariò confitendum, & reſpondet ſic diſtinguendo. *Dubium contingit dupliciter. Primò enim oriri poteſt ex motivo poſitivo. Secundò ex negativo. Quando enim quis dubitat ſe commiſiſſe tale peccatum, poſſunt eſſe rationes, & motiva ſuadentia caſum, & aliæ rationes ſuadentes oppoſitum: vel tandem ſunt rationes moventes ad dubitandum pro altera tantum parte. Si ergo ſit judicium probabile ſuadens homini*

*ſe non feciſſe peccatum, vel, ſi fecit, non peccaſſe mortaliter, vel ſi ſit mortale, ſe jam confeſſum eſſe, non eſt obligatio ad confitendum hujuſmodi peccatum dubium. Hoc enim commune eſt in qualibet materia. Nam poteſt quis ſequi judicium* PROBABILE. *Si verò judicium ſuadet ſe feciſſe peccatum mortale, & non præceſſiſſe illius confeſſionem, neque adſit motivum ſuadens oppoſitum, tunc eſt obligatio confitendi peccatum dubium, cum nullum ſit* PROBABILE *judicium liberans à tali obligatione.* Quæ confirmant doctrinam de uſu opinionis probabilis, & quæ alibi docui circa confeſſionem peccati dubii.

7 In prædicto compendio doctrinæ Chriſtianæ, nempè doctrinæ propoſitæ, tanquam certæ ac tutæ, parte 1. cap. 9. de Sacram. Pœnit. §. 1. quærenti diſcipulo, *Qui reincidit poſt peccata confeſſa, & ſæpiùs reiterat eadem, habet-ne verum dolorem?* Reſpondet ſic, *Reincidentia non obſtat, quin verus ſit dolor confitentis, dummodo non perſeveret in illo propoſitum peccandi, neque habeat occaſionem proximam peccati: poteſt itaque contingere peccatorem ſæpiùs labi in eadem peccata, & tamen verum habere dolorem, idcircò enim dixit Salvator noſter Petro, quod non ſolùm ſepties, ſed etiam ſeptuagies ſepties dimitteret. Verum tamen eſt, quod frequens reiteratio eorundem peccatorum, aut reincidentia realis, & opere externo completa ſit ſignum infirmæ, & inconſtantis voluntatis, qua peccatum deteſtatus eſt pœnitens, & timeri poteſt, ne ſit inefficax.*

Nota ſingula verba. Et 1. non agit de quacunque

que reiteratione, ſed de frequenti, & eorumdem peccatorum, & reali, & opere externo completa. 2. Non illico pronunciat, eam eſſe ſignum, quod defuit dolor, ſed eſſe ſignum infirmæ, & inconſtantis voluntatis. 3. Non ſtatim dicit eſſe differendam abſolutionem, ſed ſolùm poſſe timeri, ne dolor ſit inefficax, ex quo timore non ſequitur, quod ſit ſemper differenda abſolutio, ſed quod ſit cautè procedendum, & expendendæ circumſtantiæ, præſertim illæ, an qui recidit, ſit conatus non relabi, an ſit minùs relapſus, an præbeat ſpecialia ſigna doloris, an poſſit ſperari emendatio, ut expenſis omnibus aliquando differatur, aliquando non differatur abſolutio, hinc Author ne unum verbum habet de abſolutionis dilatione, quia videlicet non eſt hoc ordinarium, & veluti firmatum ſtata lege remedium contra relapſum.

8 Eodem cap. 9. §. 3. Interroganti diſcipulo, *Quare modò non injunguntur antiquæ illæ pœnæ Canonum qui vel tot annos, vel tot dies pœnitentiæ etiam graviſſimæ cum magna auſteritate exequendæ ſtatuebant?* Reſpondet, *Quia illæ magis erant pro publico, & non pro confeſſione ſacramentali ſecreta: nam ſi ad eum modum imponerentur pœnitentiæ exteriores, poſſet manifeſtari peccatum in confeſſione revelatum, quod foret contra ſecretum Sacramenti, ac proinde pœnitentia, quæ injungitur à Confeſſario, eſt ſecreta, & arbitraria. Attamen æquum eſt, ut moneatur pœnitens de gravitate pœnæ, quam peccatum etiam in hac vita mereretur, ſi ſecundùm Canones*

*pro illo pœnitentia ageretur*. Et paulò poſt. *Quaſi ſemper pœnitentiæ, quæ injunguntur à Confeſſariis, ſunt valde inæquales, & improportionatæ pœnis, quas peccata condignè promerentur*: quem morem nullo modo improbat, imò potiùs approbat, & ſubdit. *Cæterùm quod reſtat pęnæ, compenſat pęnitens bonis operibus, quæ exercet cum gratia Dei, & multum relaxatur per Indulgentias, quas quis lucratur, & tandem etiam in Purgatorio multum expiatur, ſicut etiam per ſacrificium Miſſæ &c.* Hæc Joannes à S. Thoma ſatis benignè.

## §. XVII.

### *Doctrina Raphaelis de Averſa.*

ANno hujus ſæculi 42. Tractatum Theologicum, & Moralem de Sacramento, & Virtute pœnitentiæ edidit Bononiæ Raphael Averſa Ordinis Clericorum Regularium Minorum, inter primos hujus ævi in Italia Doctores meritò numerandus, & à me, eo etiam nomine, conſulendus, quod in primi tomi præfatione ad Lectorem profitetur, *in controverſiis dirimendis tutiorem ſe partem eligere*.

1 De Pœnitentia quæſt. 2. ſect. 10. docet, uti COMMUNIS, ET CERTA *ſententia eſt ad veram pœnitentiam non requiri ullam certam intenſionem, vel durationem actus, quinimò in quavis exigua intenſione, ac etiam in inſtanti ſalvari legitimam pœnitentiam de peccatis* APTAM AD REMISSIONEM.

NEM. Inter ea quę poſtea affert ad id probandum, eſt hoc, quod *alioqui debuiſſet certè hominibus promulgari, quanta duratio, vel intenſio pœnitentiæ eſſet iis neceſſaria, ad hoc ut ſcirent legitimum ſuæ ſalutis remedium*. Igitur is Doctor, ex certa & communi ſententia, ut ipſe dicit, non exigit in contritione perfecta, & reconciliante charitatem ingentem: quin infra nec exigit charitatem: ſic enim habet.

2 Quæſt. 3. ſect. 5. *dico* 1. *Pœnitentia de peccatis ex motivo formali charitatis, & dilectionis Dei, eſt perfectiſſima contritio, de qua maximè verificatur, quod ſit proxima diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem &c. Dico* 2. *Pœnitentia de peccatis ex motivo juſtitiæ, vel alio ſimili propter Deum probabiliter videtur etiam ſufficiens in ratione ultimæ, ac proximæ diſpoſitionis ad juſtificandum peccatorem*, quod fusè probat, & oſtendit hanc etiam pœnitentiam, quæ eſt ex ſolo motivo juſtitiæ, aut alterius ſimilis virtutis, eſſe pœnitentiam de peccato, prout eſt offenſa Dei, ſeu propter Deum.

3 Quæſt. 11. ſect. 4. præmiſſa definitione *contritionis perfectæ*, quam dicit eſſe eam, quæ *deteſtatur peccatum ob ſupremum motivum, propter Deum* (eo ſenſu quo dictum eſt) & attritionis, quam dicit eſſe eam, *quæ deteſtatur peccatum ob aliquod aliud inferius motivum, videlicet ob turpitudinem peccati, vel ob pœnam illius*, docet, in Sacramento Pœnitentiæ *ſufficere attritionem etiam cognitam, ad recipiendam abſolutionem, & gratiam ſa-*

*cramentalem*, & hanc ſententiam dicit eſſe tutam præſertim poſt Tridentinum. Et quidem quamvis fuſiſſimè Doctores in utramque partem alleget, & non paucos afferat exigentes contritionem putatam, nullum præter Sylvium, de quo agemus poſtea, Doctorem, qui ſcripſerit poſt Tridentinum, allegat exigentem veram, & realem contritionem; adeò communis in tota Eccleſia fuit à Concilio celebrato uſque ad medium ferè proximum ſæculum noſtra ſententia. Sectione ſequ. explicans, qualis debeat eſſe hæc attritio, & loquens de ea, quæ eſt ex gehennæ, & pœnarum metu, & non ex alio motivo, dicit, *is modus attritionis ab omnibus Doctoribus, qui concedunt attritionem ſufficere, ſupponitur eſſe in Confeſſione idoneus, & ſufficiens*, quia videlicet id omnes potiſſimùm ſignificabant nomine Attritionis.

4 Quæſt. 16. ſect. 12. *Regula communis eſt, teneri Confeſſarium per ſe loquendo ſtatim abſolutionem impendere, nec licitè poſſe differre: quia nempè pœnitens juſtè exigere poteſt, ut completa jam Confeſſione, & exhibita ſufficienti diſpoſitione, non relinquatur ſuſpenſus, nec denuo redire cogatur. Benè tamen ex juſta, & rationabili cauſa poteſt* INTERDUM *Confeſſarius abſolutionem ad aliquod* MODICUM *tempus differre, non ſolùm ex conſenſu ejuſdem pœnitentis, quia ſcienti, & volenti non fit injuria, ſed abſolutè ex determinatione ipſius Confeſſarii*. Idque poſtea non ſolum poſſe fieri à Confeſſario, ſed interdum debere, dicit. Sed præterquam quod id *interdum*, & *ad modicum tempus* facien-

faciendum, dicit, & non paſſim, ac in longum tempus, ut faciunt Adverſarii, monet in fine, *Advertere debet Confeſſarius, ne indiſcretè abſolutionem differat, quando pœnitens ob comitatum ſuorum eſt in neceſſitate quadam communicandi, aut quando timetur forte non rediturus, & in plura, ac majora peccata potius relapſurus*: tunc enim, vult diſponi, qui videbatur fortè non ſatis diſpoſitus, aut, ſi erat diſpoſitus, aliis remediis juvari, ut alibi docet.

5 Quæſt. 13. ſect. 3. concedit, poſſe aliquando Confeſſarium injungere pœnitenti, *ut* ALIQUA VICE *ceſſet à communione, utpotè ad acquirendam majorem reverentiam, & ut deinceps majori cum deſiderio, ac præparatione ſuſcipiatur ſacra communio: ad emendationem, & correctionem aliquarum imperfectionum, vel culparum &c.* ſed ſubdit, *Fatendum tamen eſt, debere Confeſſarios in hac re eſſe valdè circumſpectos, & parcos: ac interdum potius per modum conſilii, & exhortationis, quàm per modum præcepti, & ſatisfactionis, hujuſmodi ceſſationem injungere.*

6 Poſtea in eadem ſect. docet, poſſe etiam injungi pœnitenti *alias Confeſſiones faciendas*, idque probat ex praxi, additque *hanc cenſeri valde utilem pœnitentiam ad curandas pravas conſuetudines, & impediendam reincidentiam peccatorum*. Similiter dicit, poſſe injungi communionem, idque etiam utiliter fieri dicit, *Frequens enim, & conſuetum eſt, ut Confeſſarii hoc genus ſatisfactionis injungant, quod & ſolet eſſe valdè utile, & opportunum*. Hæc enim

tunc

tunc erat communis Doctorum perſuaſio, frequenti uſu, non autem longa dilatione Sacramentorum muniendos eſſe pœnitentes contra relapſum.

7 Demum quamvis fusè probet, per Indulgentias non tolli obligationem in Confeſſariis imponendi, & in pœnitentibus peragendi pœnitentias, ubique tamen ſupponit, imponi pœnitentias valdè moderatas, imò ſub finem prædictæ ſect. 13. *Debet* (inquit) *diligenter advertere Confeſſarius, ut ſingulis injungat talia opera, quæ ab iis poſſint commodè adimpleri*.

## §. XVIII.

### *Doctrina Cardinalis Brancati, & Bartholomæi Manſtrii.*

CIrca idem tempus, nempe paulò ſupra, aut paulò infra medium hoc ſæculum, Theologicas cathedras moderabantur duo celebres Scotiſtæ; alter eruditione canonica, & poſtea dignitate præclarus, is fuit Laurentius Brancatus de Laurea S. R. E. Cardinalis, alter ingenii acumine, & profunditate doctrinæ commendatus, is fuit Bartholomæus Manſtrius, quamvis utrique aliquãto poſt ſuos Theologicos Commentarios, vel Diſputationes in libros ſententiarum ediderint. Cum verò ambo in media Italia, & primus in ipſo Romano Archigymnaſio cum approbatione, & laude legerint, omitti à me minimè debuerunt.

1 Laurentius Brancatus in 4. tom. 2. diſput. 8. art. 6.

art. 6. & 7. loquens de contritione, quæ ſufficit per ſe ad remiſſionem peccati, quam poſtea, nempè art. 13. dicit ſemper conjungi cum gratia, & charitate, nullam aut gradus intentionem, aut extenſionem durationis in ea exigit. Imò art. 8. nec exigit, ut profluat ex charitate, unde num. 162. Adverſario objicienti, *Actus contritionis debet eſſe ex fine charitatis*, quia debet eſſe de peccato quatenus eſt contra Deum ſuper omnia diligendum, reſpondet, diſtinguo ant. *ſemper nego, aliquando, & ſæpè concedo. Ad Probationem reſpondeo per idem, nam ut ſit contritio, ſufficit, ſi fiat ex alio fine, quatenus ſcilicet peccatum eſt à Deo averſivum, eſt injuria, & offenſa ejus, qui debet ſuper omnia coli, & ejus mandatis obediri*; quam eſſe doctrinam Scoti, aliorumque nobilium Scotiſtarum, dixi, cùm de Scoto agerem. Adeò verum eſt, nec à Scoto, nec ab ejus doctrinæ propugnatoribus exigi, ut attritio neceſſaria in Sacramento procedat ex charitate, & adeò verum eſt poſſe odio haberi peccatum, ut eſt offenſa Dei, ut iidem concedunt, debere odio haberi ab habente contritionem, quin odio habeatur ex charitate, quæ tamen duo à noſtris Adverſariis inſeparabilia putantur.

2 Hinc diſp. 9. art. 3. num. 89. *Attritio* (inquit) *differt à contritione, quia attritio eſt, vel ex motivo turpitudinis peccati, vel ex motivo pœnarum: contritio verò ex motivo nobiliori, quia ſcilicet eſt de peccato, ut eſt offenſa Dei*, nempe, ut eſt injuria Dei, ſeu contra jus Divinum, vel contra cultum, aut obedien-

dientiam ei debitam, ut ſupra dicit, & infra præſertim num.102. Igitur cum infra agit de attritione, agit ſemper de attritione, ut eſt pœnitentia ex ſolo motivo turpitudinis peccati, vel pœnarum, non verò ut eſt dolor ullo modo conceptus ex charitate, quod etiam exprimit aliquando.

3 Tom. 1. in 4. ſent. diſp. 14. art. 2. agens de Baptiſmo, ſic habet num. 32. *Dico 2. Actus pœnitentiæ, requiſitus in adulto ad recipiendum rem Baptiſmi, non debet neceſſariò eſſe contritio, ſed ſufficit, ſi ſit attritio*, quod probat pluribus, & etiam paritate Sacramenti Pœnitentiæ. *In Sacramento Pœnitentiæ* (inquit) *ſufficit attritio, ergo etiam in Baptiſmo*, & num.40. in fine, *Concilium Trid. ſeſs. 14. cap. attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficere docet*, unde infert eam ſufficere etiam in Baptiſmo, eam inquam ut eſt pœnitentia de peccato *non quatenus eſt offenſivum Dei, ſed quatenus inducit damnationem*, ut ibidem dicit. Et num. 41. refellit requirentes contritionem ſaltem putatam. Num. autem 42. fusè probat, non exigi à Scoto contritionem, ſeu dolorem peccati, ut eſt offenſa Dei.

4 Tomo verò 2. diſp.14.art.8. non ſolum docet abſolutè ſufficere attritionem prædictam in Sacramento Pœnitentiæ,ſed addit ſufficere etiam in morte: ſic enim num. 219. *Dico 3. in articulo mortis non ſolùm ſufficit ad ſalutem perfecta pœnitentia, ideſt contritio, ſed etiam attritio, dummodo ſit conjuncta cum Sacramento Pœnitentiæ &c. Prob. ex Conc. Trid. ſeſs.14. cap.4. docente clarè, attritionem*

*cum*

*cum Sacramento diſponere ad impetrandam Dei gratiam. Prob. 2. Si in eo caſu attritio cum Sacramento non ſufficeret, neque in aliis temporibus ſufficeret. Sed hoc eſt contra decretum Concilii. Ergo*. Sic autem dicit id eſſe contra decretum Concilii, ut nec dubitari de oppoſito poſſit. Num. 221. *Dico ultimo. Etiam attritio cognita cum Sacramento ſufficit ad ſalutem in mortis articulo.* Tandem num. 232. ita ſibi objicit. *Non eſt ita certum hominem juſtificari per attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ, ſicuti eſt certum juſtificari per contritionem. Ergo ne exponatur periculo damnationis dicendum eſt eam non ſufficere*. Sic autem reſpondet. *Reſp. antecedens eſſe contra Concilium Trid. in ſeſs. 14. cap. 4. ubi ſic habet, illam verò contritionem &c. Hæc ſunt verba Concilii, quam ſententiam Scotus docuerat loco cit. in concl. 3.* MIROR *ergo, Theologos quoſdam poſt Tridentinum docere, non ſufficere attritionem cognitam in articulo mortis &c.* Nimirum tunc nullus negabat ſufficere attritionem cognitam, ſolum aliqui negabant, eam ſufficere in articulo mortis. Ad hanc inſtantiam verò, quam immediatè ſubdit, *Dari poteſt caſus quod pœnitens ſit talis ſententiæ, quod ſcilicet non ſufficiat tale remedium, puta attritio cum Sacramento*, reſpondet. *Contra. Vel ſententia conſiſtit in hoc, quod dicat, attritionem cum Sacramento non juſtificare, & hæc* UT PATET EST HÆRETICA; *& quivis tenetur eam conſcientiam deponere; eſt enim immediatè contra Concilium:* Has cenſuras non fero, ſed refero latas

ab

ab eo Theologo, qui ex doctrina præſertim canonica, ad quam hæc explicatio Concilii pertinet, fuit ad purpuram evectus, quique hoc modo ſcribere auſus proculdubio non fuiſſet, niſi tunc vidiſſet, Doctores omnes in hanc attritionis, ſaltem extra articulum mortis, ſufficientiam, tanquam in rem certiſſimam & in Conc. Tridentino contentam conſentire, ex ejus autem ſufficientia extra articulum mortis infert aliam concluſionem, non ita certam, & in quam non conſentiebant omnes, nempè eam etiam in morte ſufficere.

5 Circa tempus, quo obligat præceptum Divinum confitendi, docet eod. tom.3. diſp.23. art.6. eo peccatorem obligari per ſe, ſolùm *in articulo mortis, & in qualibet occaſione in qua timetur de morte, ut in bello ante aggreſſum, ante longam navigationem &c.* Dixi *per ſe*, nam per accidens obligatur etiam in aliis caſibus.

6 Circa ſatisfactionem eodem tom. 3. diſp. 22. art.6. Docet 1. ad validitatem Sacramenti ſufficere, ſi imponatur quævis pœnitentia licet exigua, quod probat ex ratione, & etiam *ex praxi*: *nam* (inquit) *de facto interdum pro graviſſimis peccatis leviſſimæ imponuntur ſatisfactiones, neque proindè iterantur confeſſiones, neque hoc monetur, aut præcipitur ab Eccleſia*. Docet 2. *menſuram ſatisfactionis imponendæ eſſe in arbitrio Confeſſarii*, quod probat pariter *ex praxi totius Eccleſiæ, in qua Sacerdotes ex arbitrio ſuo injungunt ſatisfactiones &c. Et ſi aliqua non acceptetur à pœnitente, imponunt aliam; &, ſi alicui*

*cui gravior eſſet imponenda, imponunt mitiorem, imò ad ſic faciendum monentur, ut ſcilicet cum charitate imponant.* Bene tamen addit, ex Trid. teneri Confeſſarium *curare, quantum poteſt, ut ſatisfactio ſit proportionata peccatis.* Sed iterum addit, *multa eſſe capita, & motiva, quæ permittunt, ut Confeſſor licitè imponat ſatisfactiones ſine menſura proportionis cum peccatis, ſive in quantitate, ſive in qualitate* nempè *ſi pœnitens ſit impotens, debilis, indiſpoſitus, valde contritus &c.*

Hæc pauca afferre volui, ut intelligas, hunc Doctorem cæteroqui rigidum in multis ſententiis, in iis tamen, quæ pertinent ad noſtras controverſias, non ſolùm conſentire cum reliquis Doctoribus, quos attuli, ſed teſtari etiam, hanc fuiſſe, quam dicimus, communem Eccleſiæ perſuaſionem, & praxim.

7 Manſtrius in 4. ſentent. diſp. 2. quæſt. 5. n. 128. *Dicendum eſt*, inquit, *ad effectum Baptiſmi conſequendum, ſcilicet gratiam, neceſſariam non eſſe pœnitentiam, quæ ſit vera, vel ſaltem putata contritio, ſed ſufficere attritionem etiam cognitam, ut talem, quæ nempè vel ex conſideratione turpitudinis peccatorum, vel ex metu gehennæ, vel ex amiſſione gloriæ Cœleſtis exoritur.* Quod probat ex Concilio Trid. & confirmat ratione, quia, ſi requireretur contritio, fruſtra eſſet inſtitutus Baptiſmus, nam contritio ſine Baptiſmo remittit peccatum, ſupponens videlicet tanquam certiſſimum, & indubitatum, omnem contritionem habere hanc vim remittendi peccatum,

catum, vel ſit intenſa, vel remiſſa: niſi enim id ſupponatur, argumentum eſſet evidenter invalidum.

8 Quia verò Adverſarii dicunt, *Baptiſmum non fuiſſe fruſtra inſtitutum, quia contritio illum effectum non confert, niſi quatenus includit votum Baptiſmi*, reponit, per hoc, argumentum non ſolvi, *quia contritio non magis includit votum Baptiſmi, quam reſtitutionis, aut alterius præcepti obligantis; is enim verè conteritur, qui dolet ſe offendiſſe Deum, & habet generale propoſitum ſervandi deinceps omnia Divina præcepta occurrentia non ſolum Baptiſmi, ſed etiam reſtitutionis, & alia omnia: ſicut ergo non cenſetur contritio conferre gratiam vi reſtitutionis, aut alterius præcepti, ita nec vi Baptiſmi &c. Deinde ſi ad Baptiſmum requireretur contritio, nullum beneficium in lege gratiæ fuiſſet hominibus allatum virtute Baptiſmi, imò pejoris modo conditionis eſſent, quam in antiqua lege; illi ſiquidem ſola contritione juſtificabantur, nunc autem in lege Evangelica præter contritionem, Sacramentis indigeremus &c.* Quibus præcluditur Adverſariis illud effugium voti Baptiſmi, & confirmatur quod dicebam, nempè perſuaſum hunc Doctorem fuiſſe, quod omnis contritio quamvis remiſſa deleat omnem culpam, ac proinde exigi ab Adverſariis in Baptiſmo contritionem, ſe ſolâ, juſtificantem, dum exigitur contritio. Et quia hoc argumento utuntur omnes, uti etiam eo, quod alioquin Baptiſmus non eſſet pro adultis qui lapſi ſunt, Sacramentum mortuorum, ſit palam, omnes habuiſſe tanquam certum, & indubitatum,

quod

quod omnis contritio, non verò ea ſola, quæ eſt intenſa, & magna, remittit culpam.

9 Diſp. 5. de Pœnit. Sacram. & Virt. quæſt. 5. art. 1. fusè probat, ut dixi, ubi propoſui doctrinam Scoti, de ratione contritionis, quæ per ſe ſufficit ad juſtificationem, non eſſe, ut concipiatur ex motivo charitatis, & ſatis eſſe, quod concipiatur ex motivo juſtitiæ, nempè ſatisfaciendi Deo, vel conſequendi remiſſionem peccatorum: adeò non exigit charitatem in ea imperfectiori contritione, quæ eſt neceſſaria in Sacramento.

10 Art. 2. num. 101. dicit, *ad veram contritionem non requiri intenſionem*, & paulò poſt, *contritio quantumvis remiſſa, dummodo ſit vera contritio* (nempè ea quam definivit antea, concepta vel ex motivo charitatis, vel juſtitiæ, vel alio ſimili, quæ ibi percenſet) *peccatum tollit*.

11 Art. 3. num 117. concedit, requiri per ſe loquendo & regulariter in contritione prædicta votum explicitum & formale Baptiſmi, uti etiam confeſſionis, dicit tamen aliquando ſufficere votum implicitum *contentum in voluntate confuſa adhibendi media inſtituta ad juſtificationem*, idque probat.

12 Quæſt. 6. ejuſdem diſp. 5. art. 3. n. 171. dicit, in *Sacramento Pœnitentiæ ſufficere attritionem etiam cognitam*, idque probat fusè ex Concil. Trid. ſeſs. 14. c. 4. & ſubdit. *Neque dicas ibi Concilium loqui de attritione, quę contritio ęſtimetur. Nã loquitur ibi de ea, quæ concipitur ex metu gehennę, vel peccati turpitudine, hęc autem eſt ęſtimata attritio, & cognita ut talis.*

13 Quæſt. 7. art. 3. peccatorem non obligat ad contritionem ſtatim poſt lapſum. Et quæſt. 16. art. 3. nec ad confeſſionem ſtatim obligat, ſed in periculo vitæ, quo ſecluſo, dicit difficilè eſſe determinare tempus talis obligationis, & ideò neceſſariam fuiſſe Eccleſiæ determinationem.

Quæſt. 15. art. 1. num. 412. ejuſdem diſp. 5. Iterum dicit, ad confeſſionem validam & fructuoſam *ſufficere attritionem etiam cognitam*, & addit, *id expreſsè deduci ex Tridentino*.

14 Circa ſatisfactionem docet quæſt. 22. art. 1. *poſſe pœnitentem pro aliqua rationabili cauſa ſatisfactionem ſibi impoſitam non acceptare petendo, ut alia ſibi imponatur*, additque. *Eſt communis cum Doctore diſt. 15. queſt. 1. Nam communiter concedunt Doctores ex rationabili cauſa propter impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis poſſe Confeſſarium graviorem pœnitentiam in leviorem permutare*. Et paulò poſt docet, debere Confeſſarium credere dicenti ſe experiri maximam difficultatem in peragenda etiam non magna pœnitentia.

Ad eas quæſtiones quæ ſolent fieri circa permutationem pœnitentiæ ab alio Confeſſario impoſitæ reſpondet ea benignitate, qua reliqui Doctores, quorum doctrinam ſupra propoſui.

## §. XIX.

### *Doctrina Joannis Malderi Epiſcopi Antuerp.*

NEC diverſa hoc eodem ſæculo fuit Doctorum Pariſienſium, Lovanienſium, & Duacen-

cenſium doctrina, ut colliges ex his, quos proferam, harum trium Academiarum Doctoribus, qui ab anno hujus ſæculi decimo ſexto uſque ad quinquageſimum, cùm nondum ſe Bajanum, vel Janſenianum virus diffuderat, eruditè, ſolidèque ſcripſere. Proferam autem ex Academiâ Pariſienſi tres, ex Lovanienſi duos, ex Duacenâ unum.

Ex Academia Lovanienſi proferam Joannem Malderum, & Guilelmum Mercerum, quorum primus, Malderus poſt illuſtratam Theologicâ ſexdecim annorum lectione prædictam Academiam, jamque Epiſcopus Antuerpienſis ſcripſit anno 1616. *Commentaria in ſecundam ſecundæ D. Thomæ*, & anno 1623. *in primam ſecundę*. Alter, nempè Mercerus *S. Theologię Doctor*, *& regius in eadem Academia Profeſſor*, ingentis & ipſe doctrinæ laude celebris anno 1630. edidit Lovanii *Commentarium in tertiam partem D. Thomę*.

Ex Academia Duacena proferam Franciſcum Sylvium *S. Theologię Doctorem*, *& ejuſdem* in dicta Academia, *regium*, *& ordinarium Profeſſorem* qui anno 1615. edidit Commentarios in tertiam partem S. Thomæ.

Ex Academia demum Pariſienſi afferam primo loco *Philippum Gamachęum Doctorem Sorbonicum*, *& regium Sacrę Theologię Profeſſorem*, cujus *Summa Theologica* fuit typis Pariſienſibus excuſa an. 1634. Afferendus ſecundo loco erit *Nicolaus Tſambertus Aurelianenſis*, *Doctor & Socius Sorbonicus*, & in dictâ *Academiâ regius* ipſe quoque *Theo-*

*logię Profeſſor*, cujus *diſputationes in Summam D. Thomę* editæ Pariſiis fuere an. 1643. Poſt Yſambertum producam *Ludovicum Abelly Pariſinum in Sacra Theologię facultate Doctorem*, & deinde Epiſcopum Ruthenenſem, cujus *Medulla Theologica ex Sacris Scripturis, Conciliorum Pontificumque decretis, ac Sanctorum Patrum, & Doctorum placitis expreſſa* inque duos exiguos tomos digeſta, prodiit circa an. 1650.

Hos autem in medium profero, præ aliis; quia alios non reperi celebriores hoc tempore harum Academiarum Doctores, qui his de rebus, de quibus hìc agimus, ſcripſerint, nec Regulares fuerint, quorum ſatis multos ſupra audiiſti. Plures autem non affero, quia hi ſatis teſtantur id quod intendimus. Non enim viri tam docti, tam graves, habitique omnium judicio tanquam integerrimi morum Magiſtri, dicendi ſunt in re præſertim tanti momenti ad æternam ſalutem, quale eſt Sacramentum Pœnitentiæ, & ratio in ejus adminiſtratione ſervanda, tradidiſſe doctrinam quam non viderent eſſe tutiſſimam, & in ſuis Academiis communi conſenſu receptam.

Ut autem ex primo incipiam, ſcilicet ex Maldero, is quidem de pœnitentiâ non ſcripſit, aliis tamen Tractatibus aliqua interſerit, quæ ſatis ejus in præcipuâ noſtrâ controverſiâ mentem declarant, nec ejus tantùm, ſed aliorum ejus ævi Doctorum, ex ratione quam dicebam, quamque ipſe confirmat in Præfatione ad Commentaria in primam ſecundæ.

*Stu-*

*Studioſè in iis cavi* (inquit) *ne*, *quod hodiè Novatores faciunt*, *innixus proprio judicio*, ALIORUM SENTENTIAS CONTEMNEREM: *periculoſum enim eſt inniti prudentię ſuę*, *& ſapientem eſſe apud ſemetipſum*, *aut ſapere pluſquam neceſſe eſt*.

1 In Commentariis ad 1. 2. quæſt. 113. de Juſtificatione art. 3. & 5. diſp. 3. ſect. 2. agens de actibus requiſitis ad juſtificationem, & expendens ea verba Concilii, *Deum diligere incipiunt*, dicit, quod *ſi velimus hîc comprehendere eam juſtificationem*, *quę fit per Sacramentum*, prædicta verba ſignificant quidem aliquam Dei dilectionem, & charitatem inchoatam, ſed *non charitatem ſimpliciter*, *& dilectionem Dei ſuper omnia*, aut *ultimam diſpoſitionem*, quæ ſecum trahat hanc dilectionem ſuper omnia, quia videlicet dilectio Dei ſuper omnia, & charitas ſimpliciter talis non requiritur, ut quis juſtificetur per Sacramentum, & ideò (inquit paulò poſt) Concilium addidit ea verba, moventur adverſus peccata per odium *aliquod*, *indicans ſe non loqui de odio*, *quod proveniat ex amore Dei ſuper omnia*, utpotè non requiſito in Sacramento, ſed ſolùm de illa dilectione imperfecta, *quæ reperitur* (inquit) *in omni eo qui odit iniquitatem*, *quamvis cum reatu culpæ conſiſtat*, quibus verbis tria manifeſtè ſignificavit Malderus. Primum eſt, non requiri ex Concilio charitatem, ſeu dilectionem Dei ſuper omnia in Sacramento. Secundum eſt, ſine tali dilectione, & ſine charitate concipi odium iniquitatis, & excludi non ſolum peccatum externum,

ſed ipſam voluntatem peccandi, & concipi verum & univerſale propoſitum non peccandi amplius. Tertium eſt, dilectionem Dei ſuper omnia, qualis certè eſt omnis charitas ſimpliciter talis, ac proindè etiam charitas remiſſa, & ſolum inchoata, cum reatu culpæ conſiſtere non poſſe.

Primum autem ex his, nempè dilectionem Dei ſuper omnia non requiri in eo qui juſtificatur per Sacramentum, iterum docet poſtea, iterum interpretans prædicta verba Concilii. *Ne tamen* (inquit) *accipiam verba Concilii præcisè pro* DILECTIONE DEI SUPER OMNIA, *ut accepit Curiel*, *præterquamquod exiſtimem*, *juſtificationem*, *quæ cum Sacramento fit*, *ut dixi*, *non eſſe excludendam*, *etiam hoc movet me*, *quod quandò de odio peccati loquitur*, *indicet ſe non loqui de odio*, *quod proveniat ex* AMORE DEI SUPER OMNIA, *ſed de odio aliquo*. *Moventur*, *inquit*, *adverſus peccata per odium aliquod*. Bene autem dicit Concilium non agere *præcisè* de dilectione Dei ſuper omnia. Nam agit de ea, ſed non præcisè de ea. De ea agit, dum agit de juſtificatione quæ fit extra Sacramentum, de ea non agit, dum adjunctis illis verbis, *Moventur adverſus peccata per odium aliquod*, *& deteſtationem*, *hoc eſt*, *per eam pœnitentiam*, *quam ante Baptiſmum agi oportet*, agit de juſtificatione quæ fit cum Sacramento, ac proindè de pœnitentia ad eam requiſita, quæ eſt ipſa interpretatio Dominici Soti, de qua ſupra egimus.

2 Sed fuſius alibi, nempè quæſt. 19. de bonitate,

te, & malitiâ actus interni, & voluntarii art.5. & 6. diſp.86. docet, ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ attritionem expertem charitatis, & hanc ſententiam habitam tunc ut omninò tutam in praxi, etiam in ſententiâ (quæ communis erat) eorum Doctorum, qui dicebant in adminiſtratione Sacramenti non licere ſequi opinionem probabilem, imò nec probabiliorem relictâ certâ. Sic enim dicit poſt aliquot concluſiones circa uſum opinionis probabilis, *Dico quinto. Confeſſarius tenetur abſolvere pœnitentem habentem opinionem probabilem, ſecundum quam ab eo opere proponit non abſtinere, quod ſecundum probabiliorem ipſe Confeſſarius tenet eſſe illicitum. Sequitur & iſtud ex dictis. Cum enim non habeat pœnitens propoſitum peccandi, immeritò ei negaretur abſolutio, & ita tenent* COMMUNITER DOCTORES &c. *Dico ſexto. In adminiſtratione Sacramentorum non ſufficit ſequi opinionem probabilem de valore, integritate, & effectu. Imò, ne quidem licet uti probabiliori, relictâ certâ, niſi in neceſſitate, quando impoſſibile eſt ſequi certam. Ita tenent plurimi Doctores, Scotus, Suar. Vaſq. Salas, Ciſtercienſis, & alii ab ipſis citati.* Quod probat. 1. *Quia nemo non videt, ad aliquod vilipendium Sacramenti pertinere, ſi non certiſſimo ritu, quo minimùm periclitetur ejus ſubſtantia, adniſtretur &c.* 2. *Quia obligatio Miniſtri, ſive ex functione ſuſceptâ, ſive ex charitate, aut pietate hoc poſtulat, ut ſi poſſit certum remedium, ac Sacramentum adminiſtrare, non adhibeat illud, quod fortè nullius eſt momenti.*

 3. Quia

3. Quia ſic mandat Eccleſia &c. Poſtquam verò has rationes, & præſertim duas priores fusè propoſuit.

3 Objicit ſibi *ex hac ſextâ aſſertione ſequi, quod non liceat abſolvere eum qui confitetur cum ſolâ attritione, ſaltem quando ea cognita fuerit à pœnitente, & Confeſſario, quia ſecundùm tutiorem ſententiam requiritur ad veram, & efficacem abſolutionem contritio ſaltem exiſtimata*. Affert autem ante ſuam duas aliorum Doctorum reſponſiones. Prima eſt Suarii qui tom.3. in 3. p. diſp.6. ſect.2. confitentem extra mortis articulum cum attritione cognitâ excuſat à culpâ ſaltem gravi, quia *certum eſt*, inquit, *& extra omnem opinionem*, quod ea ſufficit ad valorem Sacramenti, dicit tamen, hunc eſſe aliquâ reprehenſione dignum, quod non procuret contritionem, ut ſit certior de fructu, *præſertim ſi poſſit abſque magnâ difficultate contritionem procurare*.

Hanc reſponſionem non probat Author, eo quod *in uſu non ſit, ut Sacerdotes urgeant hanc diſpoſitionem perfectæ contritionis, quando ſine magnâ difficultate haberi poteſt, quod tamen eos facere oporteret, ſi hìc defectus moralem culpam habeat*. Addit eſſe nimis difficilè diſcernere, quando facilè haberi contritio poſſit, ut obligetur pœnitens ad eam procurandam. Ita Author & bene, hinc idem Suarius poſtea in tom.4. diſp.20. ſect.1. num.20. tractans ex profeſſo, an attritio cognita ſufficiat etiam ad effectum hujus Sacramenti, re melius penſatâ, dicit ſufficere, & fusè probat, additque, hanc ſententiam *hoc tempore eſſe practicè certã*, ideſt certò licere eam in praxim deducere.

Reje-

Rejectâ prædictâ reſponſione, affert Author ſecundam, quam præbet Salas dicens, *ſaltem poſt Concilium Tridentinum, Theologicè, aut ſaltem moraliter ſatis certum eſſe, attritionem etiam agnitam, ad ſubſtantiam & effectum ſufficere, ideoque ſaltem extra mortis periculum ejuſmodi pœnitentem, qui cum agnitâ attritione accedit, non peccare mortaliter, eo quod ſufficiat ſequi opinionem moraliter certam, ut docet Cajetanus*. Hanc reſponſionem non penitùs probat, quia non ſolvit argumentum pro tempore quod Tridentinum præceſſit, quo non videtur fuiſſe illicitum miniſtrare Sacramentum accedentibus cum attritione cognitâ, ſubditque.

*Vera reſponſio videtur, in primis facilè excuſari Sacerdotem qui abſolvit agnitum attritum, quia quod dicitur, Miniſtro opinionem tutiorem in Sacramentorum materiâ, & formâ eſſe ſequendam, non debet extendi ad illam materiam, quæ naturâ ſuâ ſuppeditatur non ex parte Miniſtri, ſed ſuſcipientis.*

4 Hìc autem objicit ſibi. *Dices quamvis tunc minùs injuria ſuſcipienti fiat, utpotè voluntario, non minor tamen eſt irreverentia Sacramenti*, dum permittitur pœnitenti afferre materiam dubiam, & exponere Sacramentum periculo nullitatis.

Sed reſpondet, *Hanc irreverentiam in primis* POST TRIDENTINUM *non ſubeſſe, quia* (inquit) ECCLESIA SUA DECLARATIONE MINISTRUM, IMO ET SUSCIPIENTEM SATIS JAM TUTUM AB ILLA IRREVERENTIA RED-

REDDIDIT &c. Inde dicit eos quoque qui præceſſere Tridentinum, poſſe excuſari *ſaltem à culpâ mortali, etiam quando attritio fuiſſet agnita, & facilè haberi potuiſſet contritio &c. Quia cum hoc Sacramentum ſit mortuorum, magnitudo contemptus videtur excludi eo ipſo, quo ſaltem per attritionem ſeſe pœnitens in via ponit ad contritionem, adeoque ad veram, etiam ſecundum ſecuriorem opinionem, Sacramenti materiam, & diſpoſitionem ultimam effectus.*

5 Hic notandum eſt, uti etiam tempore Malderi, ac proinde ante proſcriptas ab Innocentio XI. celebres 65. propoſitiones, *plurimi Doctores tenebant, non licere in adminiſtratione Sacramentorum uti probabiliori opinione, relictâ certâ*, & tamen iidem ipſi Theologi communi conſenſu, ut conſtat ex tot Doctorum quos allegavi teſtimonio, docuerunt, licere accedere ad Baptiſmum, & ad Confeſſionem cum ſolâ attritione, putarunt ergo, ſententiam docentem ſufficere in his Sacramentis attritionem quamvis non putatam contritionem, eſſe practicè certam, ergo talis eſt etiam modò, cùm hæc ſententia iiſdem fundamentis nitatur modò, quibus olim nitebatur, ac ſine ullâ novâ causâ & ratione, deſerta ſit ab aliquibus qui nihil afferunt, quod tunc eſſet ignoratum, aut non optimè expenſum à viris illis longè majori eruditione, doctrina, ingenio, & pietate inſtructis, quorum unus fuit Malderus, qui præterea pro munere Antiſtitis, quod in tantâ Urbe, eâque tam bene cultâ, gerebat, optimè norat, quid

èjus,

ejus, & aliarum regionum Confeſſarii exigerent, quid facerent Pœnitentes. Dicit autem expreſsè, ut audiiſti, in uſu non eſſe, quod Sacerdotes urgeant Pœnitentes, ut perfectam contritionem procurent, nempè contritionem ex charitate manantem: hanc enim, vel manet ex charitate remiſsâ vel intensâ, Malderus cum aliis Doctoribus, ut ſupra oſtendi, vocat contritionem perfectam. Hinc idem in primo loco, quod citavi, nempè quæſt. 113. de Juſtificatione, eâ ſect. 2. poſtquam tractavit eam quæſtionem, *utrum contritio juſtificet tantùm ratione, & virtute dilectionis ſibi adjunctæ*, vel quam ipſa aut formaliter aut virtualiter includit, adhæret ſententiæ affirmanti, & ita concludit. *Atque ita rectè definieris ejuſmodi contritionem dolorem de peccatis provenientem non ſolum ex metu pœnæ æternæ, vel temporalis, quam merentur, ſed ex charitate ad Deum, contra cujus ſummam, & infinitam bonitatē admiſſa ſunt, cum firmo ea confitendi, & emendandi propòſito.* Igitur ex Maldero, contritio perfecta & juſtificans, de cujus virtute hic agit, non exigit charitatem intenſam, imò nec expellentem timorem gehennæ & aliarum pœnarum, ſed præcisè charitatem, vel intenſa ſit & perfecta quæ timorem expellit, vel remiſſa, & imperfecta, quæ hujus timoris conſortium admittit, quod modo negatur ab iis qui hanc virtutem ſoli contritioni conceptæ ex charitate vehementiſſimâ, eâque tali, ut prædictum timorem expellat.

6 Notanda ſunt etiam ea verba quibus Malderus

rus dicit, poſt Tridentinum Eccleſiam ſua declaratione Miniſtrum, imò & ſuſcipientem ſatis tutum ab irreverentia Sacramenti cum ſola attritione eaque cognita ſuſcepti reddidiſſe. Quæ enim tunc fuit iſta Eccleſiæ declaratio poſt Tridentinum, niſi communis conſenſus Doctorum, qui tunc ita interpretabantur Tridentinum, docebantque, ex eo ſufficere attritionem expertem charitatis? Igitur & hæc erat tunc communis Doctorum interpretatio, & hæc conjuncta verbis Tridentini eſt quædam Eccleſiæ declaratio. Qua igitur ratione id modò vocetur in dubium, nec habeatur tanquam omninò certum, ac tutum, quod ex Maldero, & ex diſcurſu facto eſt quadam Eccleſiæ declaratione firmatum?

## §. XX.

### *Doctrina Guilielmi Merceri.*

IS quæſt. 1. ſupplem. art. 1. & 2. initio quærit, *quid ſit contritio?* & reſpondet, *Contritio generatim, ut complectitur attritionem, definitur à Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. eſſe animi dolor, & deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero*. Igitur ex hoc Doctore, Tridentinum eo loci nomine contritionis complectitur etiam attritionem, quod modò aliqui negant; imò omnes Adverſarii noſtri, ſi nomine attritionis ſignificetur dolor expers charitatis, de hoc autem dolore loqui hic Mercerum conſtabit infra.

1 Num. 4. agens de propoſito, notat cum Navarro

varro *non requiri, ut Pœnitens credat, ſe non ampliùs peccaturum mortaliter*; & ſubdit, *ſufficit enim, ut abſolutè, & verè nolit amplius peccare, idque ope Divina ſubnixus proponat explere*, quod modo non videtur ſufficere aliquibus, exigentibus quoddam propoſitum, diù probatum, & involuens longam ceſſationem à peccato, ut alibi oſtendi.

Paulò poſt ab explicatione contritionis genericæ deſcendit ad ſpecies. *Contritio*, inquit, *accepta generaliter, dividitur in contritionem propriè dictam &c. & attritionem, ſive imperfectam diſplicentiam &c. Contritio propriè accepta definitur eſſe dolor, & deteſtatio peccati, ut eſt offenſio Dei dilecti ſuper omnia; & proindè peccati ut mali ſummi cum propoſito emendationis. Hinc intelligitur quod iſta contritio aliquomodo eſſe debeat ex amore Dei ſuper omnia*. Nota *aliquomodo*: id ei ſatis eſt, nec requirit, ut ſit ex amore intenſo, robuſto &c. Et tamen loquitur de contritione reconciliante extra Sacramentum.

2 Art. 3. ſic definit attritionem. Notandum 1. Attritionem *rectè definiri eſſe animi motum, quo efficaciter deteſtamur peccatum ex motivo ſupernaturali*, QUOD NON SIT DEUS IPSE, *quatenus eſt ſummum bonum, à quo peccatum nos avertit. Diſtinguitur enim à Contritione ſpeciatim dictâ* (quam ſupra definivit) *per negationem perfectionis incluſæ in contritione, ſcilicet, quod non* ATTINGAT PERFECTISSIMUM MOTIVUM *Contritionis, ſed alio inferiore incitetur. Notandum 2. tantum duas*

*eſſe*

*eſſe ſpecies attritionis juxta Concil. Trid. quod dogmaticè loquitur. Primam quæ eſt ex metu gehennæ, & pœnarum. Secundam quæ eſt propter fœditatem peccati*, & addit per primam nos deteſtari *peccatum ut cauſam mali*, per ſecundam verò deteſtari *peccatum in ſe, ſive quatenus eſt moraliter malum*, NON TAMEN SUPREMA MALITIA QUAM HABET, QUATENUS EST CONTRA BONUM DEI IN SE, EJUSQUE AMICITIAM DISRUMPIT; SED ALIA QUALIBET, QUATENUS DISCORDAT A REGULA RECTÆ RATIONIS. Ad primam, dicit poſtea, referri deteſtationem peccati ex amore vitæ æternæ, & eam quæ eſt ex timore aliarum pœnarum, *ſi conſiderentur ut inflictæ à Deo irato, & ut quodammodo inchoantes æternum ſupplicium &c.* Ad ſecundam referri deteſtationem peccati ex proprio motivo juſtitiæ &c. Hæc autem tradit tanquam doctrinam tunc communem, & indubitatam. Igitur ex communi ejus temporis doctrinâ, attritio de quâ agit Tridentinum eo cap. 4. non attingit motivum charitatis; & tamen, ut idem dicit, per eam efficaciter deteſtamur peccatum, adeoque concipimus verum non peccandi propoſitum, & per eam ſufficienter diſponimur ad gratiam in Sacramento obtinendam, ut mox audies; nam

3 Quærit paulò poſt in hoc eodem art. 3. *An ad Sacramentum, & effectum Sacramenti Pœnitentiæ, attritio vera ſufficiat, ſive ſit cognita ut talis, ſive incognita*, & ſubdit. *Reſpondeo affir. contra Victo-*

*Ɛtoriam*, *& Sotum* (qui dicebant ſufficere quidem in re, dummodò non cognoſcatur.) *Probatur ex Concilio Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 4. *Quamvis ſine Sacramento &c. Hic non agit Concilium de diſpoſitione remotâ, ſed de propinquâ, & ſufficiente cum Sacramento ad juſtificationem &c.* quod probat, ut nos probare ſolemus, affert etiam textum D. Th. quem nos afferimus. Et objicienti, quod *attritio non eſt vera deteſtatio offenſæ Dei*, *nec perfecta converſio ad Deum*, reſpondet, ut nos, per hæc verba: *Reſpondetur, etiamſi non ſit formalis deteſtatio peccati, quatenus eſt offenſa Dei, tamen eſt vera deteſtatio ipſius offenſæ ſub ratione aliquâ honeſtâ, & ſupernaturali, ideòque etiamſi ex ſe non ſufficiat ad juſtificationem, tamen habet proportionem ſufficientem, ut ab eâ procedat vera peccati accuſatio, per quam, mediante Sacramento, juſtitia infundatur*. Similiter dicit in Sacramento ſufficere converſionem imperfectam. Et paulò ante ad illas alias objectiones petitas ex authoritate D. Auguſtini, & ex eo quod attritio ex metu gehennæ videatur includere *virtute hunc affectum*, *ſi non eſſet pœna peccatis impoſita non deteſtarer illa*, reſpondet pęnitùs, ut nos reſpondere ſolemus, quia videlicet ipſiſſiſſimam noſtram ſententiam tuetur.

4 Quæſt. 3. art. 1. propoſ. 3. hanc ſtatuit concluſionem. *Non requiritur in contritione* (agit de perfectâ, & juſtificante) *certus gradus intenſionis, aut temporis, ſed ſufficit actus ſecundum ſuam ſubſtantiam. Ita Bellarm. & alii* COMMUNITER.

Quæſt.4.

5 Quæſt.4. quærit ſecundo loco, *An præceptum Contritionis ſtatim, ut mortaliter Deum offendimus, obliget ſub novo peccato*. Et reſpondet, *probabilius eſſe quod non obliget*. Quærit tertio loco, *An oporteat ſub peccato mortali conteri in diebus feſtis*, & reſpondet pariter negativè. Negat etiam oportere conteri quoties peccata practicè occurrunt memoriæ. Ac tandem docet, teneri peccatorem conteri in mortis periculo, vel articulo, additque, *Porrò extra hunc caſum difficilè eſt oſtendere quando præceptum hoc ſub mortali per ſe obliget: quanquam ſit probabile ita obligare nonnunquam, ſaltem ex præcepto dilectionis Dei ſuper omnia*. Optabant quidem Mercerus aliique hujus temporis Doctores, ut peccatores ſtatim, & ſæpiſſimè contererentur propter peccata commiſſa, ſed optabant etiam, ne nova peccata, eaque plura committerent, & ideò à multiplicandis præceptis, quod modò tam facilè fit, plurimùm abhorrebant.

6 Quæſt. 8. art. 5. quærit, *an Pontifex, vel Epiſcopus poſſit alieno Sacerdoti dare facultatem audiendi Confeſſiones ſine licentiâ proprii*, v. g. dare facultatem Sacerdoti Regulari audiendi Confeſſiones ſine licentiâ Parochi, *itaut qui fuerit illi confeſſus, non teneatur confiteri proprio, nec ſemel quidem quotannis*, & reſpondet affirm. fuſèque privilegia Regularibus hac in re conceſſa ab objectionibus vindicat Doctor non Regularis Academiæ Lovanienſis.

7 Eodem art. 5. dub.2. quærit quid faciendum Confeſſori, qui videt pœnitentem ignoranter verſari

ſari in ſtatu malo ex. gr. retinentem aliena, quæ invincibiliter putat eſſe ſua, vel contraxiſſe matrimonium cum impedimẽto irritante invincibiliter ignorato, & reſpondet; *quòd ſi Confeſſor non ſperet fructum, vel quia prudenter timet, pœnitentem non facturum id de quo moneretur, vel id non poſſe fieri ſine ſcandalo, & gravi detrimento, debet tacere, & pœnitentem in ſuâ bonâ fide relinquere*, & addit. *Hæc generatim vera ſunt, quando ignorantia eſt invincibilis, etiamſi ſint circa res juris naturalis; quod eſt contra Adrianum, qui putat pœnitentem de his monendum, etiamſi ſequatur quodlibet incommodum, quia exiſtimat, in illis non poſſe eſſe ignorantiam invincibilem*, & probat, id falſum eſſe, ac proindè etiam in his hanc ignorantiam contingere, licet rariùs contingat.

8 Dub. 3. ejuſdem art. 5. quæſt. 8. Quærit quid faciendum Confeſſori, cùm videt, pœnitentem eſſe diverſæ opinionis, & reſp. ſic. *Si Pœnitens adhæreat opinioni probabili, & contrariam probabiliorem Confeſſor judicet, debet Confeſſor eum abſolvere; Ratio eſt, quia cum pœnitens operetur ex opinione probabili, eſt benè diſpoſitus, & integrè confeſſus.* Idque etiam tunc DD. paſſim docebant.

9 Quæſt. 13. art. 1. propoſ. 3. docet peccatorem per contritionem ſatisfacere Deo de congruo (nempè eo modo quo poteſt) pro culpâ mortali, & pœnâ æternâ, nec docet quod modò docent aliqui, eſſe jure Divino neceſſarios labores, & fletus ad obtinendam à Deo veniam delictorum.

10 Quæſt.16. dub. 2. docet *Confeſſarium teneri imponere per ſe loquendo ſatisfactionem pœnitenti*. Hic autem quærit, an pœnitentiæ ſint arbitrariæ, & dicit. *Reſpondeo affirm. non quod liberum ſit Confeſſori imponere, vel non imponere illas, ſed quod in his imponendis non teneatur ſequi antiquos canones pœnitentiales (hos enim de foro exteriori intelligit Navarrus, Henriq. & alii, ut etiam quod Conc. Trid. ſeſs.* 14. *cap.* 8. *habet de pœnitentia publica imponenda ſcandaloſo) at judicio ſuo, ſpectata conditione pœnitentis, & utilitatis ejus ſpiritualis, poſſit injungere pœnitentias accommodatas ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicinam, & peccatorum vindictam, ut habet Conc.Trid.&c.* Additque paulò poſt. *Fieri poteſt, ut cognita conditione ſpiritualis utilitatis, & cujuſdam neceſſitatis ipſius pœnitentis, aliiſque cauſis, injungatur minor ſatisfactio gravioribus peccatis, ut patet cap. Tempora, & Gloſſa, ubi plura memorantur, quorum eſt habenda conſideratio in pœnitentia injungenda, quæ etiam recenſet Navarr. Ench.* 16. *num.* 21. *ſcilicet impotentia implendi pœnitentiam, contritionis magnitudo, ſenectus, debilitas, ægritudo, timor probabilis, quòd pœnitens non implebit juſtam pœnitentiam, tempus Jubilæi, & aliarum Indulgentiarum, injunctio, & directio omnium bonorum totius vitæ in ſatisfactionem pœnæ peccatori debitæ*. Et paulò poſt. *Quæritur* 4. *an publica pœnitentia poſſit imponi. Reſpondetur* 1. *Non eſt imponenda, ſi per eam pœnitentis confeſſio indirectè reveletur.* 2. *Non eſt imponenda pro occultis peccatis;*

*catis ; eo quod ſit improportionata , & contra bonam famam pœnitentis . 3. Pro publicis criminibus poteſt injungi , ſi ita expediat ad Eccleſiæ ſatisfactionem & exemplum . Neque huic tertio caſui opponi poteſt Confeſſionis revelatio , quia tunc pœnitentia publica fit ex conſenſu pœnitentis , & ſine gravi ipſius incommodo . Aliud erit , ſi habeat rationabilem cauſam ad non acceptandum , vel id non ſit neceſſe ad tollendum ſcandalum . Quæritur 5. An ſatisfactio poſſit imponi per modum conſilii dicendo . Si hoc , vel illud feceris , ſerviat tibi in ſatisfactionem . Reſp. affir. quia id ſatis eſt , ut illa per vim clavium elevetur .*

Hæc tunc erat Academię Lovanienſis doctrina. Sic enim , ut ſupra notavi , tradit hanc doctrinam Mercerus , ut legenti pateat, eam proponi tanquam communi ſuffragio receptam .

Nunc videndum quid in Duacenâ doceret Sylvius .

## §. XXI.

### *Doctrina Franciſci Sylvii .*

CLer. Is allegari ſolet tanquam nobis infenſus .

*Auct.* Nimirum ab iis , qui utuntur primâ tantùm editione Commentariorum hujus Doctoris in tertiam partem D. Thomæ .

*Cler.* Num ſententiam mutavit in aliis editionibus ?

*Auct.* Ita profectò , ſuaque mutatione ſententiæ nobis favit magis,quàm ſi nunquam fuiſſet infen-

ſus : non enim illum à ſuâ ſententiâ, quam adeò diſertè, & publicè, non voce ſolum, ſed ſcripto, typorumque teſtimonio minimè diſſimulando docuerat, diſcedere compulit, niſi aut evidens ratio, cujus fulgori reſiſtere nequiit, aut ingens authoritas, cujus ponderi cedere debuit. Igitur ea eſt noſtra doctrina, quam, ſi ſapis, aut non poſſis tandem rejicere, aut non debeas.

1 Igitur in primâ editione Antuerp. ann. 1618. quæſt. 1. ſupplem. art. 1. quæſtio 3. quærit, utrum ad contritionem genericè ſumptam, & quatenus comprehendit etiam attritionem in Sacramento Pœnitentiæ neceſſariam, requiratur amor Dei ſuper omnia, & reſpondet affirmativè, & probare nititur ſolitis argumentis, nempè verbis Jo. *qui non diligit manet in morte*, Pauli dicentis 1. ad Cor. nec fidem, nec reliqua prodeſſe ſine charitate, Joelis 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, Auguſtini ſer. 3. de Nativ. *Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei*, Tridentini cap. 6. ſeſs. 6. exigentis, ut peccator juſtificandus *Deum diligere incipiat*, ac tandem ex eo, quod aliter nequit concipi verus dolor peccati, verumque propoſitum excludens voluntatem peccandi, quod iterum repetit art. 3. ubi definito quarto attritionis genere, docet expreſsè, attritionem ſecundi generis, conceptam ex fide, & ſolo metu æternæ damnationis, & nullo modo propter amorem juſtitiæ, & virtutis, non ſufficere in Sacramento, quia *licet ſit donum Dei, non tamen excludit voluntatem Deum tanquam ſuper omnia*

*nia diligendum offendendi ( quod tamen in attritione, quæ cum Sacramento ſufficiat, requirit Concilium Tridentinum ſeſs. 14. cap. 4. & can. 5.) ac proinde niſi acceſſerit amor juſtitiæ*, ET DILECTIO DEI SUPER OMNIA *non poterit eſſe diſpoſitio ſufficiens ad remiſſionem peccatorum* quod fuſiùs poſtea probare nititur ſex argumentis, ut evincat, eam ſolam attritionem ſufficere in Sacramento, quæ eſt veri nominis contritio, quæ videlicet concipitur ex dilectione Dei ſuper omnia ſaltem remiſsâ, quâ docet reconciliari peccatorem extra Sacramentum, *quando ejus ſuſceptionem excludit neceſſitas*, ac proindè extra talem caſum, hanc dilectionem, ſeu charitatem eſſe ſimul in animâ cum culpâ lethali poſſe. Imò quæſt. 1. art. 1. hanc ſtatuit concluſionem. *Sententia verior eſt, Contritionem non ſemper, imò nec ordinariè, vel frequenter habere conjunctam remiſſionem peccatorum, antequam recipiatur Sacramentum, ſed aliquando ſolùm id fieri*, idque contendit probare omnibus illis argumentis, quæ modò à noſtris Adverſariis afferri ſolent, ut pariter probent, vim reconciliandi peccatorem non omni contritioni, & charitati ineſſe. Hæc Sylvius in prędicta primâ editione. At in ſecunda aliquid emendavit, ſed magis in tertia, & quarta, ex qua, nempe ex Duacena anni 1645. afferam quæ ſequuntur.

2 Quæſt. 1. ſupplem. art. 1. docet cum noſtris Doctoribus, aliiſque, quos allegat, Concilium Trid. initio cap. 4. ſeſs. 14. ſuâ illa definitione contritionis comprehendiſſe *contritionem perfectam, quę*

*per antonomaſiam ſimpliciter vocatur contritio*, *&* *imperfectam*, *quæ vocari ſolet attritio*. In tertio *quæritur*, concl. 3. docet quidem, *ad contritionem imperfectam* ( quæ eſt attritio prędicta ) *neceſſarium eſſe aliquem ſupernaturalem amorem Dei*, ex quo peccatum diſpliceat; ut eſt offenſa Dei, ſed concluſ. 4. relictis ambagibus dicit, de quo amore loquatur, docens, *amorem in dicta attritione requiſitum*, *ſeu in ea virtualiter incluſum*, *non eſſe eum*, *quo Deus propter ſe ſuamque bonitatem diligitur ſuper omnia*, *ſed eum qui ex ſpè veniæ*, *aut vitæ ęternæ conſequendæ procedit*; *vel ex alio aliquo motivo*, *ſupernaturali quidem*, QUOD NON SIT IPSE DEUS SECUNDUM SE, SEU UT EST SUMME BONUS, SED QUIDDAM EO INFERIUS, & iterum concluſ. 5. dicit *ad eam non requiri amorem Dei ſimpliciter*, *&* *abſolutè ſuper omnia*, Tandem explicando hanc concluſionem quintam dicit, *hunc amorem in attritione requiſitum*, *eſſe amorem concupiſcentiæ*, *&* *pertinere ad ſpem potius*, *quam ad charitatem*, ſubditque in fine. *His non abſimile eſt quod Tannerus diſp. 6. de Pœnit. qu. 6. ſcribit in hæc verba*. ( *Colligitur*, *cur attritio ſit*, *&* *dicatur dolor*, *ſeu deteſtatio peccati* NON SUPER OMNIA, *ideò nimirum*, *quia ejus motivum non eſt ſummum*, *ſub quo peccatum concipiatur*, *ut deteſtabile ſuper omnia*; *magis enim deteſtabile eſt peccatum*, *ut eſt contra Deum ſecundùm ſe*, *velut ſummum bonum*, *quam ut præcisè eſt contra jus Dei*, *vel contra gratitudinem*, *vel obedientiam*, *aut etiam cultum Deo debitum*,

*bitum, ſeu ut eſt* CAUSA PÆNÆ ÆTERNÆ.) Audis retractionem perfectam? Priùs docuerat requiri in attritione, quæ cum Sacramento ſufficit ad remiſſionem peccatorum, amorem Dei ſuper omnia, hic autem docet, hunc amorem Dei ſuper omnia in dicta attritione minimè requiri.

2 Concluſ. 6. ejuſdem art. 1. docet amorem requiſitum ad contritionem perfectam, eſſe eum, qui *eſt amor Dei ſuper omnia ſimpliciter*, & per hunc iſtam *contritionem diſtingui ab attritione*. Igitur jam ex Sylvio in attritione non requiritur amor Dei ſuper omnia ſimpliciter, ergo nec charitas inchoata, & rursùs ex Sylvio contritio perfecta non diſtinguitur ab attritione per amoris intenſionem, & fervorem, ſed per amorem Dei ſuper omnia ſimpliciter, non igitur ex Sylvio ea diſtinguitur ab hac per ſuam majorem intenſionem, & vehementiam.

3 Art. 3. deſcribens varios modos quibus atterimur. *Quartus* (inquit) *cùm dolet quis de peccatis propter pœnas Inferni fide cognitas, aut propter Cœleſtis beatitudinis privationem, vel ob peccati turpitudinem ſimiliter fide cognitam, indè accipiens occaſionem deteſtandi peccata præterita, & firmum propoſitum deinceps non peccandi, ſaltem mortaliter*. Et poſtquam ſententiam protulit de reliquis modis, ſubdit, *Attritio autem quam quarto loco recenſuimus, ſimpliciter, & abſolutè vocatur attritio, & eſt vera (licet imperfecta) contritio, ſufficitque ad reconciliationem cum Sacramento*.

4 *Cler.* Hæc eſt ipſiſſima noſtra ſententia.

*Auct.* Adhuc poſtea addit aliquid, ut penitùs conveniat: in eodem quippè art. addit hanc 4. concluſionem, *Attritio ſuperiùs dicta, ſufficit ad Sacramenti valorem, ac etiam ad ejus fructum, ſeu effectum recipiendum, ſive agnoſcatur ſolum eſſe attritio, ſive putetur eſſe contritio, nimirum perfecta*, quam ſupra diſtinxit ab attritione per ſolum amorem Dei ſuper omnia ſimpliciter. Hanc quęſtionem non tractat in prima editione, quia tunc nomine attritionis ſignificari dicebat eum dolorem, qui eſſet ex charitate remiſsâ, quem dolorem etiam cognitum ſufficere, certum erat apud omnes, nec vocabatur in controverſiam; unde confirmatur quod aliàs notavi, eos omnes, qui tractant hanc quæſtionem, utrum attritio etiam cognita ſufficiat in Sacramento, nomine attritionis non ſignificare dolorem, qui concipiatur ex charitate verè tali, licet remiſsâ; ſed dolorem, qui concipitur ex ſolo metu gehennæ: de hoc enim dubitabatur, utrum ſufficeret.

4 Eodem art. 3. quærit ſecundo loco, *quomodo contritio differat ab attritione*, & affert hæc diſcrimina. Primum ex objecto, nam illius immediatum motivum dicit eſſe Deum, ut eſt in ſe, ſummè bonum, hujus verò non. Secundum ex appretiatione, nam contritio ſimpliciter deteſtatur peccatum ſuper omnia deteſtabilia, ſecus attritio. Tertium ex radice, vel adjuncto, nam contritio provenit ex formali, aut virtuali amore charitatis, aut hunc habet adjunctum, *attritio verò neque eſt ex hujuſmodi amore, neque illum habet conjunctum, ſed ſolùm habet*

*bet conjunctam dilectionem Dei imperfectam, quatenus videlicet pœnitens ab eo ſperat veniam peccatorum, & deſiderat vitam æternam, ejuſque amiſſionem, ſeu gehennam metuit, quæ proindè dilectio pertinet* AD AMOREM CONCUPISCENTIÆ. Quartum demum ex effectu, nam contritio etiam extra Sacramentum, reconciliat peccatorem, ſecus attritio, tandemque concludit. *Ex his colligi poteſt quid ſit contritio perfecta, quid imperfecta. Perfecta eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato, ut eſt contra Deum, ſecundùm quod eſt ſummè bonus, & propter ſe diligendus, cum propoſito non peccandi de cætero. Imperfecta eſt dolor de peccato, conceptus ex conſideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, voluntatem peccandi excludens cum ſpe veniæ.* Audis, uti jam ad excludendam peccandi voluntatem, & concipiendum verum propoſitum non requirit ampliùs dilectionem Dei ſuper omnia, & rursùs in contritione perfecta, quę reconciliat, non exigit ullam intenſionem.

5 Et quidem hanc intenſionem minimè requiri docet ex profeſſo qu. 3. a. 1. affertque ad id probandum omnia argumenta, quæ nos afferre ſolemus, ut hoc probemus.

Demnm quæſt. 5. docet, omnem contritionem perfectam, quam ſupra definivit, & poſtea iterum definit non per intenſionem actus, ſeu charitatis, ſed per ipſam charitatem ſimpliciter talem, habere ſemper conjunctam remiſſionem peccati, etiam ante quam recipiatur Sacramentum. Igitur circa præſentes

tes noſtras controverſias ad contritionem, charitatem, & attritionem ſpectantes, receſſit pœnitùs Sylvius à doctrina priùs tradita, nempè à ſententiis noſtrorum Adverſariorum, eamque pœnitùs doctrinam, quam nos tuemur, eſt amplexus.

6 Quæſt. 6. art. 5. docet peccatorem non ſtatim atque peccavit, teneri ad Confeſſionem, ſed *ſtatutis temporibus, quando ſcilicet eſt aliqua neceſſitas*. Imò antea, nempè quæſt. 4. art. 2. docuit, nec ſtatim obligare præceptum contritionis, nec pro diebus feſtis, nec in periculo oblivionis peccatorum, nec, cùm peccata occurrunt memoriæ, ſed in periculo mortis, & etiam antea, judicio prudentis, itaut non videatur nimis differri contritio.

7 Quæſt. 18. agens de ſatisfactione, & de antiquâ, (ut fertur) diſciplinâ peragendi pœnitentias ante abſolutionem, non ſolùm nihil dicit de eâ renovandâ, nihil damnat mutationem factam, ſi verè facta fuit, nec id ſocordiæ Sacerdotum, aut infirmitati pœnitentium attribuit, ſed hæc dicit, *Verùm ſicut illa conſuetudo conveniebat hominibus in diſciplina retinendis, & à peccatis per difficultatem veniæ, coercendis: ita* JUSTIS *poſtea rationibus mutata eſt, factumque, ut verè pœnitentibus impendatur abſolutio ante peractam ſatisfactionem; partim ut pœnitentes Deo citiùs reconciliati, poſſint in gratia, & meritis proficere, efficaciùſque ſatisfacere; partim ut oſtendatur abſolutio Sacerdotis valere ad ſolutionem pœnæ non ſolum æternæ, ſed etiam (parte quadam) temporalis. Hunc morem confirmat,*

*quod*

*quod etiam antiquitùs abſolverentur interdum pœnitentes ante ſatisfactionem expletam, non ſolùm quando periclitabantur de vita, ſed etiam aliàs*, quod pluribus probat, & concludit, meritò fuiſſe à Sixto IV. damnatum eum Petri Oxomenſis articulum, *Non ſunt abſolvendi Pœnitentes, niſi peractâ prius pœnitentiâ eis injunctâ*. Adeò tunc non diſplicebat eruditis, probiſque Doctoribus, præſentis Eccleſiæ praxis, quæ poſtea incœpit aliquibus diſplicere; ut eam ſtatuere, & confirmare ſatagerent, &, uti ſanctè inductam, ita ſanctè & utiliter retinendam, putarent.

8 Paulò poſt docet *Pœnitentem teneri acceptare pœnitentiam rationabilem, & acceptatam implere*, & ſubdit. *Ex his ſequitur eſſe peccatum genere ſuo mortale non acceptare, vel non explere ſatisfactionem injunctam, atque adeo negandam eſſe abſolutionem ei qui noluerit acceptare: quod autem non* SEMPER *negetur, partim fit ab opinantibus non eſſe mortale, partim quia propter fragilitatem pœnitentium ita levis injungitur, ut non recuſent &c.*

*Sciendum autem, quod ſatisfactionis injunctæ oblivio, negligentia, omiſſio, in affectu peccati mortalis impletio non faciunt confeſſionem priorem eſſe invalidam, & iterandam &c. Et propterea qui ſatisfactionem injunctam vel eſt oblitus, vel etiam datâ operâ neglexit, non tenetur iterare confeſſionem præcedentem, ſed debet confiteri peccatum, quod in illius ſatisfactionis ſpontanea omiſſione commiſit, addendo, an ſatisfactio fuerit magna, vel parva.*

Eodem

Eodem art. quæſito 3. docet, poſſe Confeſſarium in foro conſcientiæ, ſi adſit legitima cauſa mutare pœnitentiam ab alio æquali impoſitam, *auditâ eorundem peccatorum confeſſione*, additque, *imò etiam (ut probabile eſt) eâ non auditâ*. Et paulò poſt. *Sacerdos inferior, etiam non auditâ confeſſione priorum peccatorum, poteſt in foro conſcientiæ mutare pœnitentiam à ſuo Superiore impoſitam, ſi hæc duo adſint, quod Superior adiri nequeat, & magna cauſa ſubſit. An idem poſſit, quando priora fuerant reſervata, non convenit. Probabile eſt, quod ſic, neceſſitate urgente.*

Ita Sylvius, Adverſariis ex omni parte contrarius, ac proindè ab ipſis immeritò tanquam ipſorum ſit, allegatus, ut plerique ſunt ex illis, quos tanquam ſuos allegant. Jam verò poſt prædictas duas Academias, conſulenda eſt Sorbona, ejuſque judicio allegatorum hactenus Scriptorum doctrina tanquam aureâ fibulâ ſubliganda, confirmandaque.

## §. XXII.

### *Doctrina Philippi Gamachæi.*

IS in ipsâ Præfatione hujus Tractatus de Pœnitentiâ enumerans differentias certas, & indubitatas Sacramenti Pœnitentiæ, & Sacramenti Euchariſtiæ, ut, quod hoc eſt Sacramentum vivorum, illud verò mortuorum, & alia hujuſmodi, hoc etiam affert, quod *ad Euchariſtiam eſt neceſſaria plena contritio, vel quæ talis putetur*, ſi videlicet peccator habens neceſſitatem communicandi non potuerit confite-

fiteri, *ad Confeſſionem verò ſufficit attritio, quamvis utrique cognita, & Pœnitenti, & Sacerdoti*.

1 Cap. autem 7. agens de contritione ſic habet. *Conſtat, dolorem hunc eſſe duplicem, alium perfectum, qui vulgò à Theologis vocatur contritio, alterum inchoatum, & imperfectum, qui attritio. Quamquam & contritionis vocabulum aliquando ſumitur latiùs, pro quacunque etiam imperfectâ pœnitentiâ, ut liquet ex Trident. ſeſs. 14. cap. 4.* Dicit hoc *liquere*, erat enim tunc indubitatum, Concilium ibi in eâ definitione contritionis, complecti etiam attritionem.

2 Sic autem poſtea definit contritionem ſpecificè talem, nempè perfectam, & per ſe reconciliantem. *Contritio propriè eſt peccati mortalis deteſtatio ſuper omne deteſtabile, & ſuper omnia, quæ odio haberi poſſunt, idque propter ſummum Dei amorem, quatenus Deus tali peccato graviſſimè offenditur; adjuncto tamen propoſito confitendi, ac nunquam mortaliter peccandi in poſterum*. Exponens autem poſtea hanc definitionem, *Obſervandum* (inquit) *quod aſſerimus de ſummo odio peccati, accipi debere non intenſivè quoad fervorem, & vehementiam, ſed ſolum æſtimativè, appretiativè*. Et infra. *Quod dictum fuit in aſſertione, propter ſummum Dei amorem &c. debet intelligi, ſicut odium peccati expoſuimus, videlicet æſtimativè*, NON INTENSIVE. Et poſtea num. 3. *Taceo quod magis, & minus non mutant ſpeciem 5. Phyſic. text. 19. & 31. & tota eſſentia candoris eſt in unico gradu, ergo etiam contritionis*.

Loqui-

Loquitur autem ut dixi de contritione reconciliante; quare poſtea cap. 9. inter multa, per quæ contritio prædicta differt ab attritione, hoc etiam affert, *Contritio ſtatim infallibiliter deſtruit omnes mortales culpas & maculas, etiam ante abſolutionem Sacerdotis, ſuppoſito tamen voto, ac propoſito confitendi; attritio non ita per ſe ſufficit ad deſtruendum peccatum, ſed neceſſariò indiget adjunctione Sacramenti in eo, qui fuerit jam baptizatus*. Hinc quamvis dicat attritionem includere aliquem amorem Dei; nempè virtualem, aut alium hujuſmodi, negat expreſsè includere *amorem Dei ſuper omnia*. Et cap.9. explicans quid ſit attritio, & quæ ſint ejus differentiæ à contritione, dicit, *Attritio, quamvis peccatum mortale etiam odio habeat, non tamen* SUPER OMNIA MALA, *quæ vel cogitari, vel advenire poſſunt, & magis timet pœnam quam culpam*, charitas autem, quamvis remiſſa, odit peccatum mortale ſuper omnia mala. Igitur attritio ex hoc Doctore nec concipitur ex charita remiſſa, quod infra etiam declarat, eam definiens. *Ex prædictis* (inquit) *etiam apparet attritionis definitio: Ut ſit odium peccati imperfectum, & cum aliquo Dei amore ſupernaturali imperfecto, qui* POENAM MAGIS, QUAM CULPAM METUAT, *nec ſufficiat ad delendum peccatum mortale etiam cum voto confitendi, ſed ſolum ſi realiter cum Sacramento conjungatur, vel brevius*, SUPERNATURALE ODIUM PECCATI OB EJUS FOEDITATEM, AUT PROPTER METUM POENÆ, CUM SPE

VE-

VENIÆ, ET VOLUNTATE NON PECCANDI AMPLIUS. Ex qua ultima præſertim breviori definitione apparet, nihil intellexiſſe aliud hunc Doctorem nomine attritionis, *ſufficientis ad delendum peccatum mortale, ſi cum Sacramento conjungatur*, quàm dolorem adæquatè conceptum ex alterutro illorum duorum motivorum, quorum neutrum eſt motivum charitatis.

3 Quia verò dixit in primâ definitione, hanc attritionem veræ charitatis expertem ſufficere in Sacramento, ita ſubdit poſt quartum notandum. *Nonnulli id negant, Gabr. Med. Petr. Soto. Alii concedunt ſufficere attritionem cum Sacramento, quando illa exiſtimatur, & creditur vera contritio non tamen ſi putetur ſolum attritio. In Franc. Victor. Andreas Vega, favet Domini. Soto, itemq. Navar. in Manual. cap.* 1. *num.* 8. *& num.*36. *quamvis n.*42. *aliam afferat ſuæ opinionis explicationem &c. Cæterùm* COMMUNIS, AC VULGO RECEPTA *aliorum doctrina eſt, ſufficere attritionem ſimpliciter cum Sacramento ad juſtificationem, etiamſi cognita illa fuerit in genere attritionis*. Additque, *eſtque manifeſta ſententia D. Thomæ quæſt.*79. 3. *p. art.* 3. *ad.* 2. Hanc autem communem ſententiam probat,ut probatur communiter. 1. Ex Trid.ſeſs.14. cap.4. non diſtinguente attritionem cognitam à non cognita. 2. Ex eo quod Sacramentum pœnitentiæ primò per ſe inſtitutum fuit ad remiſſionem peccati mortalis. 3. Ex eo quod Sacerdos non abſolveret, ſed tantùm declararet ſolutum, quæ argumenta modò

dò contemnuntur, & eluduntur, tunc autem invicta habebantur, quia non admittebatur iſta contritio ſeu attritio concepta ex inchoatâ ſed verâ charitate, quâ Deus diligitur propter ſe, & ſuper omnia, quæ tamen non expellat culpam lethalem, niſi accedat Sacramentum; nondum enim erat hoc effugium excogitatum, aut ab omnibus, excepto uno vel altero Theologo, qui ex Card. de Lugo non benè audiebat, erat pœnitùs rejectum. Demum affert hanc ultimam probationem, petitam ex eo, quod nullum præceptum inveniri poteſt nec Divinum nec Eccleſiaſticum, quod peccatores obliget *ad contritionem vel etiam putatam, & exiſtimatam in confeſſionis Sacramento*. Mirum, quòd tunc nullibi invenirent Theologi præſtantiſſimi, quod modò inveniunt aliqui, quamvis non ſint Theologi adeò præſtantes, in omni ferè paginâ Scripturarum, in tot locis Tridentini, in tot Patrum textibus, in tot decretis Synodorum, quæ ſolent afferre.

*Cler.* Sed illud quoque in hoc Doctore notandum eſt, quod in aliis notaſti, non alium ab eo allegari Doctorem exigentem contritionem verè talem, quam Gabr. Med. (nempè Jo.) & Petr. Soto, nullum videlicet qui ſcripſerit poſt abſolutum Concilium Tridentinum. Cur hoc, niſi quia nullus erat?

4 *Auct.* Benè obſervas. Nunc audi quid doceat circa ſatisfactionem, de qua ſic agit cap. 24. *Sacerdotes poſſunt injungere idoneas aliquas ſatisfactiones pro peccatis, à quibus abſolvunt, nec ſolùm poſ-*

*poſſunt, ſed debent &c.* Et paulò poſt ſubdit. *Solum videre debet Sacerdos, nequid imprudenter jubeat, habeatque rationem virium, & facultatum &c. Itaque expedit nonnunquam, ut Sacerdos interroget pœnitentem in conſcientiâ, & coram Deo, utrum poſſit hoc agere, vel non poſſit*, inde dicit, *Canones pœnitentiales in deſuetudinem abjiſſe*: Hanc tamen deſuetudinem nec explicitè, nec implicitè, aut ulla alia ratione damnat, nec de ea tollenda quidquam agit, nihil de inſtauranda, aut imitanda antiqua diſciplina, nihil de præcepto Divino ſatisfaciendi pro reatu culpæ commiſſæ antequam Sacerdos abſolvat, nihil de ableganda præſenti benignitate; quin eam ſatis approbat, monens immediatè, *graviorem pœnitentiam injunctam poſſe per accidens præbere occaſionem alterius peccati, ſi homo oneris magnitudine deterritus, vel fatigatus poſtea mandatum non exequeretur, additque, concedi à Theologis, poſſe aliquando Sacerdotem imponere onera aliàs debita, quæque jam ſunt in præcepto, e. g. ut audiat Miſſam diebus Dominicis per totum annum &c.* & concedit ipſe, *poſſe quemlibet Sacerdotem ab Ordinario approbatum immutare ſatisfactionem ab alio Sacerdote etiam ſuperiori impoſitam &c.*

## §. XXIII.
### *Doctrina Nicolai Tſamberti.*

IS in Summam D. Thomæ ſcripſit eruditiſſimè, fuſiſſimè & ſubtiliter, eâque diligentiâ quâ ſcribere decuit eum, qui antea totos quinque & trigin-

ta annos in docendi provinciâ tranſegerat, ut ipſe dicit in epiſtolâ nuncupatoriâ ad Cardinalem de Richelieu præfixa tomo primo in 3. partem.

1 Tom.2. in 3. p. de Sacram. Bapt.diſp.6.art.4. loquens de diſpoſitionibus requiſitis ad Baptiſmum adulti ſic habet. *Dolor in adulto conſtituto in peccato mortali, debet eſſe ex aliquo ſupernaturali motivo,* & poſtea, *dolor ille ex motivo ſupernaturali non debet neceſſariò eſſe contritio, ſed ſufficit quod ſit attritio etiam cognita, ut attritio.* Aliàs verò monui, quod, cùm agitur de attritione cognitâ, ſemper agitur de attritione charitatis experte, & præſertim conceptâ ex ſolo metu gehennæ, nam de hac dubitabatur tunc, an ſufficeret cognita, non vero de illâ, quæ conciperetur ex charitate quamvis non intensâ. Hanc autem concluſionem probat ex Tridentino, tanquam ex loco, quo certò, & indubitatò probetur ſufficere attritionem, unde dicit, quod, cùm Concilium non diſtinguat inter cognitam, & non cognitam, *neque nos diſtinguere debemus*, concluditque in fine articuli, *Doctrina illa ſatis apud Scholaſticos* COMMUNIS, *quod attritio elicita ex motivo ſupernaturali, juncta Sacramento Baptiſmi, vel Penitentiæ ſit ſufficiens, ut effectus horum Sacramentorum percipiatur à ſuſcipientibus illa, debet intelligi de tali attritione, ſive illa ſit probè cognita ſuſcipienti tale Sacramentum, ſive bona fide exiſtimata vera contritio.* Notandum eſt etiam in his concluſionibus ly *ex aliquo ſupernaturali motivo*, quia id præcisè exigit in hac attritione, quam dicit ſufficere in Sacramento. Tom.3.

2 Tom. 3. in 3. par. de Sacr. Pœnit. diſput. 10. art. 1. *Contritio* ( inquit *non diſtinguitur ab attritione penès intenſionem, & durationem*, & art. 2. *Contritio, & attritio generaliſſimè ſumptæ diſtinguuntur in eo, quod contritio ſit deteſtatio peccati, prout peccatum eſt offenſa Dei cum propoſito poſthac non peccandi, & voto Sacramenti Pœnitentiæ: attritio verò ſit deteſtatio peccati propter aliquod objectum, ſeu motiuum, quod non eſt Deus, quodcunque illud ſit*, idque probat ex Trid. ſeſs. 14. cap. 4. additque, *Eſtque noſtra propoſitio* COMMUNIS INTER RECENTIORES, quia omnes poſt Tridentinum ex ipſo Tridentino id intelligebant nomine attritionis.

3 Diſput. 12. art. 1. agens de contritione ſufficiente ad juſtificationem, *Contritio* ( inquit ) *non poſtulat neceſſariò certum aliquem intenſionis gradum, infra quem non ſit ſufficiens: nec item determinatum aliquem voluntatis conatum in deteſtando peccato, & dolendo de illo. Propoſitio eſt contra Adrian. in 4. ſent. de Pœnit. quæſt. 2. & Petrum à Soto lect. 15. de Pœnit.* EST TAMEN COMMUNIS INTER THEOLOGOS, & poſtea. *Contritio in quocunque gradu erit contritio eſſentialiter dicta, atque adeò ſufficiens ad obtinendam pœnitenti gratiam remiſſivam peccatorum.* Dum autem in ſcripturis monetur pœnitens quærere Deum *ex toto corde*, hoc ſignificari dicit, *ut nihil repugnans ejus amicitiæ, & dilectioni admittat*, unde infert, *quod cùm actus contritionis* ETIAM MAXIME' REMISSUS

*ſit talis conditionis, ſit, ut pœnitens rectè, & verè dicatur deteſtari peccatum, & dolere de illo ex toto corde*, & ſic diſponi ſufficienter ad gratiam. Hæc Yſambertus ex doctrinâ COMMUNI Theologorum, adeòque ex doctrinâ communi Sorbonæ.

4 Diſput. 14. art. 4. iterum docet, *attritionem ſupernaturalem conceptam ex conſideratione turpitudinis peccati, vel ex metu pœnæ æternæ, vel amiſſionis vitæ æternæ juncta Sacramento Pœnitentiæ eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad obtinendam peccatorum remiſſionem*, idque fusè probat ex cap. 4. ſeſs. 14. Conc. Trid. oſtendens, ibi Concilium docere, prædictam attritionem diſponere proximè ad gratiam in hoc Sacramento impetrandam, ſubditque.

*Similiter refellitur aliorum reſponſio, qua dicunt, mentem Concilii non fuiſſe aliam, quam ſolummodò damnare doctrinam illam, qua Lutherus contendebat, hanc attritionem non eſſe verum, & utilem dolorem, quin potius facere hominem hypocritam, ut intelligitur ex Can. 5. & ex probatione ſumptâ à facto Ninivitarum, quam cit. cap. 5. ſtatim ſubjicit, non autem definire quæſtiones, quas Scholaſtici Theologi inter ſe controvertunt, qualis eſt præſens difficultas, Refellitur, inquam: Si enim Concilium non intendit cit. cap. 4. quod vult noſtra propoſitio, ad quid illa ejus antitheſis de hac attritione, ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequit, & tamen ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit? Sed ſi voluiſſet ſolummodò damnare prędictam hęreſim Lutheri*,

*theri, ſatis erat dixiſſe, quod ſola antecedenti periodo aſſeritur &c. Verùm, quemadmodum Chriſtus Dominus in Evangelio ad majorem audientium inſtructionem, plus aliquando reſpondet, quàm rogetur, ut S. Chryſoſt. obſervat. hom. 72. in Matth. ſic etiam Tridentini Patres preſenti capite non ſunt contenti damnare predictum errorem Lutheri, ſed amplius addiderunt, hanc attritionem ita eſſe utilem Pœnitenti, ut juncta Sacramento Pœnitentiæ ſit ei ſufficiens, & æquivalenter proxima diſpoſitio ad gratiam juſtificationis accipiendam in illo. Nec obſtat exemplum Ninivitarum &c.* Similiter refellit cetera.

*Cler.* Nihil profectò afferri poteſt illuſtrius; Incipio amare Sorbonam.

*Auct.* Jamdiù id facere debueras. Sed audi reliqua, quæ non ſunt minus præclara. Art. 5. probat iterum ſufficientiam noſtræ attritionis in Sacramento, eo celebri textu S. Aug. de catechiz. rud. cap. 17. quem attuli, & expendi lib. 2. de Dolore &c. cap. 3. & ſupra cap. 6. §. 5. num. 15. validèque propugnat interpretationem noſtram.

5 Art. 6. idem probat nervosè, & acutè rationibus, quæ, ut ſupra expendi, manifeſtè oſtendunt, tunc à Theologis admiſſam minimè fuiſſe contritionem ex vera charitate manantem, quæ propter ſuam remiſſionem non expelleret ab anima peccatum. Omnia enim argumenta petuntur, & urgentur ex eo, quod hoc Sacramentum, ſi non ſatis eſſet hæc attritio concepta ex ſolo metu, ſed requirere-

tur contritio de peccato prout eſt offenſa Dei, ſemper præſupponeret peccatorem reconciliatum, nec eſſet aptum facere id, propter quod eſt inſtitutum, nempè vivificare mortuos, vel quod non eſſet inſtitutum propter hoc, ac proinde non eſſet Sacramentum mortuorum. Quæ argumenta, ut patet, nullam habent vim, ſi admittatur contritio, vel attritio orta ex verâ charitate, quæ tamen ex remiſſione ſuâ non ſit apta vivificare. Ergo quandoquidem is Author, & omnes qui poſt Tridentinum uſque ad Janſenium defenderunt hanc ſententiam, hæc argumenta tanquam validiſſima afferunt, & urgent, manifeſtè colligitur, à nullo tunc probato Doctore fuiſſe admiſſam iſtam contritionem, vel attritionem conceptam ex vera charitate, quæ tamen ob ſuam remiſſionem peccatum non expelleret.

6 Id confirmatur ex eo, quod in fine hujus articuli dicit, nempè *patere veritatem ſuæ propoſitionis*, ac ſententiæ ex cenſurâ, & damnatione, quâ Facultas Pariſienſis iuſſit has Claudii Seguenor propoſitiones lib. de Virgin. pag. 122. 126. 128. & 129. *Attritio de peccatis inſufficiens eſt pro accipienda remiſſione peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ. Contritio ex perfectâ charitate eſt ad id neceſſaria. Abſolutio Sacramentalis nihil aliud eſt, quam declaratio juridica peccati jam remiſſi*, ex quarum propoſitionum cenſurâ, quâ damnatæ fuerunt, ut *quietis animarum perturbativæ; communi, & omninò tutæ praxi Eccleſiæ contrariæ; efficaciæ Sacramenti Pœnitentiæ imminutivæ, & inſuper temerariæ, & erroneæ,*

*rone.æ*, non ſolum non *pateret* veritas concluſionis, ſed nullo modo probaretur, ſi præter attritionem conceptam ex puro metu gehennæ, vel amore præmii, & contritionem conceptam ex charitate reconciliante, admiſſa fuiſſet contritio, vel attritio concepta ex verâ charitate non reconciliante: jam enim Adverſarii dixiſſent, ut modò dicunt, ſe nihil feriri prædictâ cenſurâ; quod certè non dicebant. Siquidem aut Yſambertus non attuliſſet hanc cenſuram, aut ad tuendam vim ſui argumenti ex ea petiti, reſpondiſſet iis, quæ modò dicunt Adverſarii ad eam eludendam, petita videlicet ex eo quod non omnis contritio eſt concepta ex charitate perfectâ, non omnis contritio expellit peccata ante Sacramentum, ac proindè non imminuitur per ejus neceſſitatem efficacia Sacramenti: de quâ re ne verbum quidem habet Yſambertus, quia videlicet tunc nomine charitatis perfectæ ſignificabatur præcisè vera charitas, in quocunque gradu ſit, cùm in quocunque gradu, ſit amor perfectus ſecundùm ſubſtantiam, nempe non ſolum ex motivo, & objecto, ſed ex appretiatione objecti amati propter ſe, & ſuper omnia.

7 Art. 7. ad argumenta ex Scripturis, & Patribus *poſtulantibus in Pœnitente aliquem actum amoris Dei ſuper omnia* reſpondet eo prorsùs modo, quo nos reſpondemus; noſtra proinde reſponſio, & interpretatio verborum D. Pauli, ac D. Auguſtini, quæ modo à quibuſdam deſpicitur tanquam arbitraria, aut violenta, fuit ipſiſſima doctrina Sorbonæ per hos ſuos præclariſſimos Doctores loquentis.

8 Simili modo rejicit, quæ hìc, & art. 8. ſibi objicit ex Tridentino. Dicitque Concilium in eo cap. 6. ſeſs. 6. agere de diſpoſitionibus requiſitis ad juſtificationem, quæ fit extra Sacramentum, idque *patere* dicit, & probat. *Patere* ſimiliter dicit, & probat, in illis verbis ſeſs. 14. cap. 4. *fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius, conſiderari contritionem quoad rationem ſuam genericam tantùm*, uti etiam in illis, quibus initio capitis deſcribitur contritio, *eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*, additque, *quæ definitio contritionis, tota reperitur in attritione, de qua hìc agimus, & contrahitur ad veram contritionem per ſpeciale motivum*: nam ſupra dixit motivum contritionis eſſe *peccatum, prout eſt offenſa Dei*, attritionis verò eſſe *motivum, vel objectum, quod non eſt Deus*.

9 Art. 9. proponit argumentum petitum ex Scholaſticis, quorum alii (inquit) fuerunt ante Tridentinum, & enumeratis illis antiquioribus, nempe Hugone, Mag.ſent.Gratiano, Alb. Mag. &c. vicinum Tridentino affert ſolum Victoriam, ſubditque. Alii etiam eandem ſecuti ſunt doctrinam poſt Concilium Trid. ut Dominicus Soto, Petrus Soto, Eſtius, Sylvius. Alios non affert. Sic autem reſpondet.

*Reſpondetur, auctoritates iſtorum Scholaſticorum hac in parte* NON DEBERE ESSE ALICUJUS MOMENTI. *Eorum quidem, qui floruerunt ante*

*ante Concilium Tridentinum, quia illi magnâ ex parte innituntur fundamento erroneo, nimirum, Sacerdotes virtute Clavium in Sacramento Pœnitentiæ non remittere peccata quoad culpam, & coram Deo, ſed tantùm, vel quoad reatum pœnæ æternæ, vel quoad aliquam partem pœnæ temporalis adhuc debitæ, vel aliquid aliud ſimile, quod ſupponit peccata à ſolo Deo remiſſa, quoad culpam &c.* idque oſtendit in utroque Victorino, in Mag. Altiſiodor. Gabr. & Bonaventurâ. Circa Gratianum dicit, eum perperam pro ſententiâ contrariâ allegari, cùm relatis utriuſque ſententiæ authoribus & fundamentis, ſubjiciat, *cui autem harum potius adhærendum ſit, lectoris judicio reſervatur, utraque enim fautores habet ſapientes, & religioſos viros,* imò eum inclinaſſe tandem in noſtram ſententiam dicit, & probat.

Poſtea ſubdit. *Franciſcus Victoria, & uterque Soto locis ibi citatis non ſunt propriè loquendo annumerandi authoribus prioris ſententiæ, nam ita in baptizato pœnitente ad hoc Sacramentum accedente requirunt perfectam contritionem, ut tamen verbis expreſſis doceant, ſolam attritionem de peccatis, bonâ fide exiſtimatam contritionem, ſufficere &c.*

*Tandem quod attinet ad duos poſteriores Authores Eſtium, & Sylvium dicimus illos agnoſcere aliquam ſpeciem attritionis, quæ juncta Sacramento ſufficiat ad percipiendum fructum hujus Sacramenti, quam volunt conſiſtere in verâ contritione, quæ tamen ſit admodum remiſſa, de qua etiam interpretantur Concilium Tridentinum loco articulo præcedenti*

*rela-*

*relato : fatemur tamen illos in eo à nobis diſſentire, quod nolint attritionem præcedenti articulo deſcriptam Sacramento Pœnitentiæ junctam, ſufficere* ( loquitur de Sylvo, ut docuerat in prima editione. ) SED QUID INRER TANTOS ? *quorum authoritas tantum habet ponderis, quantum rationes, quibus iſtam opinionem ſtabilire conantur, quas articulo proximè ſequenti expendemus* : illas autem ita diſſolvit, ut nullum habere pondus oſtendat. Non vacat quidem afferre omnia, quę hic ſibi objicit is ęgregius Doctor, quæque ipſe reſpondet; debent enim omninò legi in ipſo Authore, qui ſumma fide refert argumenta contraria, eâque vi ea proponit, quâ proponi poſſunt, ſed eâ quoque ſapientiâ, & claritate diſſolvit, ut manifeſtè appareat, eum defendere ipſiſſimam veritatem, eamque ſententiam, quæ tunc habebatur tanquam Eccleſiæ doctrina, aut ſaltem fidei proxima.

10 Hujus rei ſpecimen tibi dabo, afferens ejus ſummariam reſponſionem ad argumentum ſeptimum, quod proponit art. 13. petitum ex eo, quod noſtra attritio concepta ex ſolo metu gehennæ, vel amore beatitudinis non includat verum propoſitum, utpotè quod ſine charitate ſaltem remiſsâ, haberi non poſſit, quæ fuerant uſque ad illud tempus inaudita, aut ita rejecta, ut ea nec objicerent ſibi Doctores noſtræ ſententiæ vindices, ut ſupra notavi, omneſque Theologi ſupponerent hæc duo, tanquam indubitata, nempè neceſſariam non eſſe charitatem ad concipiendum verum propoſitum; & omnem cha-

charitatem etiam remiſſam expellere peccatum, ut colliges ex hujus Doctoris reſponſione, quæ eſt hujuſmodi.

*Reſpondetur, negando tam primum antecedens, quam quod in ejus probationem dicitur, ſcilicet, firmum hoc propoſitum non poſſe dari abſque aliquo actu charitatis veræ, & propriè ſumptæ: hoc enim* ABSQUE ALIQUA NOTA TEMERITATIS NON POTEST A QUOQUAM CATHOLICO ASSERI, *nam Concilium Trid. ſeſs.* 14. *cap.*4. VERBIS EXPRESSIS *diſtinguit contritionem quaſi genericè ſumptam, in duas veluti ſpecies, quarum prior ſit perfecta charitate, poſterior minimè, & explicando hanc poſteriorem* (QUÆ NIHIL EST ALIUD, QUAM ATTRITIO, DE QUA NUNC DISPUTAMUS) *ait illam excludere voluntatem peccandi, & ſpem veniæ habere ſibi adnexam &c. Deindè, quod hoc propoſitum ut eſt hujus attritionis, de quâ Concilium ibi loquitur, non ſit quidam actus veræ charitatis, vel hanc non habeat ſibi adnexam,* APERTE *ſignificat, quando ait, hanc attritionem hoc nihilominus propoſitum includentem non eſſe charitate perfectam, eſſe donum Dei, non adhuc inhabitantis, ſed tantùm moventis illam, ſine Sacramento Pœnitentiæ non poſſe per ſe peccatorem perducere ad juſtificationem: quod tamen ei conveniret, ſi hoc propoſitum eliceretur ex charitate propriè dictâ, vel illam includeret; tunc enim eſſet etiam perfecta charitate, quod tamen Concilium ibi de illâ, ut præcisè ſumptâ, & condiſtincta à vera contritione etiam ſumptâ*

*ptâ præciſè*, *negat*. *Quare qui*, *ut effugiant vim noſtræ rationis* ( petitæ à Concilio ) *reſpondent*, *totam eſſentiam veræ contritionis conſiſtere in his tantùm duobus*, *nimirum in animi dolore*, *ac deteſtatione de peccato commiſſo*, *& in propoſito non peccandi de cętero &c. non videntur ſatis attentè locum illius Concilii legiſſe*; nam, cùm hoc utrumque reperiatur etiam in attritione, *cur Concilium illi denegat conciliare hominem Deo*, *quod concedit priori*, nempe contritioni ſpecificè tali? *Et ſi propoſitum*, *de quo agimus includit charitatem*, *cur negat*, *hanc contritionem* ( quam vocat attritionem ) *eſſe à Spiritu Sancto*, *ut jam* INHABITANTE, *& vult eſſe ab eo ut dumtaxat movente?*

11 Art. 15. probat, & omninò evincit contra Victoriam, & Sotum, non eſſe neceſſe ad effectum Sacramenti, ut hæc attritio putetur contritio, & hanc ipſam ſententiam vocat *communem* inter Theologos. Hinc collige quam communis eſſet illa, quæ ab hoc præſcindebat; & docebat, in re ſufficere prædictam attritionem. Sed de hujus Doctoris ſententiâ, circa cujuſvis charitatis efficaciam, & attritionis noſtrę ſufficientiam, ſatis.

12 Diſp. 16. art. 3. circa Confeſſionem ſic habet. *Præceptum Divinum de Confeſſione faciendâ non obligat ſtatim atque baptizatus peccavit*, *nec etiam diebus feſtis*, *ſed in manifeſto*, *& evidenti periculo mortis*. Hic improbat eam conſuetudinem, quæ ut dixi in Cler. Rom. diſp. 4. l. 1. fuit in aliquot Galliæ provinciis, negandi videlicet ſacramentalem

Con-

Confeſſionem reis ad mortem damnatis, juſtiſſimè poſtea ab ipſis Galliæ Principibus reprobatam. Art. 5. negat Eccleſiaſtico Confeſſionis præcepto ſatiſfieri per Confeſſionem invalidam, & rursùs poſtea docet, eum qui omiſit toto anno confiteri, teneri primâ data occaſione confiteri, & qui probabiliter putat ſe non poſſe confiteri illo anno, teneri anticipare tempus, quod noto, ut intelligas, hunc ægregium Doctorem non adamaſſe quidem rigorem, ſed neque nimiam benignitatem.

13 Diſp. 18. art. 10. docet, poſſe, imò debere ſaltem ſub conditione abſolvi ægrum, qui dedit ſigna contritionis poſtulando Confeſſarium, antequam uſum loquendi, aut rationis amitteret. Igitur iſte modus abſolvendi aliquando conditionatè placuit etiam in Gallia, nec meretur cenſuram Franciſci Geneti, ut alibi notavimus.

14 Diſp. 22. art. un. num. 7. notát, approbationem Epiſcopi, ſicut & ſufficientiam doctrinæ in Confeſſario eſſe reſpectivam, ſeu per habitudinem ad pœnitentem, unde infert, quod, ſicut in caſu neceſſitatis, ubi remedium efficax non poteſt haberi, benè adhibetur minùs, aut parùm efficax, ita quoniam melius eſt ruſticis pœnitentibus habere aliquos Sacerdotes Confeſſarios ab Epiſcopo approbatos, etiam inſufficientis doctrinæ, quàm nullos, Epiſcopus non peccat, quando carens Sacerdotibus ſufficientis doctrinæ etiam pro ruſticis, approbat tamen aliquos, qui eorum Confeſſiones ut poſſunt, excipiant, quos tamen curet inſtrui, ut ſciant neceſſa-

ceſſaria ad miniſtrandum hujus generis Pęnitentibus Sacramentum.

15 Diſp. 28. poſtquam definivit art. 1. ſatisfactionem apud Theologos eſſe voluntariam peccatorum caſtigationem in ſe ipſo ſuſceptam &c. art. 12. docet, pœnitentem præſcindendo à Sacramento Pœnitentiæ, aut alio adjuncto, & attenta obligatione virtutis Pœnitentiæ, non teneri illam in præſenti ſæculo, ſeu vitâ, de facto, & re ipsâ aliquo exteriori actu exercere, ſed ei de ſuis peccatis etiam mortalibus contrito *ſufficere, ut ſit verè in conſcientiâ paratus illam exercere ubi, & quando ab aliquo ſuo ſuperiore injungetur ei, vel occaſione, putà, mali publici, vel privati, quod non putatur poſſe aliter evitari, vel tandem poſt mortem in Purgatorio*, dicitque num. 4. nullum aliud extare præceptum de hac ſatisfactione in hoc ſæculo facienda, illudque S. Jo: Baptiſtæ Luc. 3. *facite ergo fructus dignos pœnitentiæ* eſſe verbum tantùm *exhortationis* ad perfectam pœnitentiam.

16 Docet tamen diſp. ult. num. 5. *Confeſſarium debere pœnitenti injungere ſatisfactionem rationabilem, & pœnitentem teneri eam acceptare, tunc autem eſſe rationabilem, quando ex prudentiâ ſapientis Confeſſarii eſt juxta qualitatem criminis, & conditionem pœnitentis*, ſubditque ſtatim. *Unde illi Canones, qui vulgò pœnitentiales dicuntur, non amplius obligant*, nec eos recenſet, nec eos addiſcendos monet, nec invehitur in hujus temporis ſatisfactiones, nec de inſtaurandâ antiquâ diſciplinâ quidquam habet; imò quam-

quamvis dicat, uti *in primitivâ Eccleſiâ publici pœnitentes exequebantur injunctas ſibi pœnitentias ante perceptionem abſolutionis ſacramentalis*, ſtatuit tamen hanc concluſionem. *Non refert ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, an ſatisfactio injungatur, & impleatur ante Confeſſionem, & abſolutionem; an verò poſt; eſt tamen* CONVENIENTIUS *illam exequi poſt hujuſmodi partes.*

Hæc Yſambertus Doctor Sorbonicus præclariſſimus.

*Cler.* Quem volo omninò legere, & millies exoſculari.

*Auct.* Sic amari meretur etiam alter, cujus doctrinam jam propono.

## §. XXIV.

### *Doctrina Ludovici Abelly.*

1 IS, cùm eſſet Parochus in Urbe Pariſienſi, ſcripſit ediditque eam, quam dixi initio paragraphi 19. Medullam Theologicam, cujus ſecunda Pars continet doctrinam de Pœnitentia. Antequam verò hanc tibi proponam, volo, audias, quæ præmonet Author in hujus ſecundæ partis præfatione. Primò loco monet, ſe diſſerere in hac parte de Sacramentis, *ut noverint illi, quibus myſteriorum tantorum diſpenſatio credita eſt, quomodo ſe in ſacra illa œconomia gerere* DEBEANT, *& qua ratione populus fidelis dignè iiſdem participare*, PLENIORESQUE, *ac* UBERIORES *illorum fructus in ſe per-*

*percipere poſſit*. Monet 2. *ſequi ſe plerumque* (nempè ubi adeſt) *ſolam authoritatem, ac in primis Divinam ſacræ Scripturæ facem, ubicunque Deus illam allucere voluit tanquam certum, & infallibile medium ad dignoſcendum verum à falſo, & pravum à recto in iis, quæ ad* SACRAMENTA *&* MORES PERTINENT. *Exinde Conciliorum, ſummorumque Pontificum decreta, necnon Sanctorum Patrum effata &c. Denique Doctorum maximè probatorum reſponſa fuiſſe à ſe conſulta, ac præ cæteris ipſum S. Thomam obſervaſſe ſe tanquam Theologiæ totius apicem, ejuſque doctrinæ ſemper adhæſiſſe*. Monet 3. *in gravioribus difficultatibus* (ut certè ſunt illæ quæ pertinent ad Sacramentum Pœnitentiæ, ejuſque praxim) *maximorum, & cominatiſſimorum Theologorum ſenſa evoluiſſe, eorumque authoritate ſtabiliviſſe ea, quæ* PROBABILISSIMA, *&* QUOAD PRAXIM TUTISSIMA IPSI VISA SUNT. Iterum tandem monet in fine Lectorem, ut *conſideret, Authorem* NIHIL *ex proprio ingenio, cui maximè diffidere debuit, ſed* OMNIA, ET SINGULA, *vel ex Scripturis Sanctis, vel ex ipſo Jure Canonico, vel ex probatiſſimis Authoribus protuliſſe, eaque inſuper non niſi Doctiſſimorum virorum judicio examinata, & probata in lucem edidiſſe*. Edidit autem hoc ſuum Opus Pariſiis ante oculos ipſius Sorbonæ, non edidiſſet autem, nec hoc modo præfari auſus fuiſſet, niſi ſententias à Sorbonâ probatas ſequeretur: cum enim dicat, in omnibus, & ſingulis ſequi ſe, ubi adſint, Scripturas, Concilia, Patres, & probatiſſimos

Do-

Doctores, ſi quidquam à Sorbonicis Doctoribus rejectum doceret, jam diceret, illos non eſſe Doctores probatiſſimos, & probatiſſimis Doctoribus, ipſiſque Patribus, Conciliis, & Scripturis adverſari, quod ſanæ mentis homo dicere nequivit. Docet autem in hac 2. parte Operis, quæ audies.

2 Cap. 5. quod eſt de Sacr. Pœnit. ſect. 7. dicit illis verbis, quæ habet Conc. Trid. initio cap. 4. ſeſs. 14. *Contritio eſt animi dolor &c.* definiri ex mente ejuſdem Concilii contritionem in genere, prout videlicet complectitur etiam noſtram attritionem, unde ſequitur, etiam hanc, utcunque conceptam ex ſolo metu gehennæ, excludere voluntatem peccandi, & includere illud propoſitum, quod ibi Concilium in contritione definitâ requirit.

3 Hanc ipſam genericam hujus loci acceptionem contritionis confirmat ſect. ſequ. ſic. *Supponimus ex doctrinâ Trid.* (*ſeſs.* 14. *cap.* 4.) *contritionem illam, de qua præcedenti ſectione dictum eſt, dividi in perfectam*, quæ ſimpliciter contritio dici ſolet, & imperfectam, quæ communiter vocatur attritio. Contritionem autem perfectam ſic definit, ac diſcriminat ab attritione. *Vera ſententia, &* COMMUNIS *hodiè inter Theologos eſt, contritionem in eo præſertim ab attritione diſtingui, quod contritio ſit deteſtatio, & dolor de peccato commiſſo, prout eſt offenſa Dei, ſeu propter Deum ſummè dilectum: attritio verò ſit ejuſdem peccati deteſtatio, & dolor propter aliquod aliud motivum bonum, & honeſtum à perfectæ contritionis motivo diſtinctum.* Igitur tunc

ex communi ſententia attritio, de quâ Concilium loco prædicto, cenſebatur non concipi ex eodem motivo contritionis ſimpliciter talis. Idque probat poſtea ex eodem Concilio attribuente ſoli contritioni eam prærogativam, quod ſit charitate perfecta, *quod quidem* (ſubdit) *debet intelligi de perfectione* INTRINSECA PER FORMALE MOTIVUM CHARITATIS, *à quo ille contritionis actus ſpecificatur in ratione veræ dilectionis Dei: neque enim intelligi poteſt de extrinſecâ perfectione, quæ per habitum in actum contritionis derivaretur: cùm hoc commune ſit cum omnibus aliis virtutum actibus, qui ab homine in ſtatu gratiæ conſtituto eliciuntur, & etiam ipſi attritioni, ſi in tali ſtatu eliceretur.* Igitur ex ſententiâ communi, ex quâ Author loquitur, contritionem perfectam, & per ſe reconciliantem eſſe *charitate perfectam* non eſt ex mente Concilii eam perfici habitu charitatis, nec eam prodire ex actu charitatis intenſæ, & perfectæ, ſed concipi ex formali motivo charitatis, movente ad amandum Deum propter ſe, & ſuper omnia, & indè ad deteſtandum peccatum ſuper omnia, quo modo concipitur etiam contritio charitatis remiſſæ, & inchoatæ. Prædictam contritionis explicationem proſequitur poſtea, & ſubdit. *At verò attritio non ex amore Dei, ſed vel ex turpitudine peccati, vel timore gehennæ, aut alio ſimili motivo à* CHARITATE *diverſo concipitur*, UT DOCET CONCILIUM SUPRA. Igitur nec procedit ex charitate inchoatâ, quæ utique amor Dei eſt, &

con-

concipitur ex motivo charitatis.

4 Poſtea obſervari vult aliqua *in perfectâ contritione*. Primum eſt, *quod ea peccata quæcunque deleat, peccatoremque Deo perfectè reconciliet, etiam antequam Pœnitentiæ Sacramentum actu ſuſcipiatur* : UT EXPRESSE' DEFINITUM EST IN CONCILIO TRID. *ſupra*. *Secundum eſt ad rationem perfectæ contritionis, adeòque ut producat effectum illum remiſſionis peccatorum, & reconciliationis cum Deo, non requiri* CERTUM ALIQUEM INTENSIONIS GRADUM, *aut determinatum voluntatis conatum, infra quem non ſit ad effectum illum producendum ſufficiens, neque certam aliquam durationis moram, neque, ut tot eliciantur contritionis actus, quot peccata commiſſa ſunt: quamvis enim optimum ſit, & quam maximè optandum, ut quivis pœnitens quàm plurimos eliciat perfectæ contritionis actus, eoſque quantum poterit intenſos, & ex ſummo voluntatis conatu: ea tamen eſt Divinæ miſericordiæ immenſa largitas, ut ad peccatorum quorumcunque remiſſionem, & peccatoris cum Deo reconciliationem, ſufficiat unicus perfectæ contritionis actus* QUANTUMVIS PARUM INTENSUS, *& vel unico tantùm momento durans: dummodò ex veræ charitatis, & Dei dilectionis motivo eliciatur, ſitque, ſi non intenſivè, certè appretiativè ſummus &c. Ac in primis, quod contritio quamvis minimùm intenſa, ad remiſſionem peccatorum ſufficiat*, PATET *ex ſcripturâ &c.* Quid clariùs contra preſentem rigidioris Theologiæ doctrinam? Hic obſerva, quàm

aberret à verò recentiſſimus Scriptor dicens, à Doctoribus nomine *contritionis perfectę* ſignificari contritionem intenſam, ſeu conceptam ex charitate intenſa, cùm omnes, ut oſtendi, doceant non requiri intenſionem in charitate, & contritione reconciliante, adeòque perfecta. Igitur perfectam vocant unicè ex perfectione eſſentiali charitatis, non autem graduali.

5 Sect. 9. quærit ex profeſſo, utrum ad dignè, & fructuosè recipiendum Sacramentum, ſufficiat attritio, nempè ea quam ſupra definivit, & dixit non procedere ex dilectione Dei, nec ex motivo charitatis, & dicit, ſimpliciter eam ſufficere, allegatiſque verbis Concilii cap. 4. ſeſs. 14. allegari ſolitis, ſubdit, illis *verbis* APERTISSIME' *declarari prædictam* attritionem *eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad remiſſionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam*, idque confirmat ex Catechiſmo Romano part. 2. cap. 5. Deus bone. Unde nam tantum caliginis offuſum eſt verbis Concilii, & Catechiſmi, ut quod hoc tempore *apertiſſimè declarabatur* verbis Concilii, & confirmabatur verbis Catechiſmi Romani, nunc ex verbis utriuſque neutrum probari dicatur, imò probari oppoſitum?

6 Sect. 10. quærit, qualis debeat eſſe hæc attritio ſufficiens in Sacramento, & dicit, eam non debere eſſe ex motivo humano, vel naturali, ſed ex aliquo motivo ſupernaturali, ideſt fidei Divinæ innixo, ut eſt illud quod habet *v. g. qui ex impulſu Spiritus Sancti ſe peccatum aliquod commiſiſſe dolet*,

*illud-*

*illudque deteſtatur, quia ęternæ damnationis incurrendæ, aut Cœleſtis beatitudinis amittendæ periculo illum exponit, vel quia per fidei lumen judicat turpe eſſe homini Chriſtiano tale peccatum committere, v. g. quod dixit Apoſtolus, tollere membra Chriſti, & facere membra meritricis.* Poſtea proponit hanc objectionem.

*Objiciunt Hęretici apud Bellarminum lib. 2. de Pœnit. cap. 17. attritionem illam ex metu gehennę conceptam non poſſe ſufficienter ad Pœnitentię Sacramentum diſponere, eo quod ſit vitioſa, & mala* (audi rationem) *cùm non ex amore Dei, ſed ex amore ſui oriatur, unde Kemnitius in examine Conc. Trid. ſuper ſeſs. 14. attritionem illam ex metu gehennę conceptam vocat Judę pœnitentiam.* Audis, qui tunc eſſent illi, qui id objiciebant, & ſoli referuntur objeciſſe, quod modò nobis objicitur, tanquam erutum ex Patribus, & Scripturis?

*Cler.* Audivi, & obſervavi. Quid ita objicientibus reſpondet Abelly?

*Auct.* Quod nos reſpondemus; nimirum prędictam noſtram attritionem prodire quidem ex amore noſtri, ſed bono, honeſto, ordinato, quo Deus nos moveri vult, dum tam ſæpè in Scripturis ad timorem gehennæ excitat, qui eſt quidem timor ſervilis, ſed non ſerviliter ſervilis, quem habent illi, qui vellent peccare, ſi poſſent impunè, quemque prædicta attritio excludit.

7 Sect. 14. Circa Confeſſionem circumſtantiæ notabiliter *aggravantis*, amplectitur quidem ſenten-

tiam, quæ ad eam obligat, ut probabiliorem, ſed addit etiam *oppoſitam ſententiam eſſe maximè probabilem*. Similiter ſect. 15. amplectitur ſententiam quæ docet non debere ſupprimi in confeſſione peccatum, ad occultandam perſonam complicis, dicit tamen, ſententiam oppoſitam eſſe *probabilem & tutam*.

8 Sect. 19. monet inter alia Confeſſarium, *ut expendat diſpoſitiones pœnitentis; num ad abſolutionem recipiendam ſufficientes ſint, num etiam expediat diebus aliquot differre, aut omninò illi denegare*. Et poſt aliqua ſubdit, *quod ſpectat ad eos, qui ex mera fragilitate in eadem peccata ſæpè relabuntur, certum eſt, etiam præcisè loquendo, abſolutionem illis dari poſſe toties quoties in ipſa peccata relabuntur, dummodò cum vera de illis contritione* ( nempè eâ quam ſupra ſufficere docuit ) *& firmo non ampliùs peccandi propoſito, ad pœnitentiam accedant &c. Nihilominus debet Confeſſarius prudenter attendere non tantùm quid abſolutè loquendo poſſit, ſed potiùs quid ipſi pœnitenti ſit magis conveniens, & aptum: multa enim licent, quæ* ALIQUANDO *non expediunt. Debet igitur coram Deo attentè conſiderare, num frequens uſus confeſſionis talibus perſonis utiliter ſuaderi poſſit, ut earum fragilitati conſulatur, & voluntatis infirmitas, & ægritudo crebrâ hujus Sacramenti ſuſceptione, quaſi remedio ſæpiùs iterato ſanetur; num è contra frequens Confeſſionis uſus illis nocivus ſit, v. g. ſi inde ſumant occaſionem peccandi liberiùs; ſi potiùs ex conſuetudine, quàm ex vero contri-*

*tritionis motivo, aut emendationis propoſito ad pœnitentiæ Tribunal accedant: pro ratione enim diſpoſitionum illarum pœnitentes ipſos utiliter* INTERDUM POTERIT *privare beneficio abſolutionis, vel illud in* ALIQUOT DIES *differre, & interim pia, & religioſa quædam opera, & pœnitentiæ exercitia ipſis injungere: quæ omnia potiùs ex interiori Spiritus Sancti* ILLUSTRATIONE, ET DIUTURNA *in adminiſtratione hujus Sacramenti* EXPERIENTIA, QUAM EX CERTIS REGULIS, AUT PRÆCEPTIS *dignoſci poſſunt*. Et ideò hac de re aut nihil, aut perparùm agunt antiqui: qui tamen ex minùs antiquis aliquid dixerunt, in hoc convenerunt omnes, *interdum* tantùm, & in *aliquot* tantùm dies his eſſe abſolutionem differendam, ut hic Author innuit, eſſe faciendum.

9 Sect. 24. quærit, *quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius in imponenda pœnitentia*, & poſtquam docuit, debere Confeſſarium ſatisfactionem aliquam injungere, *quantum* (ut monet Tridentinum) *ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit*, notat, quod, *quamvis olim plures Canones pœnitentiales ad vigorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſervandum ſanctiſſimè ediderit* Eccleſia, *ac pro exigentia temporum, locorum, & perſonarum variè commutaverit, illos tamen cum jam ab aliquibus ſæculis in deſuetudinem abierint, in uſum ob juſtiſſimas cauſas revocare noluit* prædictum Concilium, nec audet id adſcribere, ut multi modo faciunt, infelicitati eorum temporum, quo Concilium celebratum fuit, nec quidquam dicit de

illis nunc, aut penitùs, aut aliquo modo renovandis, imò poſtquam docuit, debere imponi ex regulâ prædicti Concilii pœnitentias ſalutares, & convenientes, nec connivendum pœnitentium peccatis, ſubdit.

*Aliud quoque extremum ipſi Confeſſario devitandum eſt, ne ſcilicet durum ſe, & rigidum ultra quàm ſatis eſt, pœnitenti exhibeat, illique acerbas nimis, & moleſtas pœnitentias imponat, eo prætextu, quod* CONSCIENTIAM SUAM EXONERARE VELIT, *nihil curans, an ipſe pœnitens eas adimpleat, nec-ne: quod eſſet maximè à charitate alienum, & fini hujus Sacramenti prorſus repugnaret; unde ſapientiſſimè monet Rituale Pariſienſe tit. de Sacramento Pœnitentiæ, ut Confeſſarius ſatisfactione injunctâ, interroget pœnitentem, an poſſit, anne dubitet pœnitentiam ſibi injunctam peragere: alioquin eam immutet, aut minuat. Neque repudiandum eſt axioma Joannis Gerſonis part.2. operum, in regulis Moralibus, ubi dicit, tutius eſſe cum parva pœnitentia, quæ ſpontè ſuſcipitur, & veriſimiliter adimpletur, ducere confeſſos ad Purgatorium, quàm cum magna non implenda præcipitare in Infernum.*

Sect. 25. & ult. poſtquam docuit, *pœnitentem obligari ad acceptandam & adimplendam pœnitentiam ſibi rationabiliter à Confeſſario impoſitam, nec poſſe licitè illam repudiare, & ſatisfactionem in Purgatorio implendam reſervare*, ſubdit. *Si tamen Confeſſarius nimis duram, aut difficilem pœnitentiam imponat, poterit pœnitens ab eo poſtulare, ut illam minuat, aut mutet, cui tunc Confeſſarius, quantum lici-*

*licitè poteſt, annuere debet, ut docet Navarrus; ne ſcilicet confeſſionis, & pœnitentiæ jugum nimis oneroſum, & exoſum reddatur: quod ſi Confeſſarius nolet minuere, vel mutare, poterit pœnitens, antequam recipiat abſolutionem, petitâ humiliter veniâ, Sacerdotem alterum adire, eique peccata omnia rursùs confiteri, & ab eo pœnitentiam mitiorem, & à ſe faciliùs implendam acceptare, ut docet Suares ſupra. Imò, ſi pœnitentiam, quàm acceptavit, implere nonniſi cum maximâ difficultate poſſit, poterit Confeſſarius qui eam impoſuit, aut quivis alius etiam illo inferior, audita iterum confeſſione peccatorum pœnitentiam illam ex causâ aliquâ juſtâ, & rationabili mutare. Ita Sylveſter, Henriques, Suares, Valentia, & alii quos citat, & ſequitur Laymanus tract. 6. de Sacram. Pœnit. cap. 15. qui etiam ibidem ſubdit, probabilem, & in praxi tutam eſſe eorum ſententiam, qui aſſerunt alterum Confeſſarium ex cauſa aliqua juſta pœnitentiam mutare poſſe, etiam non audita confeſſione peccatorum, ob quæ impoſita fuerat: ſic etiam docent Vivaldus, Navarrus, Victoria, Toletus, & alii, quos ibidem citat.*

10 Tandem non ignorans quæ ab aliquibus diſſeminari cœceperant, ut errori incipienti iret obviam, totum hoc caput, ſeu potiùs tractatum de Sacram. Pœnit. ita claudit.

*Eſt autem hìc obiter obſervandum, damnatam olim fuiſſe à Sixto Summo Pontifice in Bulla ſpeciali data anno* 1478. *ſententiam Petri de Oſma, qui aſſerebat, nonniſi peractâ pœnitentiâ confitentes debere abſol-*

*abſolvi, quam quidem ſententiam falſam, ſcandaloſam, & SS. Patrum decretis, Apoſtoliciſque conſtitutionibus contrariam, & hæreticam declaravit, cujus bullæ mentio ſit in cenſura facultatis Pariſienſis data anno* 1644. *die* 23. *Junii, in qua eandem, ut temerariam, & hæreticam proſcripſit.*

## §. XXV.

### *Ejuſdem Doctoris defenſio compendiaria pro Caſuiſtis.*

ALiud etiam Opuſculum idem Author factus Epiſcopus Ruthenenſis edidit, inſcriptum *de principiis Ethicæ Chriſtianæ*, & rursùs aliud ei adnexum de libris & opinionibus Caſuiſtarum, in novem articulos digeſtum, quorum titulos, ſeu ſummam, ſi meminiſti, exhibui tibi ſub finem capitis decimi, libri ſecundi.

*Cler.* Memini certè; ſed memini etiam, te promiſiſſe verſurum id Opuſculum ex Gallico ſermone in Latinum, ut legere poſſim.

*Auct.* Id quidem facere decreveram: at quoniam video, nimis excreſcere hanc tertiam noſtri Operis partem, rem compendio faciam, & referam præcipua, quæ in prædicta diſſertatione, ſeu *declaratione*, ut Author eam vocavit, continentur.

1 Articulo 1. narrat, uti quidam juvenis legens prædictum ejus tractatum de principiis Theologiæ Moralis, indignatus ei fuerat, quod, in confirmationem ſuæ doctrinæ, Caſuiſtas citaret, Doctores videlicet,

licet, ut ipſe dicebat, doctrinæ laxioris, & Evangelicis Inſtitutionibus contrariæ Magiſtros: quales verè eſſe Caſuiſtas acceperat ab homine clariſſimo, à quo etiam id conſilium acceperat, ut ſi vellet unquam operam dare facultati morali, id genus Theologorum ne legeret unquam, ſed ſolos Sanctos Patres. Addit ab eodem juvene firmiſſimo in tuenda hac inquiſſima de Caſuiſtis opinione, provocatum ſe fuiſſe ad ea literis tradenda quæ ipſe contra hunc errorem ſentiret, & perſuaſionibus amicorum compulſum, ut quæ ſcripſerat in favorem Caſuiſtarum, ederet in lucem.

2 Art. 2. dicit, Caſuiſtas, quorum hìc defenſionem ſuſcipit, fuiſſe homines doctrinâ, nec paucos ex ipſis etiam pietate inſignes, & aut primas in Academiis cathedras adeptos, aut ob illuſtria in Remp. merita ad ſumma in Eccleſia munia vocatos, non paucos Divorum numero adſcriptos, eam præterea fuiſſe omnium mentem, ut Fideles docerent, quid agendum, quid cavendum eſſet, idque verè eos effeciſſe libris ſuis poſt longam experiêntiam, quod fecerunt poſt multam navigationem nautæ ſolertiſſimi mappis ſuis, in quibus diverſorum marium pericula, ſcopulos, ſyrtes, infeſta pyratis loca deſcripſerunt, ac proindè, ut his, ita illis gratias habendas, nec minùs quam aliis, qui in Eccleſia populos in fide & moribus inſtruunt, imprudenterque facere qui eos deſpiciunt, creduntque, ſine illorum operâ poſſe ſe difficillimas de moribus quæſtiones extricare.

Hoc

3 Hoc autem judicium ſuum confirmat authoritate trium inſignium Epiſcoporum, quos ſequi omnes debeant.

„ Hi ſunt (inquit) S. Carolus Borromæus,
„ Archiepiſcopus Mediolanenſis, S. Franciſcus Saleſius Epiſcopus Genevenſis, Eminentiſſimus
„ Cardinalis Palleottus Archiepiſcopus Bononienſis, qui Caſuiſtarum libros non probarunt modò,
„ ſed eorum etiam lectionem & Confeſſariis, &
„ Clericis Seminariorum alumnis impensè admodum commendarunt.

„ S. Carolus Borromæus, præter alias conſuetas Seminarii ſui exercitationes, caſuum conſcientiæ ſtudium exigebat ſingulare, tanquam omnibus apprimè neceſſarium; maximè verò lectionem Summæ S. Antonini laudabat, committens curæ Rectorum, ut alios quos judicaſſent idoneos, ſeligerent, & alumnis Seminariorum legendos præberent.

„ Sanctus verò Franciſcus Saleſius in Inſtructione Confeſſariorum ſuæ Diœceſis, eiſdem etiam atque etiam commendat lectionem Tractatus de Prudentia Confeſſarii, quem ſcripſit Pater Valerius Reginaldus Soc. Jeſu, & in epiſtola ad quendam Præſulem, Inſtructionem Sacerdotum Cardinalis Toleti vehementer laudat, tanquam perutilem muneri rectè obeundo, quod ei erat impoſitum.

„ Cardinalis Palleottus, in Regulis, & Ordinationibus Clericorum ſui Seminarii libros enu-

„ me-

„ merans, quorum lectio erat iis neceſſaria, inter „ alios Summam proponit, quæ Armilla inſcribitur, & Directorium Confeſſariorum P. Polanci „ Soc. Jeſu.

4 Art. 3. Expendit conſilium quod aliqui dant Confeſſariis legendi ſolos Sanctos Patres, ut inde ſciant reſpondere caſibus conſcientiæ. Oſtendit autem optimam & perutilem eſſe Sanctorum Patrum lectionem: non inde tamen ſequi, aut eos ſolos eſſe legendos, aut eſſe legendos in hunc finem, ut ex ipſis hauriatur tota facultas moralis, nimirum notitia jurium, contractuum, cenſurarum, aliorumque hujuſmodi. „ Ecqui ſunt enim (inquit) iſti Sancti Patres, qui tractatus de reſtitutione habeant, „ qui latentes ſub ſpecioſis nominibus injurias, uſitatos in litibus, in venditione, emptione, reliquiſque contractibus dolos detegant, qui doceant „ cognoſcere palliatas uſuras? Quibus in libris Sancti Patres de beneficiis Eccleſiaſticis agunt, aut „ propè quotidiana circa eadem dubia ſolvunt? „ Ubi fictos, quæſitoſque pro tegenda ſimonia titulos aperiunt? Ubi denique alia id genus Confeſſariis neceſſaria agitant, quæ tamen omnia in „ Caſuiſtarum libris leguntur &c. Multum, ut reor, „ laborabunt, iſti Cenſores, ſi velint, unum ex Sanctis Patribus exhibere, aut indigitare, in quo ea, „ quæ numeravi, tractentur. Sed illis ſatis eſt Patrum lectionem commendare, nec penſi habere, „ quanto Confeſſariis tempore opus eſſet, ſi quoties in Sacro Tribunali dubium aliquo occurrit,

„ Pa-

„ Patres conſulendi eſſent. Profectò qui labores
„ ferendi, quæ tedia ſuperanda, quoties voluendi,
„ revoluendique libri, priuſquam propoſitæ diffi-
„ cultatis, ſeu quæſtionis veſtigium aliquod, ne-
„ dùm ſolutio, reperiretur &c. Ut igitur qui Juriſ-
„ prudentiæ ſe dederit, eos præcipuè libros ver-
„ ſat, qui leges explicant, & quæſtiones ipſas agi-
„ tant, quæ verſantur circa cauſas civiles, aut cri-
„ minales, & qui Medicinæ peritiam cupit, libros
„ illos in primis familiares habet, qui de arte me-
„ dica, qui de variis morbi generibus, cauſis, re-
„ mediis tractant, quod idem in omni ſcientia at-
„ que arte contingit; ita quiſquis Theologiæ mo-
„ ralis ſtudioſus extiterit, ut illos Authores ſcrute-
„ tur, neceſsè eſt, qui omne ſtudium, atque dili-
„ gentiam in eo poſuerunt, ut ad aliorum doctri-
„ nam eos conſcriberent conſcientiæ caſus, quos
„ partim propriâ experientiâ, partim labore im-
„ probo collegiſſent &c.

5 Art.4. oſtendit, facultatem moralem eſſe antiquiſſimam, & primum Caſuiſtam fuiſſe Moyſem, Caſuiſtas pariter in lege nova fuiſſe Apoſtolos, deindè, qui ipſis ſucceſſere, Epiſcopos, ſolitos aliquando ad conſervandam unitatem, & ad conciliandam ſuis ſententiis authoritatem, conſulere Summum Pontificem: aucto verò Fidelium, & quæſtionum moralium numero, demandatum ab Epiſcopis fuiſſe id munus expediendi caſus conſcientiæ Presbyteris doctioribus, ſuarum Eccleſiarum pœnitentiariis, qui litteris mandarunt quæ proprio ſtudio, & experien-

Digitized by Google

rientia didiciſſent: hinc ingens ille numerus hujuſmodi moralium tractatuum, librorumque, qui nunc extat.

6 Art. 5. obſervat, & monet, à prædictis cenſoribus, qui redarguunt Caſuiſtas, redargui multos viros ſanctos in album Divorum ab Eccleſia relatos, qui fuere Caſuiſtæ, nimirum D. Thomam, qui in ſecunda, & tertia parte ſuæ Summæ moralem Theologum agit, S. Bonaventuram, qui id munus explicandi caſus conſcientiæ alienum à ſe eſſe minimè putavit, S. Antoninum qui tractatus de caſibus conſcientiæ reliquit adeò utiles, ut S. Carolus Borromæus ſui Seminarii Clericis eorum lectionem potiſſimùm commendarit, demum S. Raymundum, cujus operam adeò utilem expertus fuit Gregorius IX. ut nihil ageret eo inconſulto, quique, impetratâ ab eodem Gregorio miſſione ab aulæ negotiis, curiſque, & Barcinonem regreſſus, ut convaleſceret ex morbo, in quem (ea erat Sancti viri humilitas) inciderat ex mœrore concepto propter Epiſcopatum Tarraconenſem ſibi à Pontifice deſtinatum, totum ſe dedit quæſtionibus moralibus, & caſibus, qui undequaque ad eum afferebantur, reſolvendis, & reſolutionibus jam datis colligendis, ex quibus eam Summam compegit, quæ fuit ultimum ejus opus, & reliquorum, quæ ſcripſit, facilè præcipuum.

7 Hic obſervare mihi liceat, hos quos recenſet is Author, alioſque plures, quos recenſere poterat, viros ſanctiſſimos, eoſdemque Caſuiſtas, ut homines

mines privatos fuiſſe, aut caſus conſcientiæ reſolviſſe, antequam ad infulas eveherentur, nec eſſent declarati Doctores Eccleſiæ, aut à Pontificibus huic muneri deſtinati: non igitur dedecet privatos Doctores, ut inſcitè garriunt aliqui, quæſtionibus, dubiiſque moralibus reſpondere: non enim qui id faciunt, arrogant ſibi clavem ſcientiæ & poteſtatis, qua fruuntur Epiſcopi, nec reſponſa præbent, quæ vim legis habeant, ſed conſilii, quod ex ingenti doctrina, qua prædii ſunt, authoritatem habet, & ſubindè, cum certior regula in dubiis, quæ paſſim incidunt, haberi non poſſit, ſatis eſt dirigendis firmandiſque animis Fidelium dubitantium. Hinc Epiſcopi ipſi, cùm dubitant, prædictos Doctores conſulunt, aut eorum tractatus legunt, eorumque conſiliis acquieſcunt. Sed hoc obiter monere ipſe volui.

8 Art.6. Dividit Fideles in tres claſſes, primam eorum, qui ſunt in peccato, unde volunt, aut debent emergere, alteram eorum qui ſunt in gratia, in qua perſeverare debent, tertiam eorum qui volunt ſuſcipere, aut miniſtrare Sacramenta, & his omnibus eſſe Caſuiſtas perutiles, aut etiam neceſſarios oſtendit, cum ea vel præcepta, vel inſtructiones, quibus indigent, in Scripturis ita lateant, ut perſpici à multis non poſſint, in ampliſſimis verò voluminibus juris canonici ſint ita diſperſa, aut involuta, ut reperiri pariter nequeant à pleriſque, à Patribus tandem ſint obiter tantùm ſubindè tradita, à Caſuiſtis verò ſint facili methodo, clariſſimèque cunctis propoſita; hinc illi ipſi, qui Caſuiſtis ſuccenſent, inter-

terrogati, unde hauſerint eam doctrinam, qua ſe in examine, aut concurſu dignos Sacris Ordinibus, aut adminiſtratione Sacramentorum, probarunt, ſi velint vera fateri, dicent, ſe lectione, ac ſtudio Caſuiſtarum adjutos, & ex lumine ab ipſis accepto, propoſitis quæſtionibus reſpondiſſe.

9 Art. 7. oſtendit, ab his qui Caſuiſtas, eorumque libros damnant, non ſolùm privari Eccleſiam ingenti commodo, ſed affici multis graviſſimis detrimentis. Et 1. Confeſſarii, horum librorum, & hominum auxilio privati, nec legentes ſcripta Patrum, quæ ſunt innumera, aut in ipſis non reperientes dubiorum, quæ naſcuntur in dies, dilucidas reſponſiones, judicabunt ipſi ſolo ingenio ſuo, quid agendum, quid cavendum ſit: quale autem erit hoc judicium hominum imperitorum? Si magni illi viri qui Caſuiſtæ fuere, poſt totam vitam in Ethicæ ſtudiis inſumptam, poſt longam experientiam, quamvis ingenio præſtarent, errarunt tamen, ut prædicti eorum cenſores contendunt, qui erunt errores hominum, qui nec ſimili, imò vix ullo ſtudio adjuvantur, nec præſtant ingenio? Nonne timendum ſit, ne, cùm cœci ipſi ſint, cum eis, quos ducunt, cadant in foveam? 2. Si numerus Caſuiſtarum, eorumque in ſententiis diſcordia detrimento eſt, & confuſionem parit, ut iidem dicunt, longè major erit diſcordia, & confuſio, cùm ſinguli Confeſſarii, ut ſua cuique ratio ſuggeret, judicabunt: ut enim in hujuſmodi judiciis evenire ſolet, quot erunt capita, tot erunt ſententiæ. 3. Qui ad examen vocantur ab

Epiſcopis, propoſitis quæſtionibus e. g. circa ſimoniam, circa contractus, circa cenſuras, reſpondere non poterunt; cùm reſponſa in Patribus non reperiant, ex libris Caſuiſtarum petere non debeant. Igitur id examen tollendum erit. 4. Tollentur Confeſſarii ipſi, qui ſi ſapient, nolent ſe exponere periculo errandi cum tanto animarum detrimento, quale periculum certè ſubeunt qui ſine doctrina morali Sacramenta miniſtrant. Si enim in hac adminiſtratione errant aliquando, nec raro dubitant etiam periti morum Doctores, qui libros, eoſque multos, legunt & perlegunt, quoties errarent hi, qui eſſent hoc præſidio deſtituti? Igitur qui Caſuiſtas, eorumque libros ablegant, ſunt Authores mali longè majoris eo, cui mederi contendunt.

10 Art. 8. quærit, utrum verè noxii ſint numeroſi Caſuiſtarum libri? dicit autem, loqui ſe non de omnibus Caſuiſtis, ſed de iis, qui ſive ampliſſimis dignitatibus, ſive eximiâ doctrinâ, ſive ſuſceptis in Academiis gradibus, inſignes ſunt, & boni vulgò Authores habentur. Propoſitæ quæſtioni reſpondet, immeritò de horum numero, & varietate conqueri prædictos Cenſores, ut immeritò de numero, & varietate ferculorum quereretur, qui ad lautas epulas invitatur: quemadmodum enim Principis alicujus viri epulum apparantis eſt magnam ferculorum copiam invitatis apponere, ita convivarum eſt è propoſitis dapibus meliores, utilioreſque prudenter, moderatèque ſeligere. Atqui hæc tanta, eorumque diverſorum, librorum copia, quibus

præ-

præſens abundat Eccleſia, Divinæ munificentiæ pars eſt, tot modis ſua nobiſcum conſilia communicantis, quæ fideles animas paſcant: parendum tamen Apoſtolo monenti, ne velimus plùs ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, ac proindè, aut non legenda, quæ non oportet, aut legenda eo modo quo oportet, quo non legunt illi, qui libros malè maſticatos devorant, aut doctrinis aliàs ſaluberrimis abutuntur. Cæterùm, quamvis ipſe non improbet, imò laudet, ut varios de re morali libros in promptu quis habeat, ut, cùm opus fuerit, conſulere eos poſſit, hortatur tamen ad ſelectum, & peculiare ſtudium paucorum, dicitque id conſilium dare conſueviſſe diſcipulis ſuis graviſſimos Doctores Sorbonicos, ut ſtudiosè legerent Inſtructionem Sacerdotum, quam ſcripſit Cardinalis Toletus, idemque fuiſſe S. Franciſci de Sales conſilium. Ut autem datur omnibus ſeligendi aliquem ex multis plena libertas, ita nulli permittitur alios deſpicere, eorumque copiam damnare, quod nemo facit in reliquis facultatibus. Quis enim queritur, quod tot de legibus, ac juris prudentia, tot de medicina libri, iique varii, & in aliquibus diſſidentes prodeant in lucem quotidiè? Imò quis non videat, id fieri perutiliter, cum poſteriores e. g. medici ea morborum remedia repererint, quæ fuere prioribus ignota? Cur ergo in facultate morali noxium ſit, quod utile ſit in reliquis diſciplinis? Opponenti autem ſententiarum diſcordiam, reſpondet, Caſuiſtas in multis, quæ certa ſunt, convenire, diſ-

ſentire in aliquibus incertis, circa quæ in ſuo quiſque ſenſu abundat, & ſequi licet quod videtur ſimilius verò.

11 Art. 9. & ultimo agit de libris eorum Caſuiſtarum, qui laxiores dicuntur. Et 1. monet, mirum non eſſe, quod aliqui Caſuiſtæ errarint, permiſiſſe Deum, ut aliquando viri etiam ſanctiſſimi, doctiſſimique errarent, ut indè diſcamus minus fidere judicio noſtro, ipſi Auguſtino aliqua excidiſſe, quæ poſtea retractavit. Monet 2. non eſſe temere judicandum de aliorum ſententiis, cum ſæpè laxum non ſit, quod nobis videtur, & aliquando laxæ ſint aliæ noſtræ ſententiæ, judicio ejuſdem illius Authoris, cujus ſententiam, quia noſtræ contrariam, laxam, aut benigniorem vocamus. Monet 3. cavendum, ne animo præoccupato judicemus, ut faciunt hi, qui probant quidquid dixerint, aut ſcripſerint ii, quos diligunt; contra rejiciunt quidquid eorum eſt, à quorum ingenio, & ſtudiis diſcordant. Monet 4. ſi qua in re ab aliquo Scriptore fuerit erratum, non illico totum librum damnandum, ut nemo ſapiens poma ſana atque integra abjicit, quòd inter ea putridum unum, corruptumque detegat, nec arborem totam benè vigentem ſuccidit, quod aridum in ea ramuſculum intuetur: propterea audiendum Auguſtinum dicentem; botrum carpe, ſpinam cave; imò Spiritum Sanctum admonentem, ut pretioſum à vili ſeparemus. Monet demum hanc in judicando de aliorum ſententiis præcipitationem oriri ex ſuperbia, qua judex ſe præfert viris doctrinâ, ac ſcientiâ

præ-

præclaris, eaque deſpicit, quæ ab illis probata eſſe non ignorat.

12 His Præſul iſte ſapientiſſimus vindicat Caſuiſtas non antiquos tantum, Raymundum, Thomam, Bonaventuram, alioſque, ſed etiam recentiores; quæ enim affert, utroſque complectuntur, ut utroſque feriunt Adverſariorum querelæ: quamvis enim dicant, ſe non agere de antiquis, revera accuſant utroſque: cum recentiores, de quibus agimus, ſecuti ſint antiquos, cumque ut inter recentiores aliqui benigniores fuere, ſic inter antiquos, nec nova ſit doctrina probabilitatum (quæ tamen eſt, ut dicunt, fons omnium laxitatum, & eſt præcipuum caput accuſationum) ſed perantiqua, & in eo caſu pœnitentis operantis ex opinione probabili, contrariâ opinioni Confeſſarii, communi Doctorum, quos allegavi, ſuffragio propugnata: nunquam enim opinionem probabilem à probabiliori diſtinguunt, ſed abſolutè uſum probabilis pœnitenti permittunt, & permittendum docent: quod notatum velim ad repellendam prædictorum hominum, quos hic redarguit is Author, calumniam, non verò ad tuendam doctrinam probabilitatum, quarum ſubſidio non indiget mea, quam tueor circam Pœnitentiam doctrina, quæ non probabilis tantùm eſt, ſed probabiliſſima, tutiſſimaque, ut mox audies: id enim eſt illud, quod ſupereſt oſtendendum, propoſita jam doctrinâ celebriorum Theologorum, qui uſque ad annum circiter quinquageſimum hujus ſæculi decimi ſeptimi ſcripſere.

*Cler.* Cur non proponis mihi etiam doctrinam eorum, qui à medio hoc ſæculo decimo ſeptimo, uſque ad tempus præſens ſcripſere?

*Auct.* Quia non pauci ex iis, qui poſt medium hoc ſæculum ſcripſere, ab eorum, quos hactenùs allegavi, Doctorum ſententiis receſſere, ac doctrinam omninò contrariam docere cœperunt.

*Cler.* Ecquam?

*Auct.* Audi.

# CAPUT VIII.

*Proponitur doctrina, quæ circa Sacramentum Pœnitentiæ tradi cœpit alicubi circa medium ſæculum 17. & quæ ejus origo, & authoritas, ſit indagatur.*

QUÆ circa id tempus tradi, ac doceri in aliquibus regionibus cœperunt, hæc ſunt.

1 Attritionem ex ſolo metu gehennæ, aut amore propriæ beatitudinis conceptam, & nullo modo ex verâ Dei charitate ſaltem inchoatâ manantem, non ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ, vel quia ſit fœtus amoris proprii non uſquequaque purus, vel quia ſit purè naturalis, vel quia nunquam ſatis excludat omnem peccandi voluntatem, quam ſola charitas excludat; hanc proinde neceſſariam eſſe in hoc Sacramento, nec ſolùm putatam, ſed veram, ſaltem remiſſam, nec indè ſequi, quod, ante ſuſceptionem Sacramenti, ſit remiſſum lethale peccatum:

catum : negant enim hoc expelli, extra Sacramentum, & caſum neceſſitatis, per quamcunque contritionem conceptam ex vera charitate, qua Deus diligitur propter ſe, & ſuper omnia, ſed ſolùm per eam, quæ eſt valdè intenſa, vehemens, & robuſta, atque ita perfecta, ut foras mittat timorem pœnæ, ac proindè charitatem non ita intenſam poſſe in anima ſimul manere cum peccato lethali dicunt: Converſionem peccatoris, quæ neceſſaria eſt, ut idem poſſit abſolvi, eſſe regulariter opus longi temporis, & multi laboris, nec ei veniam, qua culpa ipſa remittatur, à Deo impertiri, niſi poſt longos fletus, & labores; naturâ ipsâ quodammodò dictante, ac Deo volente, ut is, à quo graviter læſus eſt, priùs condignè ſatisfaciat, ſi poſſit: Veram ſimiliter converſionem, quæ pariter neceſſaria eſt, ut peccator poſſit abſolvi, non eſſe ſolere inſtabilem, ſed conſtantem, aut ſaltem innoteſcere nobis non poſſe, niſi per ſtabilem, & conſtantem emendationem: ac proindè non eſſe credendum pœnitenti graviter lapſo, & multò minùs relapſo, dicenti ſe eſſe diſpoſitum per verum dolorem, & propoſitum, cum in hoc errare facilè poſſit, ſed præcedentium operum habendam rationem, eumque ſolùm regulariter abſolvendum, qui, poſt peccatum, diù vixit emendatus, & pœnitens, & futuræ perſeverantiæ ſpem facit; differendam propterea eſſe regulariter abſolutionem omnibus, qui in ipſa Confeſſione, aut paulò ante compuncti ſunt: differendam relapſis, iiſque omnibus, qui non ſuſtulerunt, aut enervarunt pravam

peccandi conſuetudinem, qua implicantur: tandiù autem differendam, quandiù peccator non ita vivit, ut dici poſſit, *vitam mutavit*, *liber eſt à prava peccandi conſuetudine*, quod certè plurium hebdomadarum, imò menſium opus eſt. Eam tandem pœnitentiam à Confeſſario imponendam jure Divino, quæ ſit condigna, cùm peragi poteſt: hinc ſi impoſita à Confeſſario talis non ſit, imponendam ab alio Confeſſario, aut ab ipſo pœnitente ſuſcipiendam, nec minui per Indulgentias poſſe, idque imponendum potiſſimum eſſe iis, qui graviter peccarunt, ut aliquandiù, nempè aliquot hebdomadis, ſeu menſibus ab Euchariſtia abſtineant, iis verò, qui relabuntur, ut quamdiù relabuntur, abſtineant: Pœnitentiam publicam pro occultis quoque delictis imponi poſſe. Mitto interrogationes innumeras, quibus ſic eſſe ſcrutandos pœnitentes omnes ignotos, docent, ut intra ſpatium plurium horarum vix audiri quatuor, aut ſex hujuſmodi pœnitentes poſſint.

*Cler.* Ecqui ſunt iſti tam ſeveri Doctores?

2 *Auct.* Allegavi illos in meo libello, qui inſcribitur *Francolinus vindicatus* cap. 2. Prædictas omnes, aut ferè omnes propoſitiones, & fortè etiam rigidiores reperies in libro, quem ſupra allegavi, inſcribiturque *Paſtor bonus &c.* Allegavi quidem aliquas in prædicto meo libello, ſed alias plures hinc & hinc diſperſas reperies.

*Cler.* Ne graveris indicare loca.

*Auct.* Conſule part.4. cap.6.§.1. n.4. pag.181. edit. Leodienſis, & pag. ſequ. (num.7. pag.188.)

§.2.

§.2. num.1. pag.195. & ſequ. (§.3.num.1. pag.204. & num.3. pag.208.) §.4. num.2. in fin. pag. 212. & num.3. pag.213. (§.5.num.1. pag.222.) cap.7. §.1. num.2. pag.255. & num.3. pag. 256. (§. 2. num. 2. pag. 260. & num.4. pag. 264. in fin. & pag. ſeq. & num.5. pag.266.) cap.10. §.3. n.1. pag. 342. (§.5. num.1. pag.347. ubi proponit eum celebrem caſum. *Veniunt ſponſi ipſo die, quo contracturi ſunt, confitentur, inveniuntur hactenus impudicè vixiſſe, dictus eſt dies nuptiis, convocati amici &c. quid aget Parochus?* ſic autem reſpondet illico. *Certum eſt, illos abſolvi non poſſe.*

*Cler.* At hic nullum eſt periculum relapſus, cum, inito matrimonio, jam liceat inter ſponſos quod antea non licebat. Cur ergo non poſſint abſolvi?

*Auct.* Ex illis principiis, quæ recenſebam, in eorum ſchola certiſſimis, nimirum quia ſponſis atteſtantibus ſe eſſe diſpoſitos, & verè dolere, & proponere, credendum non eſt, ſed ſolis operibus, quę præceſſerint, veræ pœnitentiæ, ac ſtabilis emendationis, ex quibus moraliter conſtet, eos eſſe verè converſos: in hoc autem caſu nulla præceſſerunt hujuſmodi opera, cum ſponſi vixerint hactenus impudicè.

*Cler.* At poſſunt adhuc modò verè dolere, & verè proponere, & cenſendum eſt, quod verè hoc faciant, cum in caſu propoſito id facere non difficilè poſſint, ex ratione quam dicebam.

*Auct.* Id negat is Author, qui converſionem

pec-

peccatoris dicit eſſe regulariter opus longi temporis, ac laboris, & præviis operibus Confeſſario teſtandam. Audi iterum ipſum. *Pluſquam moraliter certum eſt, tales converſos non eſſe, cum nulla converſionis ſigna, præter verba ſine operibus, exhibeant. Igitur & certum eſt, illos abſolvi non poſſe.*

*Cler.* At nuptiæ indictæ ſunt, eruntque infames, ni jungantur.

*Auct.* Id nihil eſt. Audi iterum ipſum. *Si inſtent, & objiciant incommoda, diem dictum eſſe nuptiis, convocatos amicos, infames ſe fore &c. Oſtendendum eſt, hæc omnia minoris ab ipſis fieri debere, quam peccatum ſacrilegii.*

*Cler.* At hoc à ſe committi negant, cum aſſeverent eſſe ſe ritè diſpoſitos.

At. Sed id inutiliter aſſeverant apud incredulum Confeſſarium, quem pergit is Author ſic monere. *Si acquieſcere recuſent, certum eſt, eos abſolvi non poſſe, eoque magis non poſſe, quod etiam conſilio Parochi, cùm debent, acquieſcere non velint.* Mirari autem non deberes, hæc doceri ab hoc Authore, quem ſupra audiviſti ſimilia docentem in caſu Sacerdotis lapſi in crimen occultum, quique ſuppoſitis illis ſuæ doctrinæ capitibus, ſeu principiis, quæ paulò ante propoſui, hæc etiam docere debuit, & hos ſponſos rejicere tamquam, aut verè indiſpoſitos, & imparatos, aut non habendos tanquam ſatis præparatos.

*Cler.* Quod ergo is docet, docent etiam reliqui?

*Auct.*

*Auct.* Docent certè, qui eundem caſum proponunt, ut faciunt illi quos allego in prædicto libello cap. 2. pag. 76. & 82. & docere debent etiam reliqui. Hinc, quamvis non omnes eaſdem concluſiones reperias in omnium libris, omnium tamen eadem doctrina eſt, utpotè contenta in prædictis capitalibus propoſitionibus, quæ cæperunt hoc tempore tradi.

3 *Cler.* At cur hoc tempore cœperunt rigidiores hujuſmodi propoſitiones tradi? An earum Author Janſenius fuit? Novi enim celebrem ejus librum circa id tempus prodiiſſe, anno videlicet 1640.

*Auct.* Prædictas omnes propoſitiones Janſenii liber non continet, ſed aliquas ex ipſis. Et quidem doctrina pertinens ad neceſſitatem contritionis, & charitatis in Sacramento, ut modò defenditur, adeò tota eſt in Janſenio, ut in eo etiam ſint omnia argumenta quibus illa innititur, & ſufficientia noſtræ attritionis impetitur, ut oſtendi in lib. 1. de Dolore cap. 9. Hinc Jo. Baptiſta Gonet tom. 5. de Pœnit. diſput. 7. de contr. art. 3. poſtquam ſtatuit, & probavit, noſtram attritionem, quamvis ex ſolo metu conceptam, ſufficere ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, non alium contra hanc doctrinam Adverſarium profert, quàm Janſenium, omneſque ferè objectiones, quas contra hanc ſententiam affert, petit ex Janſenio, tanquam præcipuo illius ſententiæ, ut modò defenditur, authore.

Cler.

4 *Cler.* Videtur id ipſum docuiſſe, longè ante Janſenium, Lutherus. Memini certè, id me audiviſſe ex viris eruditis.

*Auct.* Impugnavit abſque dubio Lutherus (quamvis id audire nolint aliqui) attritionem noſtram, quæ videlicet ex ſolo metu gehennæ concipitur, eamque ex eadem ratione damnavit, ex qua modo negatur in Sacramento ſufficere. *Lutherus* (inquit Card. Bellarm. tom. 3. Controverſiarum, cap. 17. de Pœnit.) *initio defectionis apertè dicebat, contritionem ex timore ſervili ortam facere hominem hypocritam, & magis peccatorem*; Et explicatis poſtea tribus diverſis timoribus, primò naturali, qui eſt paſſio quædam, ſecundò mundano inducente ad peccatum, quo malum temporale, & hujus Mundi vitetur, ac tertiò juſtorum timentium pœnas, ſed magis offenſionem Dei, ſubdit, *Quartus timor eſt propriè ſervilis, quo videlicet ita peccator Deum punientem timet, ut* SOLIUS *pœnæ fugiendæ cauſa à peccatis perpetrandis caveat, & de perpetratis doleat &c.* DE HOC TIMORE TOTA CONTROVERSIA EST: HUNC ENIM LUTHERUS DAMNABAT, *ut qui faceret homines hypocritas, magiſque peccatores, & hunc eundem Tridentina Synodus ſeſ.* 14. *cap.* 4. *bonum, atque utilem eſſe, & à Deo excitari docet.* Et cap. ſequ. ſolvens objecta dicit, hunc timorem ſoliùs pœnæ aliquando excludere voluntatem peccandi, ſubditque, ET DE EO LOQUUNTUR THEOLOGI, *cùm dicunt, attritionem ex timore conceptam diſpoſitionem eſſe ad juſti-*

*juſtificationem*, &, *Sacramento accedente*, *re vera juſtificare*, UT PERSPICUUM EST EX CONCILIO TRIDENTINO ſeſs. 14. cap. 4. Igitur ex Card. Bellarmino noſtra ſententia erat ea, quam defendebant Theologi, ea quam Tridentinum *perſpicuè* tradit, ea demum, quam impugnabat Lutherus, qui quidem non ſolùm negabat noſtram attritionem in Sacramento ſufficere ad juſtificationem, ſed addebat, eam eſſe malam, & facere hominem hypocritam; ſed hac additione nihil ſignificavit aliud, ut patet ex iis, quæ hìc affert Bellarminus ſolvens objecta Lutheri, quàm quòd is, qui ex ſolo timore dolet, & refugit à peccato, retinet voluntatem peccandi, & qui dicit ſibi diſplicere peccatum, ne damnetur, remoto timore diceret ſibi placere, ac proinde non dolet ex corde, & ſincerè, quæ ipſa etiam nunc objiciuntur contra noſtram attritionem.

5 Non videtur tamen Lutherus ita rejeciſſe tunc attritionem noſtram, & poſtulaſſe in verò pœnitente charitatem, ut ſimul docuerit, poſſe veram charitatem, ſi non ſit valde intenſa, manere ſimul in anima cum peccato lethali, & ideò primus qui hoc utrumque docuit videtur fuiſſe Janſenius, aut ſaltem Bajus, à quo proinde hujus ſententiæ genealogiam alibi duxi. Docuerunt quidem aliqui ante Tridentinum requiri in Sacramento contritionem de peccatis ut ſunt offenſa Dei, & quidem veram, & non ſolùm putatam, adeoque non ſufficere re ipſa attritionem conceptam ex ſolo metu, idque paulò ante Tridentinum docuit Biel & Joannes Medina,

at

at nullus docuit, charitatem quamvis ſit remiſſa & ſolum inchoata, poſſe, ſi vera charitas ſit, manere cum peccato lethali, imò expreſsè docuerunt omnes, iique ipſi duo, quos dicebam, per contritionem conceptam efficaciter propter Deum, in quocunque gradu ſit, expelli ab anima peccatum, quamvis per hoc difficilè tuerentur Sacramenti efficaciam, & in magnas anguſtias fuerint utrique compulſi, coactique ea docere, quæ modò poſt Tridentinum doceri non poſſunt, ut intelliges ſi leges, quæ habet Biel in 4. diſt. 18. qu. 1. & quæ docet Jo: Medina tract. 2. de Confeſs. quæſt. 38.

6 *Cler.* Habemus igitur, qui docuerint primi ſaltem poſt Tridentinum charitatem verè talem, qua Deus diligitur propter ſe & ſuper omnia, manere cū peccato lethali poſſe, nunc doce, qui docuerint reliquas, quas referebas, propoſitiones adeò ſeveras circa ſcrutationem, & abſolutionem pœnitentis, & circa onera imponendarum ſatisfactionum; neſcio enim, an verum ſit, quod audivi, nimirum primos prædictarum propoſitionum, & reliquarum, quibus conflatur ſeverior Theologia Moralis, Authores, fuiſſe eos qui Janſenio fuerunt cum primis addicti: ab iis qui Janſenio favent, prædictas propoſitiones defendi acriter, & conſtanter, eodemque paſſu, iiſdem in regionibus propagatam utramque doctrinam, & illam Janſenii circa gratiam, & libertatem, & hanc amicorum Janſenii circa mores: Rursùs cœpiſſe hos inſectari ſententias benignas, tum ut authoritatem ſibi apud Epiſcopos ex rigore & amore diſciplinæ concilia-

ciliarent, eâque potiti novam doctrinam faciliùs propagarent; tum ut appetiti ſemper ab aliis, & in invidiam vocati, tanquam vindices damnatæ doctrinæ, aut damnandi Doctoris, appeterent ipſi alios, eiſque invidiam crearent, tanquam propugnatoribus laxitatis. Demum patuiſſe pluribus & quidem certiſſimis documentis, hujus rigidæ Theologiæ Doctores nihil ſecum rigidos eſſe, docere rigidiora, ſed non ſectari rigidiora, aliquoſque ex ipſis, qui præſtare aliis videbantur, Authores eſſe peſſimorum librorum qui prodiere nomine ſuppreſſo, & ſimilium epiſtolarum, ut illæ ſunt, quæ Provinciales dicuntur, aliæque multæ, quas legere non potui, utpotè Gallicè ſcriptas, continenturque eo libro qui inſcribitur *Cauſa Queſnelliana &c.* Hæc, ut dicebam, aliaque hujuſmodi audivi non ſemel: nunc ex te, qui hos homines probè noſti, ſcire velim, an vera ſint.

*Auct.* Parùm id refert ad rem, de qua agimus.

*Cler.* Refert multùm. Nam ſi vera ſunt, pronunciabo ſtatim, audiendos non eſſe, falſam, falſiſſimam eſſe eorum doctrinam: non enim probabile eſt, Deum voluiſſe per id genus hominum docere Eccleſiam ſuam.

*Auct.* Eſſet quidem hoc argumentum non leve, quando ea quæ dixiſti, vera eſſent. Sed hoc argumento non egemus, quod præterea periculoſum ſit, & nimis invidioſum. Illud tutiſſimum, validiſſimumque, quod conficitur ex numero, merito, ac teſtimonio Doctorum, quos hactenus allegavi. Hoc enim

enim ſi benè utaris, Adverſarium ipſum coges dare manus, & ſubſcribere noſtræ doctrinæ.

*Cler.* Oſtende, quo id faciam modo.

# CAPUT IX.

*Aſſeruntur argumenta, quibus Adverſariorum doctrina rejicitur, & noſtra probatur.*

1 OStenſurus, falſam eſſe doctrinam Adverſarii prædictis propoſitionibus contentam, id oſtende priùs, hanc doctrinam eſſe contrariam omnibus Doctoribus, quorum ſententias hoc tertio libro tibi fideliter propoſui. Id ſi neget Adverſarius, confer quæ docet ipſe cum iis, quæ prædicti Doctores tradunt. Docent hi, ſufficere in hoc Sacramento attritionem non conceptam ex vera charitate, ut oſtendi in ſingulis, & præſertim in iis qui ſcripſere poſt Tridentinum, qui nomine attritionis disertè ſignificarunt dolorem, qui plerumque concipitur ex ſolo metu gehennæ. *De eo loquuntur Theologi* (inquit Bellarminus paulò ante citatus) *cum dicunt, attritionem ex timore conceptam, Sacramento accedente, re vera juſtificare*: ipſe autem Adverſarius dicit, hanc attritionem non ſufficere. Igitur contrarius illis eſt. Docuerunt omnes per actualem charitatem in quocunque gradu ſit, dummodo charitas ſit, expelli peccatum lethale. Id ſi neget, affer illi verba clariſſima ſingulorum: profer etiam ea argumenta, quæ attuli cap. 6. §. 5. num. 3. & quæ dicit Cardinalis de Lugo à me allegatus cap. 7. §. 14. num. 3.

num. 3. fortè fatebitur, hanc fuiſſe omnium doctrinam: ipſe autem dicit, à vera charitate, ſi non ſit magna & vehemens, peccatum lethale non expelli. Igitur contrarius illis eſt. Docent omnes, poſſe, & ſæpè debere Confeſſarium pœnitenti recuſanti, aut non impleturo pœnitentiam condignam, quam facere poſſet, imponere minorem, & longè minorem. Id certè negare non audebit: nam id omnes dicunt clariſſimè, nec ſemel dicunt, etiam qui ſcripſere poſt Tridentinum: nam qui ſcripſere antea, benigniùs quoque hac in re ſcripſiſſe, norunt omnes. Ipſe autem, dicit jure Divino obligari pœnitentem condignè ſatisfacere, cùm poteſt, ac ptoinde Confeſſarium debere iis, qui poſſunt onus portare, æquale ſeu proportionatum culpis imponere. Igitur contrarius illis eſt. Tandem ex omnium doctrina eruitur, ut millies notavi, conſueviſſe regulariter credi pœnitenti ſeriò atteſtanti, ſe dolere & proponere, ſi præſertim non fuerit aliàs infidelis, nec exigi ab eo, qui debet abſolvi, propoſitum prævià longi temporis emendatione probatum, quin parùm diſpoſitos, aut etiam indiſpoſitos conſueviſſe in ipſa confeſſione diſponi, & ita diſpoſitos ſtatim abſolvi, ordinarium remedium contra relapſum habitam potiùs fuiſſe frequentiam Sacramentorum, quam longas abſolutionis dilationes. Ipſe autem docet oppoſitum. Igitur contrarius omnibus eſt. Hinc ipſe non ſolet uti teſtimonio Theologorum, ſeu Caſuiſtarum, ut confirmet quæ docet, ſed ad Patres recurrere ſemper ſolet, ad Eccleſiam antiquam, ni-

mirum ad ambiguos textus, ad incerta hac in re antiquitatis monumenta. Fatetur igitur, Theologos non favere ſibi, ſed potiùs refragari. Refragantur certè, quos allegavi. Allegavi autem permultos omnium temporum, eoſque, aut duces reliquorum, aut magis celebres, aut dignitate, & muniis præclaros, & rurſùs teſtantes prædictas ſententias, quas modò dicebam, tradi ab omnibus, aut eſſe communes. Igitur fateri eum coges, communem Theologorum, qui his ſæculis ſcripſere, doctrinam eſſe ſuo rigori contrariam, eſſe demum eam ipſam doctrinam, quam nos tuemur.

2 Id ubi obtinueris, oſtende, non poſſe Deum permittere, ut falſa ſit doctrina, quam tandiù, tamque conſtanter & ut omninò certam, & in re tanti momenti omnes Doctores tradunt. Primò, quia doctrina ſic tradita ab omnibus Theologis, ac Doctoribus, ſin minùs eſt definitio Eccleſiæ, eſt tamen in aliquo ſenſu doctrina Eccleſiæ, ut eam vocat Card. Bellarminus de Sacramentis in genere lib. 2. cap. 25. ubi probat, ſeptem eſſe noſtra Sacramenta. *Secunda probatio* (inquit) *ſumitur ex teſtimoniis, quæ preciſè ponunt numerum ſeptenarium, quæ teſtimonia tria ſunt. Primum eſt omnium Theologorum*, ET PROINDE TOTIUS ECCLESIÆ *ab annis, ut minimùm CD.*

Secundò quia, cùm id Fideles perſuaſum habeant, & verum eſſe judicent, quod traditur communi Doctorum conſenſu, jam his errantibus, tota erraſſet Eccleſia, nimirũ Fideles omnes. Quis autem audeat

audeat dicere, permiſiſſe Deum, ut in re tam gravi errarent Fideles omnes, ac tandiù errarent?

Tertiò quia erraſſent pernicioſiſſimè, & innumeri periiſſent, quia adhæſiſſent communi ſententiæ, à qua recedere non debebant, quod pariter notavit in prædicta illa de numero Sacramentorum controverſiâ idem Card. Bellarminus, qui poſt allegata verba ſubdit, *Quod argumentum maximi ponderis eſſe debet. Nam ſi falſum eſſet, quod dicimus, erraſſet tota Eccleſia per annos CD. pernicioſiſſimè. Nam ſi Sacramenta eſſent pauciora, magna impietas fuiſſet, & ſuperſtitio, & magna deceptio animarum habuiſſe tamdiù pro Sacramentis ea quæ Sacramenta non erant. Si verò eſſent plura, fuiſſet magna impietas tamdiù contempſiſſe vera Dei Sacramenta, & magnum detrimentum animarum.*

3 Quod ſane detrimentum & pernicies animarum fuiſſet in his ſæculis, quæ percurri, eſſetque modò graviſſimum & maximum, ſi prædicti Doctores, quos allegavi, in illis quatuor, aut quinque ſententiis ad juſtificationem, & ad duo Sacramenta tam neceſſaria ad ſalutem, ſpectantibus erraſſent. Cùm enim hos Doctores ſecuti ſint omnes (ut dicebam) tam pœnitentes, quam Confeſſarii, ſequitur, quod innumeri acceſſerint ad Baptiſmum & Confeſſionem ſolum attriti, ferè omnes non probati ante abſolutionem præviis operibus pœnitentiæ, innumeri pariter poſt relapſum, ante eam quam modò exigunt, ſtabilem emendationem, fuerint abſoluti; ferè omnes levioribus pœnitentiis multa-

ti, igitur vix ullus eſſet juſtificatus.

Quartò*, quia *ſincerus Sacramentorum uſus* (verba ſunt ejuſdem Card.) *ad notas Eccleſiæ pertinet ex ſententia omnium hæreticorum hujus temporis. Quare, ſi his CD. annis erratum eſt in Sacramentis tam graviter, conſequenter dicere debent, Eccleſiam periiſſe de Orbe terrarum.*

His argumentis probabis, non potuiſſe Deum permittere, ut omnes Doctores circa præſentes noſtras controverſias errarent. Hinc autem evinces quod ſequitur, eſſe abſque dubio veram eam in qua omnes prædicti Doctores convenere, doctrinam, & eſſe abſque dubio falſam doctrinam oppoſitam.

4 *Cler.* Non videntur omnes Doctores, quorum doctrinam ſupra mihi propoſuiſti, in ſuis ſententiis conveniſſe. Non igitur harum veritas poteſt ex communi conſenſu probari.

*Auct.* Non convenere certè in aliquibus. Nam aliqui docuere juſtificari peccatorem etiam per contritionem conceptam ex ſolo motivo juſtitiæ, vel religionis, vel obedientiæ, quod alii plurimi negaverunt. Aliqui docuerunt ſufficere in Sacramento attritionem conceptam ex metu etiam pœnarum hujus vitæ, quod alii plurimi negarunt. Aliqui videntur docuiſſe, poſſe pœnitentem recuſare omnem, aut ferè omnem pœnitentiam, quod alii plerique pariter negarunt. At quamvis in his, aliiſque hujuſmodi diſcreparint ſaltem aliqui, convenere tamen omnes in aliis, & præſertim in iis quatuor, aut quinque ſententiis, quas num. I. recenſebam. Hanc vo-

co

co doctrinam omnium Doctorum eorum temporum, doctrinam omnium Fidelium, quam Divina ipſa providentia vindicat à falſitate, ut Eccleſiam vindicat à communi deceptione.

5 Addo, firmum manere, & validum hoc argumentum, quamvis aliqui pauciſſimi nec celebres Doctores diſcrepaſſent. Hos enim ſequi Fideles non debent contra communem reliquorum ſententiam, ſed eos qui celebres ſunt, qui non recedunt à communi omnium, aut ferè omnium doctrina. Hos ſequuntur Fideles, & præſertim qui ſcripſere ſummas celebres, & omnium manu tritas: has enim legunt Parochi plerique, has Confeſſarii ferè omnes; nempè illas, quas ego allegavi, cum illæ tunc celeberrimæ eſſent, & in omnium manibus, quibus ſimiles ſunt aliæ poſtea editæ, & ex Doctorum, quos allegavi, ſententiis compoſitæ. Si ergo errent hæ in communi doctrina ad juſtificationem pœnitentium & Sacramenti neceſſarii adminiſtrationem ſpectante, jam, non obſtantibus illis paucis qui nec leguntur, nec audiuntur, errant Fideles omnes, & in re graviſſima â ſuis Doctoribus, ſuiſque Paſtoribus decipiuntur.

4 Nunc redi iterum ad Adverſarium, eumque iterum urge ſic interrogans, an ea ſententia certiſſima, probabiliſſima, ac tutiſſima ſit, quæ tamdiù fuit ſententia ac doctrina omnium Doctorum, omniumque Fidelium in re graviſſima ex qua pendet communis juſtificatio & ſalus? Affirmabit abſque dubio. Igitur cogetur non negare, noſtram doctri-

nam circa præſentes controverſias, quatuor illis, aut quinque propoſitionibus contentam, eſſe certiſſimam, probabiliſſimam, tutiſſimamque.

*Cler.* Interrogabo etiam, an tuta & probabilis poſſit eſſe ſua doctrina, quæ eſt contraria doctrinæ communi omnium Doctorum, qui per plura ſæcula floruere, omnium Fidelium plurium ſæculorum in re graviſſima, in qua decipi Eccleſiam univerſam, pro ſua providentia, & pro ſua fidelitate nunquam permiſit, nec permittet Deus?

5 *Auct.* Dicet, eſſe probabilem ſaltem ex authoritate tot Doctorum, qui eam modò tuentur.

*Cler.* Sed interrogabo iterum, an ullus numerus Doctorum poſſit reddere probabiles eas ſententias, quæ ſunt contrariæ doctrinæ quæ tamdiù fuit omnium Doctorum, omnium Fidelium in re graviſſima, in qua, ut dicit Bellarminus, decipi nequit Eccleſia univerſa?

*Auct.* Rediges profectò illum in magnas anguſtias; nec video, quâ viâ poſſit evadere, ſi verè coges ipſum fateri, prædictam noſtra doctrinam, fuiſſe omnium, aut ferè omnium Doctorum, qui his quinque ultimis ſæculis & præſertim poſt Tridentinum per ſexaginta circiter annos ſcripſere, eamque fuiſſe traditam, ut certam communem, & indubitatam.

*Cler.* Et ideò reor, nunquam conceſſurum Adverſarium, conveniſſe omnes Doctores in eas, quas dicebas, quatuor aut quinque propoſitiones, quæ comprehendunt noſtram doctrinam.

*Auct.*

*Auct.* At eorum textus attuli fideliſſimè; utque nihil addidi, tanquam dictum ab Authore, quod ab eo nec in loco allegato, nec ſupra, vel infra afferatur, ita nihil reſecui, quo reſecto, remaneat periodus, & ſententia mutilata. Si me mentiri quis dicat, proferat textus integros, eiſque cum eis, quos produxi, collatis, mentiri me non dicat, ſed probet.

*Cler.* Dicet, à te loca Doctorum, quæ affers, non benè intelligi, & explicari.

*Auct.* Non indigent explicatione textus quos attuli. Diſtinctiſſimi ſunt, clariſſimi ſunt. An is indiget explicatione, *Attritio concepta ex ſolo metu gehennæ ſufficit in Sacramento Pœnitentiæ*. Hujuſmodi autem ſunt omnes. Demum ſi recedere nolit à ſua doctrina, permaneat in ea, ſi velit adhuc eam tueri, tueatur, ſi velit adhuc proſequi bellum, & impugnationem noſtræ doctrinæ, proſequatur, id unum roga illum, ut pro ea fide, qua debemus ea ſola docere, quæ vera ſunt, aut propiora vero; pro ea charitate, qua invicem complecti ſe debent Fideles omnes, non cavilletur circa ea quæ ſcripſi, non dicat, à me deſpici antiquos Canones pœnitentiale, quos fuiſſe conditos ſanctiſſimè, ut Fideles intelligerent criminum poſt Baptiſmum commiſſorum gravitatem, aſſero conſtantiſſimè. Ne dicat à me minui antiquorum Fidelium, ac Doctorum venerationem, quòd lib.2. illorum delicta deſcribam, horum aliquot errores innuam: nam egregias quoque virtutes illorum, & horum præclara merita attollo,

& longè ſupra merita recentiorum attollenda eſſe profiteor. Non tribuat mihi eam doctrinæ partem, quam refero tantùm, nec continetur illis quatuor aut quinque propoſitionibus, in quibus convenere Doctores omnes. Non dicat, agere me cenſorem, dum ſolum refero aliorum cenſuras, ut inde eluceat, quale tunc ferretur de illis propoſitionibus judicium, quæ tamen hodiè tanquam ſanctiſſimæ, ac tutiſſimæ propugnantur. Si verò non ſolum loqui velit contra me, ſed ſcribere, roga illum, ne cum felle amaritudinis ſcribat, ne cudat, edatque libros anonimos, aut ficti nominis, prælique, quos difficilè credas, vera dicere, ſi incipiant à mendacio, aut modeſtè loqui, cùm prodi timent. Hortare, ne textus infarciat, qui decipiant vulgus lectorum, qui ſunt ignari temporum, ſignificationum, librorumque, qui textus nihil expendunt, ſed numerant tantùm, at eos Doctores proferat, qui has noſtras aut ſimillimas controverſias agitarint, qui non hortentur tantùm (ut plerùmque fit in homiliis, ſermonibus, ac tractatibus moralibus antiquorum, inque ipſis conſtitutionibus, aut inſtructionibus recentium Synodorum, aut monitis paſtoralibus Epiſcoporum, quorum ingentem copiam in Vaſionenſis Epiſcopi Theologiam non ſatis utiliter pro inſtituto congeſſit qui eam nuper recudit) ſed exigant id, ad quod hortantur, exigant e. g. charitatem, qua Deus diligatur propter ſe & ſuper omnia, eamque exigant in Sacramento Baptiſmi, aut Pœnitentiæ, ac talem exigant, quæ coire cum culpa lethali poſſit, quæ poſſit

face-

facere peccatorem amantem ſuper omnia Deum, quin faciat amicum Dei. Niſi enim hujuſmodi textus afferat, eoſque nihil ambiguos, oleum & operam perdet. Quamvis enim non ſemper neceſſarii ſint hujuſmodi textus, omninò tamen neceſſarii ſunt, ubi reſpondeudum ſit Adverſario pro ſe quamplurimos hujuſmodi textus clariſſimos inſignium Doctorum, has ipſas noſtras quæſtiones agitantium, proferenti, ut nos abunde proferimus. Hos ſi proferat, & multos proferat, & inſignium Doctorum, canam illico palinodiam, demam hunc laborem Adverſariis, denunciabo ego Urbi & Orbi propoſitiones meas, dicam, erravi.

*Cler.* Sed oportebit etiam dicas, errarunt mecum S. Antonius Patavinus, qui facilè conteri peccatorem putavit, eique convertendo ſatis eſſe ſubinde *verbum prædicationis*; erravit S. Raymundus, qui cum Magiſtro ſentent. docuit, ſatis eſſe ad verum dolorem, & propoſitum in Sacramento neceſſarium, quod pœnitens *tempore, quo plangit commiſſa mala, non committat opere, vel voluntate flenda*, velitque ea nunquam committere, ac proinde non requiri, ut multò ante à peccatis ceſſarit; erravit B. Humbertus, dum monuit Confeſſarium ut *parvam pœnitentiam injungat* peccatoribus non peracturis magnam pœnitentiam; erravit D. Thomas, dum docuit poſſe adultum accedere ad Baptiſmum cum conſcientia peccati mortalis adeoque ſine charitate, qua, licet parva ſit, & quantumcunque parva, quodvis peccatum deleri putavit, quique

etiam

etiam docuit, *conveniens videri*, *quod Sacerdos non oneret pœnitentem gravi pondere ſatisfactionis*; erravit Bonifacius VIII. dum occaſione Jubilæi docuit, potuiſſe tunc Confeſſarios nihil aliud injungere pœnitentibus in ſatisfactionem, quam *opus in Bulla Jubilei poſitum*; erravit Petrus Paludanus, qui id ſolum quæri voluit à pœnitente, *ſi pœnitet* & credi affirmanti, & rursùs eam ſolam injungi pœnitentiam, quam pœnitens *credatur velle facere*; erravit Synodus Lingonenſis, cujus eſt ille Canon, *Caveant Sacerdotes*, *ne gravent Pœnitentes per difficiles*, *vel oneroſas pœnitentias &c.* Erravit S. Nicolaus de Tolentino, de quo *ferebatur*, *quod pro parvo delicto parvam pœnitentiam imponebat*, erravit S. Vincentius Ferrerius, qui docuit, *veram contritionem*, *quantumcunque minimam*, *non eſſe ſine gratia*, adeoque contritione tam parva quàm eſt *granum ſynapis* ſtatim remitti quodvis delictum, etiamſi quis *occidiſſet omnes Apoſtolos*, *& Joſeph patrem putativum*, *& ipſum Chriſtum propriis manibus crucifixiſſet*, multoſque eſſe, qui ſubitò convertuntur ad Deum, quando *aliquam audiunt bonam prædicationem*, & rursùs Confeſſario *quærente*, *an confitens habeat propoſitum*, *& hoc dicente quod ſic*, rite impendi abſolutionem, & *radi peccata de conſcientiâ*, tandem non eſſe dandam pœnitentiam *contra voluntatem peccatoris*, imò nec magnam, cùm eſt periculum inobedientiæ, erravit S. Bernardinus Senenſis dum credidit, adeò non requiri longum tempus, multumque laborem ad converſionem, ut hor-

hortaretur etiam indiſpoſitos accedere ad confeſſionem, aſſeverans futurum, ut *ille actus humilitatis confeſſionis, & exhortatio boni Confeſſoris induceret illos ad veram contritionem*; Erravit S. Joannes de Capiſtrano qui ſequens Hoſtienſem dicit, quod *Confeſſor nullatenus debet peccatorem deſperatum relinquere, & à ſe recedere ſine pœnitentia etiamſi deberet ei imponere unum Pater Noſter, vel Ave Maria*; Erravit S. Antoninus qui ait, dolorem de peccatis, ut eſt offenſa Dei eſſe immediatam diſpoſitionẽ ad gratiam, nullam in tali dolore intenſionem requirens, quique putavit, eſſe abſolvendum pœnitentem qui ſequitur opinionem vere probabilem quamvis contrariam opinioni Confeſſarii, & cùm dubitatur de diſpoſitione pœnitentis, credi voluit ipſi, atteſtanti, ſe eſſe diſpoſitum; erravit Sylveſter, qui præter hæc quæ habet S. Antoninus, docet cũ Monaldo eam pœnitentiam debere Confeſſarium imponere pœnitenti, quam *is velit ſpontè, & ſine murmure ferre*; Erravit Card. Cajetanus, qui, quamvis velit, ut peccator confiteatur *ex amore ſanitatis animæ, & non ex metu pœnæ*, addit tamen, quod *ex quo peccator vincit ſe ipſum, & confitetur, ſufficit ad ſalutem imperfectorum*; Erravit Dominicus Sotus, qui ait eſſe *certiſſimum*, attritionem ex ſolo metu conceptam ſufficere in Baptiſmo ſaltem cum putatur contritio; errarunt Thomiſtæ qui ut idem refert, putarunt, prædictam attritionem etiam cognitam ſufficere in Sacramento Baptiſmi, & Pœniſentiæ, errarunt in Concilio Tridentino Patres illi ſelectiſſimi,

ſimi,qui,ex Card. Pallavicino,decretum præparaverant, quo, attritionem expertem charitatis ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ,verbis diſertiſſimis dicebatur; erravit S. Ignatius, ex cujus & reliquorum Sociorum doctrinâ, Polancus docuit, pœnitentem indiſpoſitum non eſſe dimittendum, *ſi non ſit veriſimile quod redibit*, ſed eſſe diſponendum à Confeſſario, diſpoſitumque ſtatim abſolvendum, ac proindè, non eſſe regulariter opus longi temporis & laboris hanc pœnitentis diſpoſitionem, nec requiri ante abſolutionẽ peccatorum præviam alicujus temporis notabilis emendationem, demum errarunt omnes, quotquot floruere poſt Tridentinum, nam ſententiam quæ docet attritionem ex ſolo metu gehennæ conceptam ſufficere in Sacramento attribuit Bellarminus à te paulò ante citatus omnibus Theologis: idipſum teſtantur alii. Experire, an memor ſim eorum, quæ dixiſti. *Hæc eſt ſententia* (inquit Lopez) *omnium, prout exiſtimo, Thomiſtarum*; *communem* abſolutè hanc ſententiam vocat Cardinalis de Lugo; doctrinam Eccleſiæ eam appellat Epiſcopus Malderus, quin eam ipſam, quæ docet ſufficere attritionem cognitam *ferè communem* appellat Layman. Eam ſimiliter, quæ nullam in contritione juſtificante intentionem requirit, communem, ſeu omnium ſententiam eſſe dicit Card. Bellarminus, Card. de Lugo, Emanuel Rodriquez, & alii. Igitur, ſi unquam fatearis, ac dicas, *erravi*, oportet etiam dicas, *mecum errarunt omnes quatuor, aut quinque ſæculorum Theologi*; *errarunt Fideles omnes horum*

*tem-*

*temporum*, qui certè hos Doctores ſecuti ſunt, *erravit univerſa horum ſæculorum Eccleſia*, ex Doctoribus, & reliquis Fidelibus, qui eis adhæſere, conflata; iique omnes errarunt in re ſummi momenti ad ſalutem, in doctrina, uſuque Sacramentorum, quod eſſe prorſus incredibile, paulò ante dixiſti, & ex Bellarmino probaſti. Non igitur eveniet unquam, quod tui Adverſarii ea ſcribant, quæ movere poſſint ad retractandam, quam ſtatuiſti, doctrinam, quam ego tanquam certiſſimam ſequar, ac proindè intrepidè abſolvam etiam illos, qui cum ſola attritione, eâque cognitâ confitentur, abſolvam relapſos, & implicitos conſuetudine peccatorum, credam ſeriò dicentibus, ſe dolere de præteritis, proponere non peccare ampliùs, velle aliena reſtituere, aliaque præſtare, quæ debet, demum recuſantibus onera gravium ſatisfactionum, leve aliquod imponam, aut ſi lucrari velit Indulgentias, omni onere liberabo.

*Auct.* Quid audio? Incœperas optimè, claudis orationem peſſimè. Gratiſſima quidem mihi fuit ea recapitulatio judiciorum, ac ſententiarum, quas ferunt de noſtris, contrariiſque doctrinis, allegati Doctores tam multi, & valdè gaviſus ſum, quod memoria teneas verba ipſa ſingulorum. At ingratiſſima mihi fuit hæc ultima ex dictis, veluti noſtræ doctrinæ collectio. Non eſt hæc doctrina mea, eorumque, quos allegavi Doctorum. Non has propoſitiones ſic generales, ſic intrepidas, ſic benignas quas ſupponit hæc praxis, quam te obſervaturum

dixi-

dixiſti, continet doctrina mea, eorumque Doctorum, ſed alias magis reſtrictas, ut oſtendam.

*Cler.* Facies rem mihi gratiſſimam.

*Auct.* Imò neceſſariam tibi, mihique. Tibi, ne fugiens rigorem, incidas in laxitatem; mihi, ne dicar fuiſſe tibi author erroris.

# CAPUT X.

## *Concluſio totius Operis, qua explicatur magis noſtra doctrina.*

1 TUA illa prima propoſitio, *abſolvam etiam illos, qui cum attritione etiam cognitâ confitentur*, ſuppònit hanc, *ſufficit in Sacramento Pœnitentiæ attritio etiam cognita*. Hanc ego, quamvis veriſſimam putem, non tueor, quia, ut millies monui, non verſatur circa hoc noſtra cum Adverſariis controverſia, ſed, an ſufficiat attritio, nec requiratur dolor, qui verè ſit conceptus ex charitate ſaltem remiſſa, quidquid poſtea ſit, an attritio ſufficiat etiam cum cognoſcitur eſſe talis, nempè dolor conceptus ex ſolo metu.

2 Dixi veriſſimam eſſe eam ſententiam, quæ docet, ſufficere attritionem etiam cognitam, quia verè afferuntur pro ea argumenta tam valida, ut videantur invicta: hinc in hanc ipſam ſententiam convenerunt tandem omnes, aut ferè omnes, ut alibi pariter notavi. Addo vix unquam evenire, ut quis verè cognoſcat, ſe habere ſolam attritionem,

& mo-

& moveri ſolo metu, nihilque affici erga Divinam bonitatem. Dixerunt tamen Doctores ſufficere attritionem etiam cognitam, nec eſſe neceſſarium quod putetur contritio, primò ut ſignificarent, non dari præceptum, quo obligemur conari elicere dolorem conceptum ex charitate, quod præceptum dari dicebant, qui requirebant contritionem ſaltem putatam. Secundò ut omni ſcrupulo liberarent illos, qui putarent, ſe non habere tam ſublimem dolorem, & fortaſsè moveri ſolo metu incurrendi gehennam, amittendique æternam felicitatem.

3 Secunda tua propoſitio. *Abſolvam relapſos, & implicitos conſuetudine peccatorum* ſupponit hos poſſe ſemper abſolvi, quod eſſe falſum non ſemel notavi, quamvis ſit falſa etiam alia ei contraria, nempè hæc, *nunquam poſſum eos abſolvere*; *ſemper debeo eis differre abſolutionem*; immo etiam illa, *debeo regulariter*, *& ut plurimùm eis differre abſolutionem*.

*Cler.* Nihil dicunt ſaltem Doctores tertii, quarti, & quinti ſeculi de differendâ eis abſolutione; ergo non differebatur unquam, ergo quandoquidem dicendum non eſt, eos omnes erraſſe, poteſt nunquam differri relapſis abſolutio:

4 *Auct.* Eſt quidem notabile, ut non ſemel notavi, quod Doctores eorum ſæculorum quamvis agant de remediis, quibus peccatores curantur, & quamvis agant de vitio recidivi, nihil agant de eo curando per dilationem abſolutionis, vel de obligatione negandi, vel differendi eis abſolutionem, ſed potius

potius dicant, pœnitentiam eſſe iterabilem, & peccata dimitti ſepties, & ſeptuagies ſepties, nec teneri eum, qui relapſus eſt, iterare Confeſſionem præteritorum; ex hoc autem id ſolùm colligitur, ut nos ſuo loco collegimus, non fuiſſe tunc *regulariter* hoc modo curatos pęnitentes, nec putaſſe illos egregios Doctores, debere Confeſſarium pœnitenti, *ex eo ſolo capite, quod relapſus ſit*, negare, vel differre abſolutionem, vel judicare, ejus præteritam pœnitentiam fuiſſe falſam; non enim omiſiſſent inter falſas pœnitentias recenſere etiam pœniteutiam relapſorum, & hunc etiam afferre inter caſus, in quibus eſt iteranda confeſſio.

Dixi, *regulariter* non fuiſſe hoc modo curatos, qui erant relapſi. Cæterùm probabile eſt, immo certum, id etiam factum aliquando fuiſſe, cùm ſit aliquando abſque dubio utilis, aut etiam neceſſaria talis dilatio. Mirum autem non eſt, quod antiquiores Theologi ejus remedii non meminerint, quo ordinariè, & regulariter non utebantur. Ratio autem, propter quam regulariter non utebantur hoc remedio, eſt ea potiſſimùm, quam ſubtexam.

Sed priùs diſtingue duo genera relabentium. In primo genere ſunt illi, qui raró confitentur e. g. ſemel tantùm in anno, & intra hoc tempus tam longum, aliquando relabuntur. In ſecundo genere ſunt illi, qui confitentur minus raró, ſed potius frequenter e. g. ſemel in menſe, & intra tempus tam breve relabuntur, & relabuntur pauló poſt confeſſionem, & ſæpè. Primis non debet facilè differri abſolutio,

tùm

tùm quia relapſus intra tam longum tempus non debet facere admirationem, nec reddere ſtatim ſuſpectam præteritam pœnitentiam; tùm quia accedentibus tam rarò ad Confeſſionem, & ideò fortaſsè relabentibus, non debet confeſſio per dilationem abſolutionis reddi magis odioſa, ac difficilis, unde poſtea, nec ſemel in anno accedant; ſed potius ſunt aliundè juvandi, ac benè diſponendi, & ſic abſolvendi, hortandique, ut frequentiùs remediis Sacramentorum utantur. Aliis verò, qui intra breve tempus, & paulò poſt confeſſionem relabuntur, non quidem ſemper, ſed tamen faciliùs poteſt abſolutio differri, tùm quia tam facilis, intra tam breve tempus, tamque frequens relapſus, reddere poteſt magis dubiam præteritam, & præſentem pęnitentiam; tùm quia remedium Sacramenti, & frequens ejus uſus, cùm non apparet ſatis utilis, rationabiliùs ſubtrahitur.

Dixi, nec his ſemper eſſe differendam abſolutionem; tùm quia multis hæc dilatio eſſet magis noxia, quam utilis; tùm quia talis dilatio, eſt quidem unum ex remediis, non tamen eſt ſemper remedium unicum, & neceſſarium. Igitur in his ſpectanda erit cum valore Sacramenti neceſſitas, aut utilitas pœnitentis, quorum neutrum ſæpè intervenit, ut oſtendi in Clerico Rom. lib. 1. diſput. 5. & lib. 2. diſput. 10.

5 Quia verò olim, cùm videlicet allegati Doctores, antiquiores Tridentino, ſcripſere, peccatores rariſſimè, & vix ſemel in anno accedebant ad confeſſio-

nem ; jam Confeſſarii ex eâ duplici ratione , quam attuli,vix unquam hoc remedio utebantur, ac proindè mirum non eſt,quod Scriptores antiquiores de eo nõ agant. Quamvis autem modò poſt invectum laudabilem hunc uſum frequentioris confeſſionis , poſſimus , & debeamus etiam, magis quàm olim, uti remedio hujus dilationis , qui tamen eo uteretur frequenter, illud tandem efficeret , ut peccatores ſcientes , ſe non eſſe ſtatim abſolvendos, omitterent confiteri,& ſic rediret antiquus abuſus confitendi perraro . Et ideò Scriptores ipſi recentiores , qui id remedium non improbant , eo tamen cum grano ſalis utendum monent , & non cum illis , qui aut rariùs lapſi ſunt , aut conantur non labi , & ægerrimè ferunt hanc dilationem , futuram proindè ipſis perniciosam , aut præbent majora ſigna doloris , & propoſiti , magnamque ſpem faciunt futuræ emendationi ; & aliis modis nunc juvari , & ſatis diſponi poſſunt .

7 Hinc neque illa propoſitio , *poſſum abſolvere habentes pravam peccandi conſuetudinem* , ſic generaliter accepta , vera eſt . Quamvis enim peccandi conſuetudo peccatum non ſit , ſed effectus peccati , eſt tamen ſæpè cauſa peccati ; impellit enim ad ſimilia peccata committenda , unde ſicuti tenemur tollere proximas occaſiones peccandi , in quibus conſtituti ſic impellimur ad peccandum , ut peccare ſoleamus , ita tenemur tollere eas peccandi conſuetudines, quibus ſimiliter impellimur ad peccandum; & , ſi non conemur eas tollere , peccamus . Igitur

pri-

primâ vice, ut ſolet fieri in omnibus hujuſmodi caſibus, monendus erit pœnitens, ut conetur tollere pravam conſuetudinem, ex gr. pejerandi, aut blaſphemandi, ac proindè recurrat ad Deum precibus, removeat occaſiones, in quibus ſolet pejerare, aut blaſphemare, imponat ſibi aliquam pœnitentiam, ſi iterum ad peccandum trahatur, faciat actus oppoſitos prædictis vitiis, aliaque hujuſmodi. Si hæc, aut aliquid horum faciat, quamvis non ſtatim tollat pravam conſuetudinem, quæ ſtatim tolli non poteſt, utique erit abſolvendus; ſi verò nihil horum faciat, & nihil conetur, utcunque dicat, ſe facturum, regulariter non erit ſtatim abſolvendus. *Regulariter* inquam, nam ſi hæc dilatio periculoſa ſit, aut videatur paritura alios malos effectus, & pœnitens det majora ſigna veri propoſiti, abſolvi iterum ſine dilatione poterit, ut ſupra dictum eſt.

8 Cum iis, qui ſunt in proximâ occaſione peccandi, magis aut minùs rigidè agendum, prout occaſio eſt magis, aut minùs voluntaria. Cum occaſio eſt maximè voluntaria, ut eſt concubina, quam quis domi ſuæ alit, ut cum eâ commodiùs peccet, ſeveriſſimè agendum eſt, & ideò is, nec ſemel eſt regulariter abſolvendus, antequam hujuſmodi concubinam domo ejiciat, utcunque promittat ſe ejecturum. Si enim verè eam dimittere vellet, tunc dimiſiſſet, cum propoſuit confiteri, & exurgere à peccato ſuo. Si verò non ſit ita voluntaria, aut ex aliquâ causâ non potuit antea dimitti, poterit ei credi promittenti

dimiſſionem, & emendationem, & magis & pluries credi promittenti emendationem, cùm occaſio eſt penitùs involuntaria, & removeri non poteſt; ſi pręſertim interea fiat aliquid in remedium mali propinqui, ut ſi imploretur ſæpè Divinum auxilium, ſi aliqua pœnitentia, vel eleemoſyna offeratur Deo ad hoc ipſum impetrandum &c.

9 Cum ratio aliqua ſuadet non differre prædictis abſolutionem, utile erit eis minari hanc dilationem, aut eam tentare, ac ita dicere, *Fili mi quid faciam tecum tam facilè relabenti, & volenti omninò perdere animam tuam? Jubet Chriſtus Dominus ne projiciantur margaritæ, ne porcis offerantur, ne Sacramenta miniſtrentur iis, qui ea vertunt in ſuam perniciem, non igitur miniſtrabo tibi, & cum ſummo dolore animi mei te dimittam cathenis peccatorũ onuſtum, donec intelligas miſerabilem animæ tuæ ſtatum, & plangas, veramque ac ſtabilem emendationem huc afferas*, eique hanc ex corde, ac iterum, & iterum promittenti, deprecantique tantam pœnam cedere tandem, & poſt multas preces optatam abſolutionem impendere; ſed edicere, eam omninò fore ultimam, niſi verè emendetur; ac interim præcipere, ut, ſi poteſt, poſt quindecim aut viginti dies redeat ſignificatum ſtatum animæ ſuæ, vel ſaltem ad id hortari. Sic enim pœnitens verè intelliget miſerias ſuas, gravitatem vulnerum ſuorum, miſerabilem ſtatum ſuum præſentem, eumque miſerabiliorem, in quem tandem ſe projiciet, cùm verè rejicietur à Sacer-

cerdote, ac tandem à Chriſto in extremo judicio; & ſalubri timore concuſſus verè emendabitur (ut expertus ſum contigiſſe multis) redibitque, ſi poterit, ad Confeſſarium, ut curationem abſolvat; qui ſi fuiſſet ſine abſolutione dimiſſus, juſſuſque redire, non rediiſſet unquam, ac deſperaſſet, vel curam animæ ſuæ penitùs abjeciſſet.

10 Cùm verò pœnitens toties fidem fefellit, ut verè differenda ei abſolutio ſit, hæc duo præſtanda erunt omninò. 1. Verbis adeò blandis, adeò charitate plenis id erit agendum, ut pœnitens intelligat, ex ſolo amore ſui id fieri, & ex neceſſitate Divini præcepti. 2. Hæc dilatio non admodum longa erit, ſed alicujus hebdomadæ, & potius brevior, quam longior menſe toto, quo elapſo redux pœnitens erit amantiſſimè excipiendus, & quamvis non integram emendationem afferat, ſed aliquam tantum, erit abſolvendus, ut iterum redeat, magis emendatus.

11 Ex his quæ hactenùs dixi colliges, Quartam illam propoſitionem, quam veram ſupponis, nimirum, *poſſum credere pœnitenti conteſtanti ſe habere dolorem, & propoſitum, & promittenti ſe facturum, quæ facere debet*, eſſe reſtringendam, non quidem eo modo, quo eam reſtringunt Adverſarii, dicentes, eſſe quidem credendum pœnitenti confitenti numerum, aut ſpecies culparum, non verò dicenti, ſe eſſe diſpoſitum, & promittenti ſe facturum, quæ debet; cùm Doctores ſupra allegati ſic non diſtin-

guant, immo multi dicant expreſsè, multi certè ſupponant, credendum regulariter pœnitenti ſeriò dicenti, & conteſtanti ſe verè pœnitere, & omninò nolle amplius peccare, cùmque non minùs falli poſſit pœnitens circa cognitionem ſuarum culparum, quam circa cognitionem ſui doloris, ac propoſiti. Igitur alio modo reſtringenda erit ea propoſitio, quo modo tradi à prædictis Doctoribus dicendum eſt, ut videlicet in hoc foro credatur reo confitenti, teſtanti, ac promittenti, *cùm meretur fidem*. Confitenti culpas ſuas credendum eſt, ſi ſpecies & numerum diſtinguat, ipſoque modo confitendi pietatem præferat, & animum diligentem. Is benè diſcuſſiſſe ſe, & nihil per ſocordiam, vel imperitiam, vel culpabilem ſuæ innocentiæ perſuaſionem ſupprimere credendus eſt, ac proinde non erit interrogationibus detinendus. Secùs verò, ſi confeſſio ſit longi temporis, & hominis variis occupationibus, & periculoſis negotiis impliciti, nec præferentis magnam pietatem, & tamen brevis ſit, nec admodum diſtincta; is enim erit interrogationibus ſcrutandus, paucis, aut multis, prout minor, aut major interrogationum utilitas & neceſſitas apparebit.

12 Similiter teſtanti ſe verè dolere, & proponere, promittentique ſe facturum, quæ debet, credendum eſt, niſi id dicat frigidè, niſi ſit aliàs pollicitus inutiliter, & ſine ulla emendatione culparum etiam graviorum, niſi det ſigna animi parùm ſolliciti de ſua ſalute, & ad confeſſionem acceſſerit

potius

potius coactus timore infamiæ, authoritate Superiorum, quàm ſuâ pietate compulſus. In his enim caſibus, aut erit abſolutio differenda, aut ſi dilatio periculoſa, vel non profutura videbitur juxta dicta ſuperiùs, erit pœnitens ad ingentem dolorem, validumque propoſitum excitandus, ut abſque dilatione poſſit abſolvi. Felicem autem in hoc eſſe ſolere operam fervidi, prudentiſque Confeſſarii, eâque verè converti, & conteri peccatores, qui non ſatis diſpoſiti accedunt, oſtendi ſupra ex communi Theologorum, ſanctorumque virorum doctrinâ, quod permovere debet Confeſſarios, ut in hoc, labori non parcant, ſed aliquid ſemper dicant ad cor pœnitentis feriendum, putentque, ſe hoc modo longè magis profecturos, quàm ſi multos rejiciant, multis abſolutionem differant, & onerent gravibus pœnitentiis: Pœnitens enim auditus benignè, audit patientiſſimè, nec hominem audit, ſed ipſum Chriſtum ore Confeſſarii loquentem, Chriſtum ſentit cordis penetralia pervadentem, vulnera tractantem, curantemque, Chriſto ſe ſubmittit per ſtabilem pœnitentiam, eaſque tandem ſatisfactiones ſponte exhibet, quas initio recuſabat. Utinam Confeſſarii ferverent magis, nec aut victi tædio, aut humano timore præpediti tacerent, ſed omnes, qui ſe culpæ lethalis reos dicunt, & confitentur, quamvis docti videantur, & benè culti, quamvis dignitate præfulgeant, monerent de culpæ commiſſæ gravitate, de periculo animæ ſuæ, eoſque incre-

 parent

parent, & redarguerent amanter quidem, ſed etiam ardenter, nempè eo ardore, quo Divina Charitas fervet, ſuavi, & forti, facili negotio Eccleſia tota velut aurum deterſo luto niteret.

13 Demum falſum quoque eſt illud ultimum quod ſupponis, nimirum poſſe te circa ſatisfactionem penitùs indulgere pœnitenti, eumque abſolvere utcunque recuſantem congruam ſuis culpis pœnitentiam. Nec id ita abſolutè docent omnes, quos allegavi Doctores, imò vix ullus. Ego autem ea ſola hìc tueor, in quibus convenere omnes, ut non ſemel monui. Primò igitur nunquam abſolvas renuentem omnem pœnitentiam. Secundò nunquam abſolvas recuſantem ſuperbè, aut contemnentem, niſi ſuperbiam, aut contemptum deponat, ſeque graviori pœna dignum fateatur. Si verò Pœnitens oſtendat humiliter infirmitatem animi ſui, difficultates ſuas, deſiderium ſuum, ne dubites imponere minorem, eam videlicet, quam facturum credis, quamque non illibenter acceptat. Eum tamen monebis, quantò majorem mereatur ob commiſſa delicta, hortaberiſque ut addat quantum poteſt, curetque Indulgentias lucrari.

Has tibi, mihique regulas reliquere omnes prædictorum, quæ percurri hoc tertio libro, ſæculorum Doctores, qui has ipſas controverſias agitarunt: nec eas reliquere, tanquam à ſe conditas, ſed ut à majoribus ſuis acceptas, & communi Eccleſiæ uſu receptas. Has igitur cuſtodire ipſi debemus, ut

inſti-

inſtitutos à Chriſto Domino pro foro interno CANONES POENITENTIALES, nec tamen deſpicere Canones Baſilii, Nyſſeni, aliorumque Patrum, aut verbo aliquo acerbiori damnare, quos tradit Adverſarius (quem nec Bajanum vocabimus unquam, nec Janſeniſtam; cum non quidquid eſt in Bajo, & Janſenio, iiſque, qui eis ſtuduere, quamvis nobis videatur contrarium doctrinæ communi Doctorum, ſit illico privato noſtro judicio vocandum Bajaniſmus, aut Janſeniſmus) ſed duos priores Canones, pro ſuo merito, veneremur, primos quidem ut IMPOSITÆ à Chriſto Domino, alteros ut ſolùm PROPOSITÆ à Patribus, proponendæque Fidelibus POENITENTIÆ DISCIPLINAM, tertios, quos tuetur Adverſarius, refellamus ſimpliciter, & humiliter, ſubjicientes ea, quæ dicimus Eccleſiæ judicio, nec unquam pro tuenda vera diſciplina Pœnitentiæ, pœnitendum aliquid agamus, aut ſcribamus; nunquam pro tuendis juribus Pœnitentiæ, violemus jura charitatis.

*Cler.* Id faciam quod faciendum, mones. Sic me Deus adjuvet.

*Finis Libris Tertii.*

INDEX

# INDEX
## Rerum notabilium Libri tertii.

### A

*ABelly quæ doceat pagina* 575. *Defendit Caſuiſtas* 586.
*Abſolutio quando differenda*. Vide *præſertim* 402. 423. 431. 400. 450. 451. 481. 503. 516. 520. 585. 623.
*Albertus Magnus ab acceptando Epiſcopatu abſterretur à B. Humberto* 38.
*Angeli de Clavaſio doctrina* 236.
S. *Antonini doctrina* 200.
S. *Antonii de Padua doctrina* 17.
*Aſteſani doctrina* 111.
*Attritionis nomen quid ſignificarit etiam olim* 303.
*Averſa*. *Raphaelis de Averſa doctrina* 518.
S. *Auguſtini textibus quibuſdam objectis reſpondetur* 319. *Ejuſdem locus de baptiz. rud. explicatur* 227.

### B

*BEllarmini Card. doctrina* 604. & 610.
S. *Bernardini Senenſis doctrina* 185.
*Bonaccinæ doctrina* 486.
*Brancati Cardinalis doctrina* 522.

Caje-

## C

CAjetani Card. doctrina 227.
Candidi doctriua 508.
Canones pœnitentiales an pro foro externo. V. Pœnitentiæ canonicæ. An juſtè abrogati 554.
Caſuiſtarum authoritas 470. Eorum defenſio per Epiſc. Abelly 586.
Communio Eucbariſtiæ an aliquando neganda in pœnitentiam, aut differenda 357. 521.
Concilii Lingonenſis Canones de pœnit. 155.
Concilium Tridentinum. V. Tridentinum Concilium.
Confeſſio ſacramentalis. Facilis reddenda 378. Sit frequens 29. & alibi paſſim. Confeſſionis vis ad mutandum cor peccatoris 190. 191. Ejus meritum 198. Confeſſio generalis quando ſuadenda 395.
Confeſſio peccati dubii an præcepta 501. 515.
Confeſſarius non facilè damnet peccati pœnitentem 29. An poſſit abſolvere ſequentem contrariam ſuæ opinionem. V. Probabilem ſententiam &c.
Coninckii doctrina 460.
Contritionis votum quid ſit, quid faciat? V. Sacramentum in voto. Contritionis vis quanta ſit 173. An remittat peccata quamvis non concepta ex motivo charitatis 80. 519. 523.

## D

DEbere non ſemper ſonat verum debitum & obligationem 342.
Definitio alia explicita, alia implicita 337.

De

*De Lugo Card. doctrina* 495.
*Dolor de defectu doloris indicium veri doloris ſecundum aliquos* 130. 218.
*Doctrina hoc libro impugnata quæ ſit, quæ ejus origo* 598.
*Doctrina noſtra defenditur & oppoſita impugnatur.* 608.

## G

*GAmachæi doctrina* 556.
*Gerſonis textus in laudem Theologorum* 2.
*Graſſii doctrina* 438.

## H

*HUmberti epiſtola ad Albertum Magnum* 38.
*ejuſdem doctrina* 43.

## I

*SAnctis Joannis à Capiſtrano doctrina* 196.
*S. Joannis à S. Thoma doctrina* 152. 511.
*Joannis Friburgenſis doctrina* 103.
*Judas cur deſperarit* 220.

## L

*LAteranenſis Concilii* 2. *doctrina de pœnit.* 4.
*Layman quæ doceat* 477.
*Lopez quæ doceat* 414.

*Lugo.*

*Lugo . V. de Lugo :*
*Lutherus attritionem ex ſolo metu conceptam impugnavit* 604.

## M

*MAlderi Epiſcopi doctrina* 532.
*Manſtrii doctrina* 527.
*Medinæ doctrina* 389.
*Merceri doctrina* 540.

## N

*NAvarri doctrina* 373.
*S. Nicolai de Tolentino benignitas in Pœnitentes* 159.

## P

*PEtri Lombardi doctrina* 10.
*Petri Pictavienſis doctrina* 13.
*Petri Paludani doctrina* 127.
*Pœnitentiæ Canonicæ an ſolius fori externi* 455. 466. 517.
*Pœnitentiæ inſignis duo exempla* 148.
*Pœnitentia moribundi qui male vixit, rara* 87. 461.
*Pœnitentiæ externæ præceptum an detur* 445.
*Pœnitentia ſeptennis an pro quovis peccato lethali* 384. 455.
*Pœnitentia ſolemnis pro quibus criminibus* 21.

*Pœni-*

*Pœnitentia triplex ſolemnis, publica, ſecreta* 21.
*Polanci doctrina* 367.
*Probabilem ſententiam an tutò quis ſequatur* 206. 221. 237. 381. 394. 491. *An etiam minus probabilem* 435. 439. 476. 535. 545. *Quid in Sacramentis* 535.
*Propoſitum quale exigendum à pœnitente* 361.

## R

R*Aymundi de Pegnafort doctrina* 24.
*Reginaldi doctrina* 469.
*Relapſi an abſolvendi*. V. *Abſolutio &c.*
*Roberti de Flammesburg doctrina* 13.
*Rodriquez quæ doceat* 459.

## S

S*Ayri doctrina* 433.
*Sacramentum in voto quid ſit, & an & quomodo remittat pecca* 113. 514. 528.
*Sacramentorum Miniſter quid agere debeat ſi lapſus ſit* 136.
*Scoti doctrina* 76.
*Sotus quid doceat* 262. *&c. Quid ipſe referat de Thomiſtis* 49.
*Sylveſtri Prieratis doctrina* 217.
*Sylvii doctrina* 547.

*Tex-*

## T


T*Extus qui ſint afferendi* 324.
*Theologos laudat Gerſon* 2.
*Theologi Caſuiſtæ*. V. *Caſuiſtæ*.
*S. Thomæ doctrina* 47.
*Thomiſtarum doctrina circa attritionem* 251. 418.
*Toleti Card. doctrina* 426.
*Tridentini Concilii doctrina circa attritionem* 243. &c. *Circa ſatisfactionem* 344. &c. *Circa reliqua* 360. &c.
*Trovamalæ doctrina* 240.


## V


V*Ega Andreas quid doceat* 286.
*S. Vincentii Ferrerii doctrina* 161. *Ejus prædicationis fructus* 182.
*Votum Sacramenti quid ſit, & faciat*. V. *Sacramentum in voto*.


## Y


Y *Samberti doctrina* 561.


FINIS.

| *Errata* | | | *Corrige.* |
|---|---|---|---|
| Pag. | verſ. | | |
| 23 | 3 | ſerique | ſeriqae |
| 33 | 3 | ſic monet ex | ſic monet . Ex |
| 52 | 15 | delectionem | deletionem |
| 130 | 22 | excorticari | excoriari |
| 137 | 13 | mortis | moroſis |
| | 28 | ob. | ab |
| 140 | 11 | Sacerdotum | Sacerdotem |
| 142 | 7 | abſcit | abſit |
| 144 | 28 | noſtrorum | noſtrarum |
| 214 | 28 | ſudioſe | ſtudiosè |
| 217 | 26 | dolore | dolere |
| 218 | 15 | peccatorem | peccatorum |
| 229 | 21 | peccum | peccatum |
| 232 | 21 | ijſdem | ijdem |
| 261 | 12 | ineluctalibus | ineluctabilius |
| 292 | 22 | hominium | hominum |
| 301 | 19 | poſtuſilant | poſtulant |
| 346 | 28 | Adverſariua | Adverſarius |
| 391 | 20 | paſto | parſo |
| 398 | 25 | Concilium | Concilio |
| 407 | 9 | propone | proporre |
| 413 | 15 | hac ſuper ſe | hac ſuper re |
| 414 | 20 | Inſtructorum | Inſtructorium |
| 512 | 15 | inevendæ | ineundæ |
| 535 | 26 | adniſtretur | adminiſtretur |
| 539 | 9 | quod | quem |
| 579 | 15 | cominatiſſimorum | nominatiſſimorum |
| 581 | 22 | prodite | prodire |
| 585 | 24 | cœceperant | cœperant |
| 592 | 10 | prædii | præditi |
| 615 | 24 | tiale | tiales |
| 621 | 16 | debet | debent |

ANT 1315336

Digitized by Google

Digitized by Google

6524

Digitized by Google

Digitized by Google